JORGE ALVES OSÓRIO

(BOLSEIRO DO INSTITUTO NACIONAL DE INVESTIGAÇÃO CIENTÍFICA)

O HUMANISMO PORTUGUÊS E ERASMO

Os Colóquios de Erasmo editados em Coimbra no século XVI.
Estudo e apresentação crítica do texto.

TOMO II

TEXTO

PORTO — 1978

JORGE ALVES OSÓRIO

(BOLSEIRO DO INSTITUTO NACIONAL DE INVESTIGAÇÃO CIENTÍFICA)

O HUMANISMO PORTUGUÊS E ERASMO

Os Colóquios de Erasmo editados em Coimbra no século XVI.
Estudo e apresentação crítica do texto.

TOMO II

TEXTO

PORTO — 1978

Index rerum quae in hoc uolumine continentur

Conspectus siglorum	2
Erasmi Colloquia	4
Ad serenissimum Principem Ioannem	5
Approbatio Theologorum Inquisitionis	7
Clarissimo Principi ac Reuerendissimo Cardinali Henrico	8
Familiaria Colloquia	12
Scholia	469
Colloquiorum index ordine alphabetica	492

C O N S P E C T V S S I G L O R V M

IF add	Ioannes Fernandus addidit
IF mut	Ioannes Fernandus mutauit
IF om	Ioannes Fernandus omisit
1533	ed. Lugduni, Melchior et Gaspar Trechsel Fratrum, M. D. XXXIII
LB	ed. Opera Omnia, Lugduni Batauorum, M DCC III (Tomus primus)
ASD	ed. Opera Omnia, Amsterdam, MCMLXXII (Ordinis primi Tomus Tertius)
1636	ed. Lugduni Batauorum, Ex Officina Elzeviriana. Anno 1636.

E R A S M I C O L L O Q V I A

A d m e l i o r e m m e n t e m r e u o c a t a

Ad serenissimum
LVSITANIAE PRINCI-
PEM IOANNEM REGEM

Feliciter designatum Eras
mi colloquia ad me-
liorem mentem
reuocata.

Per Ioannem Fernandum hispa-
lensem Rhetorem regium in incly-
ta Conimbricensi Academia.

Cum facultate sanctae
inquisitionis.

CVM PRIVILEGIO
domini nostri Regis.

4-5 Erasmi expunctum est

Ad serenissimum
LVSITANIAE
Principem Ioannem, in
Erasmi Colloquia
praefatio

Ioannis Fernandi Rhetoris Regij

aaij r Voluit diuina prouidentia, princeps serenissime, vt sermone, qui ex rationis arce proficiscitur, homo caeteris animantibus anteiret, vtque eloquentiae dotibus, cuius materia sermo est, id esset homo homini, quod brutis homo. Quae res non solum eloquentia sit, quae suapte natura omnibus linguis
aaij v) est communis, verum etiam quibusdam linguarum idiomatis, / cum hic loqui ille mutire aut stridere videatur; vnde factum est quod Graeci caeteros mortales, Romanos etiam barbaros appellabant. Quod quidem nimium irata Nemesi mihi dixisse videntur. Declinauit enim ad Romanos vt imperij ita et linguae maiestas, quae nescio qua fati necessitate cum imperii fascibus semper coniuncta est. Imo quod iure magis demireris, pietatis mysteria olim Hebraeis, Chaldeis et Graecis credita literis magna cum accessione diuerterunt ad Latinos.

Vt iam principes, inter quos infantilis tua aetas propitio christonata est et in summo dignitatis fastigio educata, rei latinae strenuam operam dare debeant, qua homines praestat hominibus et principes principibus. Huc tendunt conatus nostri, princeps serenissime, offerimus Celsitudini tuae hunc Erasmi libellum vnde tu citra negotium latine discas, et simul litera

21 latinos
23 sumo

aiij r) rum lacte bibas pietatem, quae tamen / e tam longa generis tui serie, eque pijssimis parentibus tuis iure haereditario tibi debetur.

Age igitur felicissimis auspicijs pacis artes, id est literas colito, quae tibi postea tuisque res feliciter ac fortiter gestas dignas cultu et admiratione ad posteros transmittant./

(aa iij v) Exacta fuerunt ad censuram sanctae inquisitionis per Doctissimos doctores Marcum Romerum Veteris Testamenti professorem eximium, et fratrem Martinum Ledesmium Diui Thomae interpretem eruditissimum, qui omnia uiderunt, emendarunt et probarunt; idque autoritate serenissimi Infantis Portugaliae Henrici Cardinalis Reuerendissimi et de fide catholica Iudicis supremi.

Accessit tandem iuxta concilium Lateranense ab illustrissimo et admodum reuerendissimo episcopo Conimbricensi examen doctissimi doctoris Alfonsi a Prato in sacra Theologia cathedrarij primarij./

5-6 Henrrici
7 suppremi
9 reuerẽd. episcop.
10 doct.

Clarissimo Prin
CIPI AC REVE-
rendissimo Cardinali Henrrico
Lusitaniae Infanti, Archi
episcopo Eboracensi,
Summo fidei Catho
licae cognitori.

Iohannes Fernandus Rhetor
Regius, aeternam exoptat
felicitatem.

aa iiij r Eloquentia, clarissime Princeps, siue ea coniuncta sit cum sapientia, siue (ut sunt liberae animi nostri cogitationes) ab illa secernatur, semper naturae quodam arcano ducta et instinctum hu-/mano generi summopere placuit. Est enim non traditum, sed insitum, non commendatum, sed innatum, uel Scythas, uel Garamantas eloqui malle quam loqui.

(aa iiij v)

Quis enim sit uel quamlibet tetricus et barbarus homo, non cuperet subire leniter auditorum animos, ui etiam penetrare, incendere et mouere, illudque Euangelii elogium audire: uerba uitae habes? Multos quidem nouimus plenis, quod dicitur, tibiis in eloquentiam probra et conuitia intonantes, qui tamen mirum sibi in modum placebant, si quando bene dixisse usu uenirɐt. Sit hoc igitur eloquentiae praeconium.

Pietas tamen, morum probitas et compositio quibus recta itur ad Deum, non solum apud uiros religione Christiana instructos, uerum etiam apud Ethnicos, qui lon/go interuallo distabant ab Euangelio, semper eloquentiae praeponebantur. Possem multis

(aav r)

2-3 libere/cogitationis
19 euangelii
25 deum
26 ethnicos
27 euangelio

classicorum autorum sententijs fulcire quod proposui. Vnus tamen Fabius mihi pro multis est. Is, in oratoriis institutionibus, quamquam bene uiuere, et recte dicere iniuncta atque indiscreta putet, cum orator esse non possit, qui uir bonus non sit, multo tamen potiorem honeste uiuendi, quam uel optimae dicendi rationem habet. Quid habiturus si cum eloquentia pietatem Christianam componeret? Mallet profecto non solum non loqui, sed stridere cum troglodytis aut cum piscibus perpetuo silere quam cum Demosthene, cum Cicerone, cum ipsis denique angelorum linguis, latum unguem aut digitum
(aav v) transuersum discedere a pietate. Quod nequis / somnium putet, legat illa eiusdem autoris uerba quae iam olim in hunc usum qua interdum illustratur oratio et subdit: "Opus est modo, ut neque crebra sint haec, neque manifesta. Quia nihil est odiosius affectatione. Neque utique ab ultimis et iam obliteratis repetita temporibus. Qualia sunt toper, et antigerio, et exanclare, et prosapia, et saliorum carmina uix sacerdotibus suit satis intellecta. Sed illa mutari uetat religio et consecratis utendum est." Hactenus Fabius.

Vtinam, clarissime princeps, multis qui hac nostra misera aetate omnia perturbant, haec Fabij sententia sedere coepisset. Multo haberet profecto melius Christiana Respublica,
(aavi r) melius praesentibus et posteris / consuleretur. Fabius saliorum carmina ueneratur. Fabius non intellectas uoces osculatur. Fabius consecratis utitur. Et nos Christiani, tanto melioribus initiati sacramentis, uel Christum ipsum sumus abiuraturi nisi loquatur Ciceroniane. Sacra omnia exauctoramus, tantum abest utamur consecratis. Vt primas igitur tenet pietas, ita secundas habet eloquentia, si pietati seruiat. Atqui seruit tunc maxime cum primis annis una cum pietate traditur. Nam ut lanarum illi primi colores uix eluuntur, ita sane quae recenti pueritiae infunduntur nunquam obliterantur.

Attigisset hunc scopum feliciter Erasmus hoc maxime colloquiorum opere, si dum euellendae superstitioni dat operam minus,
(aavi v) quod non arbitror ex animo factum, pietatem offendisset./ Nam quemadmodum difficilis est interdum matrimonio Hieronymus, dum illi, ut par est, praefert uirginitatem, sic Erasmus pietatem laedere uidetur quo magis studet extirpare superstitionem. Et

---

9 Demonsthene
19 Inst. Or., I.6.40
22 meliu[s]/R.P.
27 exautoramus
28 consecretis

ut ingenue loquar: Homini erudito, et citra controuersiam catholico, quod declarant aediti in Lutherum libri, et mors pio homine digna, ut non defuit animus propensus in orthodoxas partes, ita desideratur delectus quidam in uerbis quibus longe aliud asserere uidetur, quam forsan mente conceperat. Huius rei candidis ingenijs argumento esse possunt hominis apologiae, quibus sic respondet obiectis, ut protinus inficietur tale quip piam sensisse, quale obiectant aduersarij. Docetque non semel (aa vij r) alijs in locis Catholicae Ecclesiae / subscripsisse, nec in dubium uocasse quod nunc imponebatur. Quod quidem dum fit, animus uidetur haeresi, qui nihil pertinaciter asseuerat. At quid facias, cum e uerbis interdum inordinate prolatis incidas in haeresim, ut ex Hieronymo censet Lombardus sententiarum rapsodos? Qui rursus cum multi impingant, uel non assequentes sensum qui tegitur in dialogis diuersitate personarum, uel plane non expendentes quid quodcunque in loco decorum postulet.Hoc est, quod praestare conamur hoc in opere, princeps serenissime, tollere nonnulla, quae etiamsi pietati Christianae non repugnent, praebent tamen scandalum etiam non pusillis. Alia interpretari ex ipsius Erasmi apologijs alijsue operibus, mollire nonnulla et conuitia quae/dam, atque strophas quae non decerent tantum uirum, ita extinguere, ut nullus hominum ordo, nulla conditio impeti uideatur, quin potius omnes doctissimi uiri manibus bene precentur. (aa vij v)

Vtimur ex industria eiusdem sententiis, et honestis salibus, selectis uocibus, phrasibus, ac prouerbiis, quo magis ipse loqui uideatur. Et interdum tam paucis res quasdam perstingimus, ut uix quicquam mutatum uideatur. Nonnulla etiam expunximus colloquia, quod non possemus paucis resarcire. Pro quibus in contrarias partes quaedam nostra substituimus, si non tam facunda, magis tamen et pie et ciuiliter concinnata. Hoc tamen paucis admodum locis factum est, quod non putemus usque adeo gloriosum in alieno opere ingeniosos uideri. Nec hoc quidem ag/grederemur, nisi rector noster uigilantissimus Episcopus Thomensis, idem per celsitudinem tuam de fidei catholicae causis cognitor integerrimus hoc nobis opus iniunxisset. Vidit ille prudenter si paucis mederemur futurum ut pietas cum eloquentia primis uitae rudimentis biberetur. (aa viij r)

---

5 forssam
9 ecclesiae

Consecrauimus itaque hos nostros in alieno opere labores serenissimo Principi nostro Ioanni, ex fratre tibi nepoti charissimo; consecraturi postea peculiares quosdam nostros quos in Genesim desudauimus. Id tamen quando sine nutu tuo fieri non potest apud cuius excelsum tribunal de fide catholica agitur, hoc totum quale quale est Ecclesiae uniuersali, tuaeque censurae sumissimus qui eos uiros consuluimus, quos huic (aa viij v) negotio praefeceras. Licet igitur per tuam / humanitatem, serenissime Princeps, tantis rei latinae commoditatibus ingenuam pueritiam non destitui. Vale in Christo, Princeps et praesul clarissime. /

---

6 ecclesiae
10 Chri

FAMILIARIA
COLLOQVIA IN PRI
MO CONGRESSV.

LB
629-639
ASD
125-146

1r Non temere docet quidam, vt salutemus libenter. Comis e
5 nim et blanda salutatio saepe conciliat amicitiam, inimicitiam diluit, certe mutuam beneuolentiam alit, augetque. Quidam vsque adeo Demeae sunt, ingenioque agresti, vt vix salutati resalutent.

Nonnullis hoc vitij conciliauit educatio verius quam na
10 tura.

Vrbanitatis est salutare obvios, aut eos qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloquendi gratia. Item operis aliquid agentes, coenantes, oscitantes, singultientes, sternuantes, tussientes. In ructu crepituue ventris salutare, hominis est
15 plus satis vrbani.

Sed inciuilius etiam eum salutare, qui reddit vrinam, aut aluum exonerat. Salue pater, salue matercula, salue mi frater, salue praeceptor obseruande, salue multum mi patrue, salue dulcissime nepos.

20 Vrbanum est addere cognitationis aut affinitatis titulum, nisi cum habent aliquid odij, tum enim praestat abuti
(1v) minus quidem proprijs, sed plausibilio/ribus. Veluti cum nouercam salutamus matrem, priuignum filium, vitricum patrem,
25 sororis maritum fratrem, fratris vxorem sororem. Iam in aetatis aut officiorum titulis faciendum. Gratius enim fuerit, si senem patrem aut virum eximium salutes, quam aetatis cognomine, salue praefecte, salue tribune. Non autem salue caligarie aut calcearie. Salue adolescens, salue iuuenis. Senes
30 ignotos adolescentes filiorum cognomento salutant, adolescentes vicissim illos patres aut dominos.

BLANDIOR SALVTATIO INTER AMANTES

mea Corneliola
mea vita
mea lux
meum delicium
meum suauium
Salue mel merum
mea voluptas vnica
meum corculum
mea spes
meum solatium
meum decus.

HONORIS GRATIA, AVT SECVS./

2r Salue here. Ohe salue tu quoque bone vir. Salue vir ornatissime, clarissime. Salue etiam atque etiam literarum decus. Salue plurimum amicorum optime. Salue Mecoenas. Salue patrone singularis. Salue vir spectatissime. Salue vnicum huius aetatis ornamentum. Salue Germaniae delicium. Saluete quotquot estis vna salute omnes. Saluete pariter omnes. Saluete belli homunculi. Saluete congerro lepidissime. Saluete vini pernicies.

RESP. Salue et tu gurges helluoque placentarum. Salue multum virtutis omnis antistes.

RESP. Salue tantumdem totius probitatis exemplar. Salue auicula annos nata quindecim.

RESP. Salue puella annorum octoginta. Bene sit tibi cum tuo caluitio.

RESP. Bene tibi cum lacero naso. Vt salutaris, ita resalutaberis. Si male dixeris, peius audies. Salue iterum atque iterum.

RESP. Et tu salue perpetuum. Salue plus milies.

RESP. Equidem malim saluere semel. Salue quantum vis.

RESP. Et tu quantum mereris. Saluere te iubeo.

RESP. Quid si nolim? Equidem aegrotare malim, quam tua

---

21 saluete omnes.

salute saluere.

	Sanctitas	
	Amplitudo	magis vulgo
Salua sit tua	Celsitudo	recepta sunt
	Maiestas	quam probata
	Beatitudo	doctis./
	Sublimitas.	

(2v)

IN TERTIA PERSONA

Sapidus Erasmo suo salutem dicit. Sapidus Beatum suum plurima salute impartit.

ALIA FORMA

Saluus sis Crito. Bene tibi sit vir optime.

RESP. Et tibi melius."Pax tibi frater" Christiana salutatio est, a Iudaeis profecta, neque tamen repudianda. Similis: Bona vita. Aue praeceptor.

RESP. Equidem malim habere, quam auere. Χαῖρε.

RESP. Memento te Basileae esse, non Athenis.

RESP. Quur tu igitur audes Romanae loqui, quum Romae non sis.

BENE PRECANDI FORMULAE

Et bene precari salutationis genus est.

GRAVIDAE

Faxit Deus, vt feliciter parias, vt maritum pulchra prole facias parentem. Faxit illa Virgo mater, vt feliciter fias mater. Precor vt hic tumor vteri feliciter subsidat. Velint superi vt non maiore molestia elabatur, quam illapsum est, quicquid est hoc oneris, quod gestas. Donet tibi Deus felix puerperium.

CONVIVIS

Sit felix conuiuium. Bene sit vniuerso coetui. Precor omnia laeta vobis omnibus. Deus bene fortunet vestrum conuiuium.

STERNVTANTI/

3r Sit faustum ac felix. Seruet te Deus. Sit salutiferum. Bene vertat Deus.

AVSPICANTI QUIPPIAM

Sit felix et faustum Reipublicae. Bono sit omnibus quod instituis. Bene vertat, quod agis. Bene fortunet Deus tuos labores. Faueant superi tuis conatibus. Quaeso vt quod instituisti superis bene fortunantibus, feliciter absoluas. Bene fortunet Christus Optimus Maximus quod in manibus est. Feliciter cedat quod instituisti. Feliciter exeat quod aggressus es. Rem sanctam aggressus es, precor vt felix sit exitus ac prosperum numen aspiret pulcherrimis coeptis. Christus bene coepta secundet. Prospere succedat quod auspicatus es. Deum Optimum Maximumque precor, vt istud consilium quam est honestum , tam sit et felix. Bonis auibus coepta res melioribus exeat. Precor vt bonis auibus Italiam adeas, melioribus redeas. Opto tibi felicem cursum, et recursum feliciorem. Faxit Deus vt itinere hoc feliciter peracto, breui tibi prosperum reditum gratulemur. Sit iter laetum, reditus laetior. Vtinam ista profectio tibi succedat ex animi tui sententia. Vtinam tibi tam iocunda sit ista profectio, quam nobis erit interim molestum tui desiderium. Bonis auspicijs soluas ancoram. Pre-
(3v) cor vt ex vtriusque votis / succedat hoc iter. Precor vt hic contractus commodo bonoque sit vtriusque. Precor vt hoc matrimonium voluptati sit omnibus nobis. Sospitet te Iesu Optimus Maximus. Superi propitij te nobis incolumen restituant. Seruet te Deus animae dimidium. Opto tibi reditum incolumen. Precor vt hic annus tibi letis auspicijs ineat, laetioribus procedat, laetissimis exeat ac saepius recurrat semper felicior.

RESP. At ego vicissim tibi multa saecula felicissima precor, ne tu gratia sis nobis bene precatus. Precor vt hic dies tibi candidus illuxerit. Precor vt hic tibi felix surrexerit.

RESP. Tantudem tibi reprecor sit felix exortus huius diei et sit vtriusque nostrum prosperrimus. Opto tibi noctem prosperam , pater. Precor tibi noctem placidam. Contingat tibi felix somnus. Det Deus placidam quietem. Det somnum absque

---

5 Reip
9 Opt Max
14 Opt

somnijs. Faxit Deus vt aut placide dormias aut feliciter somnies. Sit tibi fausta nox.

RESP. At ego tibi quando gaudere soles lucro, pro vna fausta mille precor faustissimas.

VALE IN DIGRESSV

Valete omnes. Bene vale. Cura vt quam rectissime valeas. Valetudinem tuam cura diligenter. Iubeo te bene valere. Iam me tempus alio vocat, tu valebis. Valeto quam optime. Vale
4r pancratice, / aut si mauis athletice. Vale vt dignus es. Vale vt meritus. In hoc biduum valebis. Si me dimittis, valebis in crastinum. Nunquid vis? Est aliud quod me velis.

RESP. Nihil nisi vt prospere valeas. Da operam vt sis prospera valetudine. Age curam valetudinis tuae. Habe curam salutis tuae. Fac vt proximo congressu te laetum ac nitidum videamus. Iubeo te curare cuticulam. Cura vt sit mens sana in corpore sano. Da operam vt totus valeas, tum corpore, tum animo.

RESP. Dabitur quidem opera. Valebis tu quoque. Tibi vicissim precor prosperam valetudinem.

SALVTARE PER ALIVM

Frobenium iubetis meo nomine saluere plurimum Erasmiolum item mea causa salutabis diligenter. Tum matri Gertrudi quam potes officiosissime, ex me salutem dicito. Dic me omnibus omnia laeta precari. Salutabis mihi sodalitatem diligenter. Amicos omnes meis verbis salutato. Vxori salutem ex me annunciabis, fratri tuo in literis tuis meo nomine salutem asscribes. Mei vice salutabis affinem meum. Nunquid quis mandas per me?

RESP. Vt recte valeant. Estne quod velis ad tuos perferri meo nuncio?

RESP. Multam salutem omnibus, sed praecipue patri. Sunt quos per me tuo nomine velis salutatos?

(4v) RESP. Omnes qui de me perconta/buntur. Salutem quam mihi ab amicis attulisti, illis multo cum foenere referes. Quorum nomine mihi salutem attulisti, hos omneis mea gratia vicissim salutabis accurate. In amicis salutandis sis quaeso mihi vicarius. Salutassem generum meum per literas, sed tu mihi apud illum epistolae vice fueris. Heus heus,quo properas?

RESP. Recta Louanium. Resiste paulisper est quod tibi mandem.

RESP. Atqui pediti non conueniet sarcina. Quid rei est?

RESP. Vt Glocenium, Rutgerum, Ioannem Campensem, totumque chorum trilinguem mihi salutes.

RESP. Si nihil aliud imponis sarcinae praeter salutes, facile perferam. Atqui ne gratis isthuc facias, precor vt tibi quoque eunti ac redeunti salus sit comes.

REDVCEM QVOMODO SALVTARE OPORTEAT

Saluum te aduenire gaudemus. Hospitem adesse volupe est. Te nobis reditum esse voluptati est. Gratulamur tibi felicem reditum. Gratia superis, quod nobis incolumis redieris. Quo molestius fuit nobis tui desiderium, hoc redditus conspectus tui iucundior est. Gratulamur et tibi et nobis, quod viuus ac valens nobis restitutus sis. Hoc redditus tuus est nobis iucundior, quo minus expectatus.

RESP. Ego vicissim laeteor quod incolumis vos incolumes offenderim. Quod te saluum repererim, / vehementer gaudeo. Non viderer mihi rediisse saluus, nisi vos saluos reperissem. Nunc demum mihi vereor, sospes, cum vos incolumes ac pulchre valentes conspicio.

PERCONTANDI FORMA IN PRIMO CONGRESSV
GEORGIVS, LIVINIVS

GEORGIVS. Ex qua tandem corte aut cauea nobis ades?

LIVINIVS. Quid ita?

GEORGIVS. Quia male saginatus. Quia macie pelluces totus, ariditate crepitas. Vnde prodis?

LIVINIVS. E collegio montis acuti.

GEORGIVS. Ergo ades nobis onustus literis.

LIVINIVS. Imo pediculis.

GEORGIVS. Pulchre comitatus aduenis.

LIVINIVS. Sane, nec tutum est nunc viatorem ire incomitatum.

GEORGIVS. Agnosco satellitium scholasticum. Ecquid nouarum rerum adfers e Lutetia?

LIVINIVS. Illud in primis, quod scio, tibi videbitur incredibile. Lutetiae Beta sapit et Quercus concionatur.

GEORGIVS. Quid narras?

LIVINIVS. Hoc quod audis.

GEORGIVS. Quid ego audio?

LIVINIVS. Hoc quod narro.

GEORGIVS. Monstri simile. Oportet illic fungos et lapides esse auditores, vbi tales concionentur.

LIVINIVS. Atqui sic res habet. Nec audita narro, sed comperta.

GEORGIVS. Oportet igitur illic plurimum sapere homines, si sapit Beta et Quercus.

LIVINIVS. Recte coniectas.

ALIA

GEORGIVS. Valesne?

LIVINIVS. Contemplare vultum.

(5v) GEORGIVS. Quin / magis lotium iubeas? An me putas medicum? Non rogo, qui valeas, nam facies ipsa loquitur te belle valere, sed quomodo tibi placeas.

LIVINIVS. Corpus quidem belle habet, sed animo male est.

GEORGIVS. At non valet qui isthac parte laborat.

LIVINIVS. Sic res habent meae. Corpus valet, sed aegrotae crumena.

GEORGIVS. Facile isti morbo medebitur mater. Vt valuisti vsque?

LIVINIVS. Varie, vt sunt res mortalium.

GEORGIVS. Satin recte vales? Saluane res? Fuistine semper prospera valetudine?

LIVINIVS. Prosperrima, gratia superis. Ego Dei beneficio perpetuo bellissime valui. Semper prospera valetudine sum usus. Hactenus bona valetudine fui, fausta, incolumi, felici, prospera, secunda, integra, basilica, athletica, pancratica valetudine.

GEORGIVS. Faxint superi vt isthuc sit perpetuum ac proprium. Laetus isthuc audio. Voluptatem mihi nuncias. Est isthuc mihi auditu perquam iucundum. Sermonem istum ex te audire supra modum gaudeo. Isthuc haud inuitus audio. Oppido laetor isthuc audire ex te. Vt idem semper facias opto. Vt ad istum modum quam diutissime valeas opto. Tibi gratulor, mihi gaudeo. Gratia superis. Gratiam habeo superis.

LIVINIVS. Equidem pulchre valeo, si tu vales.

GEORGIVS. Nihil interim molestiae fuit?

LIVINIVS. Nihil nisi quod vestra consuetudine frui non licuit.

6r GEORGIVS. Quo pa-/to vales?

LIVINIVS. Recte, pulchre, belle, perbelle, bellissime, perpulchre, feliciter, commode, minime male. Valeo vt volo potius quam vt mereor, basilice, pancratice, athletice.

GEORGIVS. Expectabam vt diceres etiam taurice.

MALE VALERE

GEORGIVS. Rectene vales?

LIVINIVS. Vellem quidem. Non admodum ex sententia. Equidem cunque valeo. Sic satis. Valeo vt possum, quanto vt volo non licet. Vt soleo. Ita vt superis visum est. Non optime sane. Sic vt antehac peius nunquam. Valeo vt solent quibus cum medicis res est.

GEORGIVS. Vt vales?

LIVINIVS. Secus quam vellem.

GEORGIVS. Qua valetudine es?

LIVINIVS. Haud sane commoda, incommoda, perquam incommoda, infelici, parum prospera, parum secunda, mala, aduersa, infausta, imbelli, dubia, mediocri, vix mediocri, longe alia quam velle, tolerabili, qualem optem hostibus meis.

GEORGIVS. Rem mihi sane quam acerbam narras. Prohibeant superi. Auertat Deus. Bona verba. Hic cupiam te vanum esse. Bono sis animo oportet. Forti, infractoque sis animo. Multum iuuat animus in re mala bonus. Fulciendus est animus spe fortunae secundioris. Quid morbi est? Quod mali genus est? Quis te morbus habet? Quo morbo teneris? Quid habes morbi? Quis te tenet morbus?

LIVINIVS. Nescio et hoc laboro periculosius.

(6v) GEORGIVS. Verum. Nam / ad sanitatem gradus est, nouisse morbum. Nullosne consuluisti medicos?

LIVINIVS. Et quidem permultos.

GEORGIVS. Quid respondent?

LIVINIVS. Id quod aduocati Demiphoni apud Comicum, alius negat, alius ait, alius deliberandum censet. In hoc consentiunt omnes, me miserum esse.

GEORGIVS. Quam pridem habet te hoc mali? Diu est, quod teneris isto morbo? Quantum temporis est, quod te malum hoc corripuit.

LIVINIVS. Dies plus minus viginti. Ferme mensis est. Iam tertius est mensis. Mihi quidem seculum videtur, quod aegrotare coepi.

GEORGIVS. Adnitendum censeo ne morbus fiat familiaris.

LIVINIVS. Iam nimium assueui.

GEORGIVS. Num est hydrops?

LIVINIVS. Negant.

GEORGIVS. Num dysenteria?

LIVINIVS. Non arbitror.

GEORGIVS. Num febris?

LIVINIVS. Opinor febris esse speciem, sed nouam, vt nunc noui subinde morbi exoriuntur, antehac incogniti.

GEORGIVS. At plus satis erat veterum?

LIVINIVS. Ita visum est naturae nimium nouercae.

GEORGIVS. Quoto die recurrit dolor?

LIVINIVS. Quoto die narras? Imo quotidie saepius, quam Euripus.

GEORGIVS. Pape,malum abominandum. Vnde contraxisti morbum? Vnde suspicaris hoc esse collectum mali?

LIVINIVS. Ex inedia.

GEORGIVS. At non soles vsque adeo religiosus esse, vt te ieiunio macerares?

LIVINIVS. Non erat religio, sed inopia.

GEORGIVS. Quaenam?

LIVINIVS. Quia non dabatur cibus. E frigore natum arbitror. E putribus ouis morbum ortum suspicor. Et vino plus satis diluto. / E crudis malis contracta est stomachi cruditas. 7r

GEORGIVS. Vide ne ex immodico, aut intempestiuo studio conciliaris hoc mali, aut ex potatione largiore, aut venere parum moderata. Quin accersis medicum?

LIVINIVS. Timeo ne citius morbum augeat, quam adimat. Metuo ne pro remedio edat venenum.

GEORGIVS. Deligendus est igitur cui tuto fidas.

LIVINIVS. Si moriendum est, malo semel mori, quam tot pharmacis excarnificatus.

GEORGIVS. Fac igitur vt ipse tibi sis medicus. Si diffidis homini medico, precor vt sit tibi medici vice Deus. Sunt qui tecti cuculla Dominicali aut Franciscana reualuerunt.

LIVINIVS. Non damno hominum affectus praesertim in re pia. Permittamus quemque suo in his sensu abundare. Habeant modo ad pietatem pectus syncera fide instructum. Nam ista diffi-

---

35 LIV. Idem fortassis euenisset, si lenonis pallio tecti fuissent. Verum (1533, p. 17) IF mut. (ASD, p.134)

denti nihil conducunt.

GEORGIVS. Fide igitur vt reuiuiscas. Alij morbo leuati sunt, nuncupatis alicui diuo votis.

LIVINIVS. At ego cum diuis non paciscor.

GEORGIVS. ‡ Damnas igitur pios in diuos affectus. Et nihil posse apud Deum plane asseueras.

LIVINIVS. Absit imo quorundam stultitia, qui cum pauperes ita sint, vt soluendo non sint, praestetque magis diuorum vitam imitari, quam illis vel sexcentas statuas erigi, non arbitrantur aliter eorum posse sese fauorem implorare quam si statuas aureas illis polliceantur. Volo igitur aureos sta-
(7v) re diuos eburneos aut <auricomos>, / templa et aras illis erigi, sollicitari ad opem humanum et Dei benignitatem per illos implorari. Absit modo superstitio, et non improbetur ille qui recta tendit ad Christum. ‡

GEORGIVS. Proinde tu vel a Christo, cui fidis, pete sanitatis beneficium.

LIVINIVS. At ego an beneficium sit, nescio.

GEORGIVS. An non beneficium est liberari morbo?

LIVINIVS. Nonnunquam mori felicius est. Ab illo nihil peto, nisi vt quod scit optimum esse, mihi largiatur.

GEORGIVS. Sume quod aluum deijciat.

LIVINIVS. Iam sua sponte cita est.

GEORGIVS. Ciendus est aluus. Mouendus est aluus.

LIVINIVS. Imo sistendus est magis. Nam plus satis profluit.

ALIA

GEORGIVS. Fuitne tibi hoc iter faustum et commodum?

LIVINIVS. Sic satis, nisi quod nihil vsquam tutum est a latronibus.

GEORGIVS. Hic est belli ludus.

LIVINIVS. Sed sceleratissimus.

GEORGIVS. Pedes aduentis, an eques?

LIVINIVS. Partim pedestri itinere, partim vehiculo, partim equo, partim nauigio.

GEORGIVS. Quo in statu sunt res Gallicae?

LIVINIVS. Sane turbulento. Magnae bellorum minae sunt. Quid mali allaturi sint hostibus, nescio; certe Galli iam ipsi

---

7 stultitiam
12 -s aut nicamo scribitur manu/reos templa/illiierigi
5-15 IF add.

non dicendis malis afliguntur.

GEORGIVS. Vnde profiscuntur isti bellorum tumultus?

LIVINIVS. Vnde nisi ex ambitione Monarcharum?

GEORGIVS. At horum prudentia conueniat sedari rerum humanarum tempestates.

8r LIVINIVS. Sedant illi quidem, sed vt / Auster mare. Persuadent sibi se deos esse, suaque causa mundum hunc esse conditum.

GEORGIVS. Imo princeps reipublicae gratia constituitur, non respublica principis causa.

LIVINIVS. Imo non desunt Theologi, qui frigidam suffundant et ad hos tumultus classicorum canant.

GEORGIVS. Istos ego statuerem in prima acie.

LIVINIVS. At illi sibi cauent post principia.

GEORGIVS. Ista publica satis curanda relinquamus. Tuae res quo tandem in statu sunt?

LIVINIVS. Optimo, felici, mediocri, tolerabili.

GEORGIVS. Quo pacto se res habent tuae? Num ex voto?

LIVINIVS. Imo supra votum, supra meritum, supra spem.

GEORGIVS. Satin em sententia? Satin salua omnia? Satisne prospera omnia?

LIVINIVS. Res in peiore statu esse non potest. Peiore in loco negocium non potest esse.

GEORGIVS. Non cepisti igitur, quod captabas? Non contigit praeda quam venabaris?

LIVINIVS. Venabar equidem, sed irata Delia.

GEORGIVS. Nihil reliquum est spei?

LIVINIVS. Spei permultum, sed rei nihil.

GEORGIVS. Episcopus nihil ostendit spei?

LIVINIVS. Tota plaustra, totas naues, sed praeterea nihil.

GEORGIVS. Nihil adhuc misit?

LIVINIVS. Promisit quidem largiter, at me teruncium quidem misit.

GEORGIVS. Ergo spe alendus est animus.

LIVINIVS. Sed hac non saginatur venter. Qui spe aluntur, pendent, non viuunt.

GEORGIVS. Sed hoc eras ad iter expeditior, quod nihil esset oneris in zona.

(8v) LIVINIVS. Fateor, atque etiam tutior. / Nulla enim sunt arma certiora aduersus latrones. Sed ego malim et onus et periculum.

---

7 caussa

[GEORGIVS]. Nihilne tibi ademptum est in via?

LIVINIVS. Mihine? Quaeso quid eripias nudo? Alijs citius periculum erat a me. Licuit mihi vacuo viatori per totum iter canere et esurire. Nunquid vis?

GEORGIVS. Quo nunc hinc abis?

LIVINIVS. Recta domum, saluaturus penates, iam diu non visos.

GEORGIVS. Precor vt illic offendas omnia laeta.

LIVINIVS. Vtinam ita velint superi. Nihil interim extitit noui domi nostrae?

GEORGIVS. Nihil, nisi quod reperies aucta familiam. Nam tua Catulla peperit tibi catulum absenti. Tua Gallina peperit tibi ouum.

LIVINIVS. Bene nuncias. Grata nuncias. At ego tibi pro isthoc nuncio policeor Euangelium.

GEORGIVS. Quodnam? secundum Mathaeum?

LIVINIVS. Non, sed secundi Homerum. En accipe.

GEORGIVS. Tibi serua tuum euangelium. Mihi saxorum satis est domi.

LIVINIVS. Ne sperne munusculum. Aetites est, qui grauidis admotus in nixu, maturat partum.

GEORGIVS. Quid ais? Est mihi sane gratissimum. Dispiciam, vnde possim hoc donum pensare.

LIVINIVS. Abunde pensatum puta, si boni consuleris.

GEORGIVS. Imo nihil accidere potuit magis in tempore. Nam vxori meae iam pridem tumet vterus.

LIVINIVS. Illud igitur abs te stipulabor, ut si masculum aediderit, me susceptorem asciscas.

GEORGIVS. Polliceor, actuum indetur nomen.

LIVINIVS. Quod vtriusque bene vertat.

GEORGIVS. Imo nobis omnibus. /

9r PERSONAE: MAVRICIVS, CYPRIANVS

MAVRICIVS. Redisti nobis obesior solito. Redisti proterior.

CYPRIANVS. At equidem mallem prudentior, aut doctior.

MAVRICIVS. Imberbis abieras, redisti barbatulus. Contraxisti tibi absens nonnihil senij. Quid sibi vult hic pallior? quid macies? quid frons caperata?

---

1 periculum. Nihilne tibi

CYPRIANVS. Vt est fortuna, sic est corporis habitus.

MAVRICIVS. Num aduersa?

CYPRIANVS. Nunquam mihi quidem alias secunda, sed nunquam quam nunc reflauit odiosius.

MAVRICIVS. Doleo vicem tuam. Dolet mihi tua calamitas. Sed quid isthuc mali est?

CYPRIANVS. Vniuersae pecuniae naufragium feci.

MAVRICIVS. In mari?

CYPRIANVS. Non, sed in litore, nondum nauem ingressus.

MAVRICIVS. Vbinam?

CYPRIANVS. In litore Britannico.

MAVRICIVS. Bene habet quod ipse nobis viuus anatasti. Praestat pecuniae iacturam facere, quam vitae. Leuius est pecuniae dispendium, quam famae.

CYPRIANVS. Vita famaque incolumi, perijt pecunia.

MAVRICIVS. Vita sarciri nullo pacto potest, fama aegre potest, pecunia facile aliunde sarcietur. Qui malum hoc accidit?

CYPRIANVS. Nescio, nisi quod sic erat in fatis meis. Sic visum est superis. Sic libuit genio meo malo.

MAVRICIVS. Vides igitur doctrinam ac virtutem tutissimas esse diuitias, quae nec eripi possunt, nec grauant circumferentem.

CYPRIANVS. Pulchre tu quidem philosopharis, sed interim ego tingor. /

(9v)

ALIA

PERSONAE: CLAVDIVS, BALBVS

CLAVDIVS. Gratulor tibi reduci, Balbe.

BALBVS. Et ego tibi superstiti, Claudi.

CLAVDIVS. Gratulor tibi in patriam reuerso.

BALBVS. Imo gratulare magis e Gallia profugo.

CLAVDIVS. Quid ita?

BALBVS. Quia illic bellis seruent omnia.

CLAVDIVS. Quid Musis cum Marte?

BALBVS. Atqui illic ne Musis quidem parcitur.

CLAVDIVS. Tu igitur feliciter elapsus es.

BALBVS. At non sine periculo.

CLAVDIVS. Totus alius nobis redisti.

BALBVS. Qui sic?

9,11 littore

CLAVDIVS. Ex Hollando versus es in Ballum.

BALBVS. Quid? an capus eram cum hinc abirem?

CLAVDIVS. Vestis indicat mutatum ex Batauo in Gallum.

BALBVS. Hanc metamorphosin malim quam in gallinam. Sed vt cuculla non facit monachum, ita nec vestis Gallum.

CLAVDIVS. Iamne calles Gallice?

BALBVS. Sic satis.

CLAVDIVS. Quo pacto didicisti?

BALBVS. A magistris haud quaquam mutis.

CLAVDIVS. Quibus?

BALBVS. A mulierculis quouis turture loquacioribus.

CLAVDIVS. In tali ludo facile discimus loqui. Sonasne probe sermonem Gallicum.

BALBVS. Imo et Latinum sono Gallice.

CLAVDIVS. Nunquam igitur scribes bona carmina.

BALBVS. Quur ita?

CLAVDIVS. Quia perijt tibi syllabarum quantitas.

BALBVS. Mihi satis est qualitas.

CLAVDIVS. Quid? Estne Lutetia immunis a pestilentia?

BALBVS. Non est, sed perpetua non est; aliquando remittit sese, mox recrudescit, nonnunquam intermit-/10r titur, deinde recipit sese.

CLAVDIVS. Non sat erat malorum, vbi bellum est?

BALBVS. Erat, nisi secus esset visum superis.

CLAVDIVS. Annonae caritatem isthic esse oportet.

BALBVS. Imo penuriam. Omnium rerum illic inopia est, praeterquam sceleratorum militum. Bonorum virorum illic mira vilitas.

CLAVDIVS. Quid accidit Gallis? vt bellum suspicant cum Aquila?

BALBVS. Quia mouet illos exemplum scarabaei, qui non cessit aquilae. In bello nemo sibi non videtur Hercules?

CLAVDIVS. Non te remorabor diutius. Alias latius nugabimur, quum erit vtrique commodum. Nunc alio me vocant negocio-/ la quaedam.

DOMESTICA CONFABVLATIO

PERSONAE: PETRVS, MIDA PVER, IODOCVS

PETRVS. Heus, heus puer, nemon' huc prodit?

---

4 Metamorphosin
31 Scarabaei

MIDA. Hic opinor effringet fores. Familiarem oportet esse. O lepidum caput. Quid adfers, mi Petre?

PETRVS. Meipsum.

MIDA. Nae tu haud magni precij huc attulisti.

PETRVS. Atqui magno constiti patri meo.

MIDA. Credo, pluris quam reuendi possis.

PETRVS. Sed Iodocus estne domi?

MIDA. Incertus sum, sed visam.

PETRVS. Quin tu potius abi, et roga ipsum an velit nunc esse domi.

MIDA. Abi tu potius, sisque tibi ipsi Mercurius.

PETRVS. Heus Iodoce, num es domi?

IODOCVS. Non sum.

(10v) PETRVS. Impudens, non ego audio / te loquentem?

IODOCVS. Imo tu impudentior. Nuper ancillae tuae credidi te non esse domi, et tu non credis mihi ipsi?

PETRVS. Aequum dicis, par pari relatum.

IODOCVS. Equidem vt non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi. Tibi posthac semper ero.

PETRVS. Sed tu mihi videre cochleae vitam agere.

IODOCVS. Quid sic?

PETRVS. Quia perpetuo domi latitas, nec vsquam prorepis. Non secus atque claudus sutor, iugiter domi desides. Tu tibi domi situm contrahis.

IODOCVS. Est quod agam domi, foris nihil est negocij. Et si quid esset, tamen hoc caelum me dies aliquot a publico cohibuisset.

PETRVS. At nunc sudum est, et inuitat ad deambulandum. Vide vt blanditur.

IODOCVS. Si prodeambulare lubet, non recuso.

PETRVS. Plane videtur hoc vtendum coelo.

IODOCVS. Asciscendus est vnus aut alter congerro.

PETRVS. Fiet, modo dicas quod velis.

IODOCVS. Quid si Hugonem?

PETRVS. Haud multum interest inter Hugonem et nugonem.

IODOCVS. Age placet.

PETRVS. Quid si Alardum?

IODOCVS. Homo minime mutus est. Quod auribus diminutum est lingua pensat.

PETRVS. Si videtur, Neuium adiungemus.

IODOCVS. Siquidem dabitur illius copia, nunquam erit fabularum inopia. Placent confulabones, superest vt locum dispi

cias amoenum.

PETRVS. Ego vero tibi locum ostendam, vbi nec nemoris
11r vmbram, nec pratorum smaragdinum vi-/rorem, nec fontium viuas scatebras desiderabis. Dicas dignam Musis sedem.

IODOCVS. Magnifici polliceris.

PETRVS. Nimium affixus es libris. Nimium assides libris. Immodico studio te maceras.

IODOCVS. Malim studio macrescere, quam amore.

PETRVS. At non ideo viuimus, vt studeamus, sed ideo stu
demus, vt suauiter viuamus.

IODOCVS. Mihi vero vel immori chartis dulce est.

PETRVS. Equidem immorari probo, immori non probo. Ecquid voluptati fuit haec deambulatio?

IODOCVS. Me quidem vehementer oblectauit.

ALIA

PERSONAE: AEGIDIVS, LEONARDVS

AEGIDIVS. Quo noster Leonardus?

LEONARDVS. Ad te ibam.

AEGIDIVS. Istud quidem insolens.

LEONARDVS. Quam ob rem?

AEGIDIVS. Quia iam annus est, quod nos non viseris.

LEONARDVS: Malo in hanc peccare partem, vt desiderer, quam vt obtundam.

AEGIDIVS. Imo boni amici nulla est apud me satietas. Imo quo crebrius venies gratior.

LEONARDVS. Quid interim agitur domi tuae?

AEGIDIVS. Multa sane, quae nolim.

LEONARDVS. Non miror. Sed iam ne peperit vxor?

AEGIDIVS. Iamdudum, et quidem gemellos.

LEONARDVS. Quid ego audio?

AEGIDIVS. Sic res habet, atque illi iam denuo tumet vterus.

LEONARDVS. Isto pacto solet augere familia.

AEGIDIVS. Sed vtinam fortuna sic augeret pecuniam, vt vxor familiam.

LEONARDVS. Iamne elocasti filiam?

AEGIDIVS. Nondum.

(11v) LEONARDVS. Vide ne parum tutum sit / virginem tam grandem detinere domi. Quaerendus est gener aliquis.

AEGIDIVS. Nihil opus. Iam pro complures illam ambiunt sponsam.

LEONARDVS. Quid igitur superest, nisi vt e multis deligas, qui tibi maxime sit accommodus?

AEGIDIVS. Omnes eiusmodi sunt, vt nesciam quem cui praeferam, sed abhorret a nuptijs filia.

LEONARDVS. Quid ais? Atqui ni fallor, iamdudum nubilis est. Iamdudum est apta viro, matura coniugio. Iampridem est tempestiua viro.

AEGIDIVS. Quidni, annum egressa iam decimum septimum. Maior annis duodeuiginti. Annum iam agens vndeuigesimum. Annos nata decem et octo.

LEONARDVS. Cur abhorret igitur a matrimonio?

AEGIDIVS. Ait se velle Christo nubere.

LEONARDVS. Sane multas habet ille sponsas. An malo genio nupsit, quae caste viuit cum marito?

AEGIDIVS. Mihi quidem non videtur.

LEONARDVS. Quis deus hunc affectum afflauit filiae?

AEGIDIVS. Nescio, sed abduci ab hoc proposito nullis rationibus potest. (...)

LEONARDVS. Quid igitur est in animo? Morem geres animo puellae?

AEGIDIVS. Equidem dabo operam, quoad licebit, intelligat vitae genus quod eligit, admonebo sexus et aetatis, difficultatisque instituti quod aggreditur, et illud ponat ante oculos non posse omnes omnia capere. Quod si pertendet vt coepit, non pugnabo cum illius animo, ne forte videar θεομαχεῖν.

12r LEONARDVS. Religiose tu quidem loqueris. Sed etiam / atque etiam fac explores virginis constantiam, ne post facti poenitet, cum mutari non erit integrum.

AEGIDIVS. Equidem adnitar pro mea virili.

LEONARDVS. Quid rerum gerunt filij?

AEGIDIVS. Natum maximus iamdudum maritus est, breui pater futurus. Minimum ablegaui Lutetiam. Nam hic nihil aliud quam ludebat.

LEONARDVS. Quid eo?

AEGIDIVS. Vt magister nobis redeat stultior, quam exierat.

LEONARDVS. Bona verba.

AEGIDIVS. Medius iam coepit initiari sacris.

LEONARDVS. Precor vt bene vertat omnibus.

---

16 Deus

18 LE. Vide ne sint incantatores qui instigent et allectent. AE. Noui ego istos plagiarios. Sedulo arceo hoc hominum genus ab aedibus meis.(1533,p.24) IF omis. (ASD,p.141)

21ss AE. Equidem obluctabor, quoad licebit. Nihil non experiar, quo mutem illius sententiam (1533,p.24) IF mut. (ASD,p.141)

25 vel potius μονομαχεῖν (ibidem)

ALIA

PERSONAE: MOPSVS, DROMO

MOPSVS. Quid fit? Quid agitur Dromo?

DROMO. Sedetur.

MOPSVS. Video, sed quomodo se res habent tuae?

DROMO. Vt solent ijs, quibus superi sunt parum propitij.

MOPSVS. Isthuc ominis auertat Deus. Quid agis?

DROMO. Equidem ocium ago. Id quod vides, nimirum nihil.

MOPSVS. Praestat ociosum esse, quam nihil agere. Ego te fortassis occupatum ferijs negocijs interpello.

DROMO. Imo maxime vacuum. Iam enim me coeperat ocij taedium, et congerronem desiderabam.

MOPSVS. Fortassis impedio, inerrumpo, interturbo tua negocia.

DROMO. Imo taedium ocij discutis.

MOPSVS. Da veniam si te parum in tempore interpellarim.

DROMO: Imo ipso in tempore aduenis. Opportune te huc attulisti. Optatus ades. Interuentus tuus est mihi vehementer gratus.

(12v) MOPSVS./ Fortassis aliquid seriae rei inter vos igitur, cui nolim esse impedimento.

DROMO. Imo lupus, quod aiunt, ades in fabula. Nam de te sermo erat.

MOPSVS. Facile crediderim, nam mihi huc venienti mire tinniebat auris.

DROMO. Vltra?

MOPSVS. Laeua. Vnde conijcio nihil magnifice de me fuisse praedicatum.

DROMO. Imo nihil non honorificum.

MOPSVS. Vanum igitur fuerit oportet. Sed quid est bonae rei?

DROMO. Aiunt te venatorem esse factum.

MOPSVS. Imo iam intra casses meos est praeda quam venabar.

DROMO. Quaenam?

MOPSVS. Lepida puella, quam perendie ducturus sum, vosque oro vt nuptias vestra praesentia dignemini honestare.

DROMO. Quaenam est sponsa?

MOPSVS. Aloisia Chremetis filia.

DROMO. Egregium spectatorem formarum. Tuis oculis adlubuit illa nigro capillitio, simis naribus, ore praelargo, ventre prominulo.

MOPSVS. Desinite. Mihi eam duxi, non vobis. Non sat est, quod suo regi pulchra est reginae? Ita demum illa mihi placebit, si vobis non admodum placeat.

ALIA

SYRVS, GETA

SYRVS. Opto tibi multam felicitatem.

GETA. Et ego tibi conduplicatum opto, quicquid optas mihi.

SYRVS. Quid agis rei?

GETA. Confabulor.

SYRVS. Quid confabulare solus?

GETA. Vt vides.

SYRVS. Fortasse tecum. Proinde tibi videndum, vt cum homine probo fa-/buleris.

GETA. Imo cum lepidissimo congerrone confabulor.

SYRVS. Quo?

GETA. Apuleio.

SYRVS. Istud quidem nunquam non facis. Sed amant alterna Camoenae. Tu perpetuo studes.

GETA. Non est vlla studiorum satietas.

SYRVS. Verum est, sed tamen modus quidam. Non omittenda quidem sunt studia,sed tamen intermittenda nonnunquam. Non abijcienda, sed relaxanda. Nihil suaue quod perpetuum. Voluptates commendat rarus vsus. Tu nihil aliud quam studes. Perpetuo studes. Continenter incumbis literis. Indesinenter inhaeres chartis. Studes noctes ac dies. Nunquam non studes. Assiduus es in studio. Iugiter intentus es libris. Nullum facis studendi finem, neque modum. Nullum studijs tuis requiem intermisces. Nunquam studendi laborem nec intermittis, nec remittis.

GETA. Age, tuo more facis. Rides me, vt soles. Nunc ludis tu quidem me. Salse me rides. Satyricum agis. Naso me suspendis cadunco. Non me fallit tuum scomma. Nunc plane ioco mecum agis. Sum tibi risui. Rideor abs te. Pro delectamento me habes. Nunc me ludos deliciasque facis. Eadem opera assue mihi auriculas asini. Ipsi codices puluere, situque obducti loquuntur, quam sim immodicus in studio.

SYRVS. Emoriar, ni loquor ex animo. Dispeream, si quid (13v) fingo. Loquor id, quod sentio. Quod res / est, dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Non secus sentio, quam loquor.

CVR NON VISIS

GETA. Quid causae est, quod tam diu nos inuiseris? Quid rei est, quod nos tam raro visis? Quid accidit, quod tanto tempore nos non adieris? Quare tam rarus es salutator? Quid sibi vult, quod nos tam diu non conueneris? Quid obstitit, quo minus visas nos frequentius? Quid impedimento fuit, quo minus feceris nobis tui videndi copiam?

NON LICVIT PER OCCUPATIONES

SYRVS. Non licuit per ocium. Volui quidem, at non licuit mihi per mea negocia, vt ne viserem. Non patiebantur vndae negociorum, quibus inuoluebar, vt te salutarem. Occupatior fui, quam vt potuerim. Tam varijs distringebar curis, vt mihi non fuerit liberum adire te. Vix ipsi mihi fuit copia mei, sic me totum molesta quaedam negocia possidebant. Negocijs meis imputabis, non mihi. Non defuit voluntas, sed vetuit necessitas. Hactenus non vacauit, Hactenus non contingit ocium. Hactenus non fuit vacuum. Non licuit per valetudinem. Non licuit per tempestatem.

GETA. Equidem accipio tuam excusationem, sed hac lege, ne saepius vtaris. Excusatio tua iustior est quam vellem, si quidem valetudo fuit in causa. Hac lege mihi purgatus eris,
14r si quod factum est, officio sarcias./ Si superiorem cessationem crebra visitatione penses.

SYRVS. Tu nihil moraris istiusmodi officia nimium vulgaria . Amicitia nostra firmior est, quam vt sit officijs istis vulgaribus alenda. Satis crebro visit, qui constanter amat.

GETA. Male sit istis curis, quae te nobis adimunt. Quid imprecer istis negocijs, quae talem amicum nobis inuident? Pessime sit isti febri, quae nos tam graui desiderio torsit tui. Male pereat ista febris, te incolumi.

MANDANDI AC POLLICENDI
IACOBVS, SAPIDVS

IACOBVS. Quaeso vt haec res tibi cordi sit. Etiam atque etiam rogo, vt hoc negocium tibi sit curae. Hac in re velim vt totum Sapidum exeras. Si me amas, causam hanc tractabis diligenter. Hac in re quaeso, vt aduigiles. Curabis hanc rem me causa diligenter. Si vere is es, quem semper esse te mihi persuasi, fac vt sentiam hac in causa, quanti me facias.

SAPIDVS. Desine, ego tibi hoc effectum reddam, et quidem propediem. Euentum praestare non possum; illud polliceor, mihi nec fidem, nec studium defuturum. Curabo diligentius, quam si mea res ageretur, quamquam meam esse duco, quae sit amici. Fac vt in me quiduis desideres citius, quam fidem ac diligentiam. Tu fac in vtramque dormias aurem; ego tibi hoc confectum dabo. Tu quietus esto, in me recipio prouinciam
(14v) omnem. Gaudeo mihi datam occasionem, qua declarem animum / in te meum. Equidem oratione nihil polliceor, sed re praestabo, quicquid est amici synceri, et ex animo beneuolentis. Nolim te lactare vana spe. Illud efficiam, vt dicas negocij mandatum amico.

SVCESSVS

SAPIDVS. Res successit opinione melius. Fortuna votis vtriusque fauit. Si fortuna tibi nupsisset, non potuisset esse secundior. Res tua et ventis, et amne sequundo processit. Vicit etiam vota nostra fortunae fauentis afflatus. Opinor te litasse Rhamnusiae, cui sic ex sententia cadunt omnia. Plus impetraui, quam fuissem ausus optare. Ventis per omnia sequundis hic cursus nobis peractus est. Res omnis cecidit ex sententia. Pulchre nobis cecidit haec alea. Opinor volasse noctuam, adeo feliciter exijt nobis parum sapienter institutum.

GRATIA

IACOBVS. Equidem gratiam et habeo, et habiturus sum quoad viuam maximam. Pro isto tuo in me officio pares agere gratias vix possim, referre nequaquam. Video quantum debeam tuo in me studio. Nihil miror, neque enim tu quicquam noui fecisti, et hoc magis debeo. De isthoc tuo in me officio amo te, mi Sapide, vt par est maxime. Quod hac in causa praestiteris amicum aulicum, et habetur a me gratia, et semper habe
15r bitur. Quod / meum negocium tibi cordi fuerit, amo te et habeo gratiam. Isthoc officio gratiam inisti apud me maximam. Pergratum est quod causam meam egeris bona fide. Ex omnibus officijs quae tu plurima in me contulisti, hoc est longe gratissimum. Referte gratiam parem nequaquam possum, agere accuratius, inter nos superuacaneum sit, quod vnum possum, habeo dum vixero. Isthoc beneficio fateor tibi me magnopere deuinctum esse. Hoc nomine plus tibi debeo, quam vt vnquam soluendo

esse queam. Hoc beneficio arctius me tibi deuinxisti, quam vt possim dissoluere. Obligatione me tibi reddidisti, quam vt nomen meum e tuo diario possim vnquam expungere. Hoc officio me sic tuum reddidisti, vt nullum mancipium aeque sit in rebus heri sui. Hac re me tibi deuinctiorem reddidisti, quam vt vnquam aes alienum possim resoluere. Plurimis nominibus tibi debeo, sed non alio plus quam hoc. Pro mediocribus beneficijs agendae sunt gratiae, hoc maius est, quam vt conueniat verbis gratias agere.

RESPONSIO

SAPIDVS. Aufer mihi ista. Maior est nostra necessitudo, quam vt vel tu mihi, vel ego tibi pro vllo officio debeam gratias agere. Non contuli hoc in te beneficium, sed retuli. (15v) Mihi quidem abunde rela/tam gratiam arbitror, si gratum est quod feci sedulo. Non est cur mihi gratias agas, si pro tot tuis in me beneficijs non vulgaribus hoc officioli rependi. Equidem nihil laudis mereor, ingratissimus habendus, si debuissem amico. Quicquid est in rebus meis, quicquid mea cura praestari potest, hoc tam tuum esse ducito, quam id quod est maxime tuum. Videor mihi beneficium accepisse, quod nostrum officium boni consulis. Pro tantillo officio mihi tam accurate gratias agis, quasi non multo maiora tibi debeam. Sibi benefacit meretur de amico, non dat beneficium, sed foenerat. Si ex animo probas officium in te meum, fac vtare saepius. Ita credam tibi gratum esse, quod feci, si quoties desiderabis operam meam, non roges, sed imperes quod voles.

ALIA IN CONGRESSV
ARNOLDVS, CORNELIVS

ARNOLDVS. Salue multum, Corneli, te iam seculum desideramus.

CORNELIVS. Et tu saluus sis, sodalis desideratissime.

ARNOLDVS. Vnde iam tandem redis? Certe desperabamus te rediturum. Nunquid peregrinatus es in inferis? Macies enim ac pallor, praeter squalorem qui te totum occupat adesse a profundis manibus clamitant.

CORNELIVS. Imo ab Hierosolymis vsque.

29ss Colloquium "De votis temere susceptis" cum colloquio "De votis pie susceptis" IF mutauit (LB,639-640) (ASD,p.147-150)

ARNOLDVS. Cuius rei gratia tam peregre.

16r CORNELIVS. Non pla/cet pilum isthaec interrogatio.

ARNOLDVS. Quid ita?

CORNELIVS. Quia notum est religionis ergo a Hierosolyma peti a Christianis. Quare vereor ne interea dum ipse a patria abeo in Hierosolyma abieris tu a Christianismo in Lutheranismum.

ARNOLDVS. Bona verba,quaeso Lutherum abiuramus et Christi ecclesiam profitemur. Mea tamen interrogatio eo spectat, piusne an superstitiosus votum susceperis.

CORNELIVS. Pie, quae Dei clementia est.

ARNOLDVS. Fac igitur intelligam.

CORNELIVS. Primum explicare non possum quanta me suauitas occupabat, quo tempore itineri accingebar. Videbar iam videre Christi assertoris vestigia, et nescis quo gaudio delibutus ea exosculari. Hisce occupatus affectibus sentiebam me in dies meliorem et a sarcina carnis ad spiritus libertatem sane quam expedite volabam. Quod si quando difficultas me itineris, maris et latronum pericula deterrerent, tunc ve niebat mihi in mentem anteactae vitae, quam tam multis ac ma gnis peccatis miser foederam. Putabam facturum me operae pre cium, si mala malis, pericula periculis opponerem, et corporis laboribus, animae consulerem incolumitati. Sic meum iter adornabam; lachrymae erant mihi panes mei die ac nocte.

ARNOLDVS. Pulchre tu quidem. Poderas tamen istorum omnium meminisse, etiam si nunquam iter istud adornasses.

[CORNELIVS]. Quid potuissem, nescio. Hoc vnum scio me mihi (16v) summopere displicuisse,cum primum su/bijt mentem visere Hiero solyma.

ARNOLDVS. Perge.

CORNELIVS. Hoc animo Venetias petij. Vt hic sumpta more peregrinationis veste, et pectore cruce Domini insignito, conscensa triremi vela darem. Omnia euenerunt mihi ex animi mei sententia; non irato Neptuno, sed propitio Iesu Ioppae ap pulimus. Qualem hic putas meum fuisse animum? Vere deciderat ingenua. Non enim eram compos mei cum gaudio, tum timore. Timebam conscientiam meam, qui sceleratae vitae conscius viserem sanctissima religionis nostrae incunabula. Gaudebam prendisse desideratas terras, et tandem ad metam peruenisse.

---

17 meliorem? et
26-27 adornasses. Quid

ARNOLDVS.Sumpsisti Eucharistiam?

CORNELIVS. Quidni Christianus qui siem?

ARNOLDVS. Arbitror te nunquam perinde fuisse commotum, cum tamen citra vllam controuersiam huius sacramenti dignitas, et maiestas sexcenta vincat Hierosolyma.

CORNELIVS. Non quod illa sint meliora, haec sunt statim mala. Vellem ego non solum in sacramento corporis Christi, verum etiam in caeteris omnibus aut suspiciendis, aut exhibendis, totam pectoris familiam in lachrymas destillari. Caeterum non continuo impium censeas qui in hoc aut illo pietatis negotio magis aut minus mouetur. Animus enim noster per ea quae sunt sensui propiora magis interdum mouetur, quam per ea
17r quae / longius absunt a sensu. Hinc sit quid in re Christiana magis interdum afficiunt quae minoris sunt dignitatis. Cum igitur vniuersa Christianae pietatis mysteria, huius sint vrbis alumna, quis non excitabitur quamlibet super mandragoram dormiens, quis a peccati morte non exurget ingressus sanctam illam ciuitatem vbi multa corpora sanctorum cum Christo resurrexerunt?

ARNOLDVS. Iam tu ὑπερ τὰ σκαμμένα ; redeamus a diuerticulo in viam.

CORNELIVS. Tu facis diuerticula, tuis enim dum respondemus strophis etiam τρέφομεν . Sed vt lubet. Soluto naulo pedibus iter facimus. Malum sit istis attis quae sic perturbant omina. Quanto melius hos vultures aquila, quam illos gallos persequetur. O miseras Christianae Reipublicae angustias! Haec tam lata perdidimus. Et habent allophyli vagientis infantis cunas. Precio hodie illa videmus vbi suauissimus ille redemptor precium captiuitatis nostrae soluit de cruce.

ARNOLDVS. Profecto in loco excitas tragoediam.

CORNELIVS. Certe res est tragoedia digna, aut si quid est acerbius tragoedia.

ARNOLDVS. Veniamus ad catastrophem.

CORNELIVS. Iucunda profecto, et si sit quamlibet lachrymosa. Recta tendimus in vrbem. Positis in pandocheo sarcinulis, vbi paululum conquieuimus, die proxima templum sacro-
(17v) sancti sepulchris petimus. Ibi ante quam in / adyta penetra-

---

9 distillam emendatum est in erratis
26 Christianae.R.P.
29 Cruce
35 Pandocheo

remus, de more confessario conscientiam expurgandam exhibeo. Euomo veterem sentinam, ostendo indulgentias pontificias, quas pera in hunc vsum gestabam, et reficio quantum possum hominem interiorem. Accedo itaque ad Christi mensam, st sumpto diuinae Eucharistiae sacramento descendo ad sepulchrum. Mihi crede frigidus stabat circum praecordia sanguis; stupebam totus, et mecum tacitus assertoris corpus inuolutum syndone videre videbar; deinde solicitas marias cursitantes, apostolos, angelos ad pedes eius sedentes, et ad caput sudarium inuolutum; denique canebam cum Dauid: "Adoremus vbi stetere pedes eius".

ARNOLDVS. Nolo te amplius euagari in enarrandis huius loci mysterijs, et tuis affectibus; nam alterum noui qui te a puero norim, alterum e multorum libris, quos animi causa frequens lego, pene habeo familiare. Illud abs te lubens quaesierim: sintne illic isthaec spectatu digna, quae apud nos tam multi demirantur? Nam certe a viris doctis non semel audiui, omnia illic esse commentitia, et excogitata ad quaestum. Nec sciri hodie, quo in loco fuerit Hierosolyma. Adeo nihil non fert aetas.

CORNELIVS. Imo tulit istis animum quoque. Et nescio,
18r ita me Deus amet, quae Pallas, aut quae Moria potius, isthuc/ misit illis in mentem.

ARNOLDVS. Si mihi per humanitatem tuam licet, dicam quae nam res praebuerit illis ansam cogitandi isthaec.

CORNELIVS. Maxime.

ARNOLDVS. Nosti quantum iure belli, aut iniuria potius, hominibus, et locis inferatur. Nulla, ni fallor, vrbs extat cui saeuitia militaris toties aratrum impegerit. Non semel solo aequatam legimus et ante et post Christi aduentum. Sacra antiqui templi vasa prophanauit Assyria. Quidquid erat ex auro, aut aere mysterijs destinatum rapuit non semel. Autor est magnus Hieronymus, ab Adriani tempore ad Constantinum vsque per annos circiter CLXX foedissimi Iouis simulachrum in sacro sancto Sepulchro positum, et in rupe Crucis dominicae venerem stetisse marmoream, vt in opprobrium resurrectionis et Crucis ab ethnicis adorarentur. Casum huius vrbis nomen deplorat alibi idem autor. Nam pridem euersam reaedificari iussit Adrianus, cuius edicto pro Hierosolyma Aelia audiuit capitolina. Cosdroes etiam Persarum rex Heraclito principe hanc vrbem hos

---

10 "Adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius", Ps.,131(132),7
30 tembli
31 Hieronymus Dardano De Terra Repromissionis, Opera omnia, 1534, t. ix, fo. 24 I
36 Cassum

tiliter inuasit. Vnde cum caetera auecta praeda Crucem domini in Persiam abduxit. Haec et alia hoc genus excidia, quae apud
(18v) integrae fidei autores legimus, fa/ciunt vt post tam multas incursiones, non omnis quae Hierosolymis demonstrantur, genuinae antiquitatis esse credantur. Quam notam inurunt etiam viri aliquot eruditi nonnullis, quae hodie Romae visuntur, vt sunt Veronica, Columna Salomonis, Cathedra Petris et Sepulchrum.

CORNELIVS. Si idem viri isti eruditi in animo haberent alteras partes agere possent, sat scio, veritati opitulari. Dum tamen aduersum quorundam pugnant superstitionem veram obiter religionem laedunt. Vrbis huius exita non inficior et in lege et in Euangelio saepe fuisse, non tamen ob id Hierosolymorum çaelum mutari oportuit. Damus euersam semel, positam iterum ab Adriano. Pro loci tamen situ qui arte et natura munitus est, non fuit vetusta aurea loco mota, fuit tamen ampliata, vt Caluariae mons et Sepulchrum quae extra vrbem prius fuerant, muri postea amplecterentur. Extant hodie antiquitatis vestigia, quibus plane deprehendas quid fuerit vno quoque loco mutatum. Et vt cumque omnia mutata sint, sanctae Crucis, et resurrectionis vocabula (vt verbis vtar Hieronymi) non vrbem significant, sed loca quae mutari non potuerunt. Auexit, ais, Cosdroes cum reliqua praeda, dominicae Crucis fragmenta.
19r Vt inuertit omnia quorundam hominum versuta calliditas. / Idem autor, vbi ista leguntur, reuectam postea per Heraclitum principem in sanctam vrbem Crucem domini tradit. Non negamus summam imposturam in rebus etiam magnis versari, vbi magno cum periculo homini imponitur. Caeterum insignis cuiusdam impudentiae est, illa vocare in dubium quae iam multorum seculorum consensus confirmauit, quae sunt doctissimorum hominum literis tradita, quae tot episcopi, dum visunt, tot martyres, tot confessores immortalitati consecrarunt. Magnus Hieronymus, etsi non sequatur, non tamen audet damnare quorundam Iudaeorum sententiam, qui auream et gemmatam restitutum iri sibi crederent Hierosolymam. Quod haec sententia sederit multis ecclesiasticis viris, multis Christi martyribus et isti, si dijs placet, adeo parum tribuunt Ecclesiae proceribus vel effuso pro Chris

---

3 faciunt. Vt
6 ẽruditi
7 sepulchrum
15 Proloci
17 sepulchrum
19 depraehendas
36 CHRISTI
37 CHRISTO

to sanguine rubricantis, vt publicam Ecclesiae catholicae persuasionem vocent in discrimen apertissimum.

ARNOLDVS. Pie tu profecto omnia et graphice. Probas tamen vtcumque sumptam peregrinationem?

CORNELIVS. Qui religionem Christianam profitemur, ijdem vanam, ac temerariam superstitionem detestamur. Ego antequam me hoc voto obligarem, permultos dies precibus impendo, dis-
(19v) tribuo pauperibus eleemosynam, facio per / sacram synaxin, ita mihi Deus indulgeat ire Hierosolyma, vt propitium habeam illum, quem tanto quaererem cum dispendio Iesum Christum Dominum nostrum. Nam si perditurus eram peregre, quem forte domi manens non perdidissem, plane non oleum et operam, quod ait prouerbium, sed animam ipsam perdidisse viderer. Quaerebam etiam mihi aliquem fidum sodalem, qui ita mihi esset prouehiculo futurus, vt non eflutiret ea quae vocat prouerbium "gerris siculis vaniora". Nam istos qui inter epulas vota in vino scribunt, quique dum ingens circum ducitur patera Hierosolymas, Petro et Iacobo praebibunt, et sic faciunt votum inuiolabile, nec homines quidem duco, tantum abest Christianos habeam. Rursus istos qui domi relinquunt vxores aetate teneras, formae elegantia, inopia, egestate periculo expositas, qui paruos liberos, qui miseram familiam a se pendentem, quam consilio et opera cotidiana alebant, censerem potius pontificis fulmine feriendos, vt respiscant et intelligant quibus in rebus ita sit religio Christiana. Quin etiam sacerdotes quosdam qui vlulantibus lupis ouilia deserunt, cogerem ad custodiam ouium, et ad pabulum euangelicae doctrinae. Denique qui
20r proficiscuntur Hierosolyma gestantes peram plenam / indulgentijs, et pectus sine charitate, vestem Cruce insignitam, praecordiam imagine sathanae, qui egregie inter eundum potant, qui infarciunt barathrum, qui scortantur, furantur, latrocinantur, nec pilum habent pietatis, nec animum dignum Hierosolymis.

ARNOLDVS. Et sunt qui hoc animo Sepulchrum domini visunt?

CORNELIVS. Vacabit alias magis, nescio quam sum tibi κακῶν ἰλίαδα enarraturus. Interim valeto.

ARNOLDVS.Heus tu Corneli si ad istum modum de pietate

---

1 ecclesiae
10 IESVM
18 PETRO
31 barathyum emendatum est in erratis
33 sepulchrum

loqueris, parum timeas corycaeos istos quibus plena sunt omnia.

CORNELIVS. Qui sui bene conscius est nihil temet.

LB 640-641
ASD 150-154

ALIA

PAMPHAGVS, COCLES

PAMPHAGVS. Aut parum prospiciunt oculi, aut Coclitem veterem compotorem meum video.

COCLES. Imo nihil te fallunt oculi tui, vides sodalem ex animo tuum.

PAMPHAGVS. Nulla cuiquam erat spes reditus tui, qui tot annos abfueris, ignotus omnibus, quae te terrarum haberet regio. Sed vnde dic,quaeso.

COCLES. Ab antipodibus.

PAMPHAGVS. Imo ab insulis, opinor, fortunatis.

COCLES. Gaudeo quod agnoueris sodalem tuum, nam verebar ne sic domum redirem, quemadmodum redijt Vlysses.

PAMPHAGVS. Quonam pacto redijt ille?

COCLES. Nec ab vxore est agnitus. Solus canis iam vetu-
(20v) lus mota cauda / dominum agnouit.

PAMPHAGVS. Quot annos ille domo abfuerat?

COCLES. Viginti.

PAMPHAGVS. Tu plures abfuisti, nec tamen fefellit me tua facies. Sed quis isthuc narrat de Vlysse?

COCLES. Homerus.

PAMPHAGVS. Oh, ille, vt aiunt, pater est omnium fabularum. Fortassis vxor interim asciuerat taurum alium, et idcirco non agnouit Vlyssem suum.

COCLES. Imo nihil illa castius, sed Pallas addiderat illi senium, ne posset agnosci.

PAMPHAGVS. Qui tandem agnitus est?

COCLES. E tuberculo, quod habebat in digito pedis. Id animaduertit nutrix iam admodum anus, dum illi pedes lauat.

PAMPHAGVS. O curiosam lamiam. Et tu miraris, si ego te agnoui ex isto tam insigni naso?

COCLES. Nihil me poenitet huius nasi.

PAMPHAGVS. Nec est cur poeniteat, cum organum tibi sit, ad res iam multas vtile.

COCLES. Ad quas?

PAMPHAGVS. Ad primum ad extinguendas lucernas erit cornu vice.

COCLES. Perge.

4 PAMPHAGVS

PAMPHAGVS. Deinde si quid hauriendum erit e cauo profundiore, fuerit loco promulcidis.

COCLES. Papae.

PAMPHAGVS. Si manus erunt occupatae, licebit vti vice paxilli.

COCLES. Etiamne amplius?

PAMPHAGVS. Conducet excitando foculo, si defuerit follis.

COCLES. Belle narras. Quid praeterea?

PAMPHAGVS. Si lumen officiat scribenti, praebebit vmbraculum.

COCLES. Ha ha he, est praeterea quod dicas?

PAMPHAGVS. In bello nauali praebebit vsum harpagonis.

COCLES. Quid in bello terrestri?

21r PAMPHAGVS. Erit loco cly-/pei.

COLCES. Quid deinde?

PAMPHAGVS. Findendis lignis cuneus.

COCLES. Probe.

PAMPHAGVS. Si praeconem agas, eoit tuba, si classicum canas, cornu, si fodias, ligo, si metas, falx, si nauiges, ancora, in popinâ fuerit fuscina, in piscando humus.

COCLES. O me felicem, nesciebam me circumferre tam ad multa conducibilem suppellectilem. Sed quis interim terrarum angulus te habuit?

PAMPHAGVS. Roma.

COCLES.. At qui fieri potuit, vt in tanta luce nemo te sciret viuum?

PAMPHAGVS. Imo nusquam magis latente boni viri, adeo vt saepe clarissima luce neminem videas in frequenti foro.

COCLES. Redis igitur nobis onustus sacerdotijs.

PAMPHAGVS. Venatus equidem sum sedulo, at parum fauit Delia. Nam complures illic piscantur hamo, quod dici solet, aureo.

COCLES. Stultum piscandi genus.

PAMPHAGVS. Et tamen pulchre succedit nonnullis. Sed non omnibus feliciter cadit haec alea.

COCLES. An non insigniter stulti sunt, qui plumbum commutant auro?

PAMPHAGVS. Sed tu non intelligis in plumbo sacro venas auri subesse.

---

22 supellectilem

COCLES. Quid igitur? redisti nobis, nihil aliud quam Pamphagus?

PAMPHAGVS. Non.

COCLES. Quid igitur?

PAMPHAGVS. Lupus hians.

COCLES. Felicius redeunt qui asini redeunt, sacerdotiorum sarcina graues. Cur mauis sacerdotium quam vxorem?

PAMPHAGVS. Quia mihi placet ocium. Arridet Epicurea vita.

COCLES. At mea sententia suauius viuunt, / quibus est
(21v) lepida puella domi, quam complectantur quoties libet.

PAMPHAGVS. Sed adde, nonnunquam cum non libet. Amo voluptatem perpetuam. Qui ducit vxorem, vno mense felix est; cui contingit opimum sacerdotium, in omnem vsque vitam fruitur gaudio.

COCLES. Sed tristis est solitudo, adeo vt nec Adam suauiter victurus fuerit in paradiso, nisi Deus illi adiunxisset Euam.

PAMPHAGVS. Non deerit Eua, cui sit opulentum sacerdotium.

COCLES. Sed voluptas non est voluptas, quae cum mala fama malaque conscientia coniuncta est.

PAMPHAGVS. Verum dicis, et idcirco mihi in animo est, confabulatione librorum solitudinis taedium fallere.

COCLES. Istis quidem sodalibus nihil iucundius. Sed redis ne ad tuam piscationem?

PAMPHAGVS. Redeo, si liceat parare nouam escam.

COCLES. Aureamne, aut argenteam?

PAMPHAGVS. Vtramlibet.

COCLES. Bono animo es, pater suppeditabit.

PAMPHAGVS. Nihil illo tenacius. Nec crediturus est denuo, cum intellexerit mihi sortem etiam perijsse.

COCLES. Verum ista lex est aleae.

PAMPHAGVS. Sed ille non delectatur hac alea.

COCLES. Si pernagabit ille, commonstrabo tibi, vnde possis quantum voles pecuniae sumere.

PAMPHAGVS. Tu vero mihi voluptatem narras. Age, monstra, iam cor mihi salit.

COCLES. In promptu est.

PAMPHAGVS. Nactus es thesaurum aliquem?

COCLES. Si nactus essem , mihi nactus essem, non tibi.

PAMPHAGVS. Si queam corradere centum ducatos, reuixerit spes.

22r COCLES. At / ego tibi commonstro vnde possis haurire centum milia.

PAMPHAGVS. Quin tu igitur me beas? Ne diuitius eneca. Dic vnde.

COCLES. Ex asse Budaei. Illic reperies innumeras myriades, siue auream malis monetam, siue argenteam.

PAMPHAGVS. Abi quo dignus es cum tuo ioco. Illinc tibi resoluam quod debuero pecuniae.

COCLES. Resolues, sed quod illinc tibi numeraro.

PAPHAGVS. Age, noui nasum tuum.

COCLES. At mihi prae te nasus est nullus.

PAMPHAGVS. Imo nihil te nasutius. Nihil es nisi nasus.

COCLES. Ludis in re seria. Hac in re ringi possim citius quam ridere. Res grauior est, quam vt ridere libeat. Tu si hic esses, non luderes.

PAMPHAGVS. Sum tibi ludibrio. Illudis mihi, et illudis me. Ioco me tractas, in re nequiquam iocosa.

COCLES. Minime rideo, id quod res est, dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Simpliciter loquor. Vera loquor.

PAMPHAGVS. Ita tibi semper stet in capite pileum, vt ista tu simpliciter loqueris. Sed cesso abire domum, cogniturus quo in statu sint illic omnia.

COCLES. Offendes noua permulta.

PAMPHAGVS. Credo, sed vtinam omnia ex animi sententia.

COCLES. Isthuc optare licet omnibus, sed hactenus obtigit nemini.

PAMPHAGVS. Hoc quoque commoditatis adferet vtrique nostrum sua peregrinatio, quod dulcior erit posthac domus.

COCLES. Nescio, nam video quosdam septies illo recurrere. Adeo scabies illa sine fine solet prurire, si quem semel inuaserit. /

(22v)

ALIA MILITARIA

LB 641-643
ASD 154-158

HANNO, THRASIMACHVS

HANNO. Vnde nobis redis Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras?

THRASIMACVS. Quos Vulcanos, aut quos Mercurios mihi narras?

HANNO. Quia alatus videbare quum abires, nunc claudicas.

THRASIMACVS. Sic a bello rediri solet.

HANNO. Quid tibi cum bello, homo quouis dama fugacior?

THRASIMACVS. Spes praedae reddiderat fortem.

HANNO. Multum igitur refers manubiarum.

THRASIMACVS. Imo zonam inanem.

HANNO. Tanto minus grauare sarcina.

THRASIMACVS. Atqui sceleribus onustus redeo.

HANNO. Grauis profecto sarcina, si verum dicit Propheta, qui peccatum appellat plumbum.

THRASIMACVS. Plus illic scelerum et vidi et patraui, quam vnquam antehac in omni vita.

HANNO. Ecquid igitur arridet vita militaris?

THRASIMACVS. Nihil neque scelestius, neque calamitosius.

HANNO. Quod igitur in mentem venit istis, qui nummo conducti, nonnulli gratis currunt ad bellum, non aliter quam ad conuitium?

THRASIMACVS. Ego nihil aliud coniectare possum, quam illos agi malis furis, seseque totos malo daemoni, ac miseriae deuouisse, nec aliud quam hic manes suos anticipare.

HANNO. Ita quitem videtur. Nam ad res honestas vix vllo precio conduci queant. Sed expone nobis quomodo gestum sit
23r praelium, et vtro sese inclinarit vi-/ctoria.

THRASIMACVS. Tantus erat strepidus, tumultus, tubarum bombi, cornuum tonitrua, hinnitus equorum, clamor virorum, vt neque videre potuerim quid gerentur, adeo vt vix scirem vbi essem ipse.

HANNO. Vnde igitur caeteri, qui ex bello veniunt, sic depingunt singula, quid quisque dixerit aut gesserit, quasi nusquam non adfuissent ociosi spectatores?

THRASIMACVS. Ego credo istos mentiri splendide. In tentorio meo quid gestum sit, scio; quid in praelio, prorsus ignoro.

HANNO. An ne hoc quidem scis, vnde tibi venerit claudicatio?

THRASIMACVS. Vix . Ita me Mauors posthac male amet. Suspicor aut saxo, aut equi calce laesum genu.

HANNO. At ego scio.

THRASIMACVS. Scis? an tibi narrauit aliquis?

HANNO. Non, sed diuino.

THRASIMACVS. Dic igitur.

HANNO. Quum fugeres pauidus, collapsus humi, offendisti in silicem.

THRASIMACVS. Dispeream, nisi rem acu tetigisti. Adeo ve_

---

41 Hoc enuntiatum subnotatum est.

rissime est, quod diuinasti.

HANNO. Abi domum, et vxori narra tuas victorias.

THRASIMACVS. Illa mihi occinet haud suaue encomium, qui nudus redeam.

HANNO. Sed vnde restitues quod rapuisti?

THRASIMACVS. Iampridem restitui.

HANNO. Cui?

THRASIMACVS. Scortis, oenoplis, et ijs qui me vicerunt alea.

HANNO. Satis militariter, par est, vt quod male partum est, peius dispereat. Verum a sacrilegijs, opinor, temperatum est.

THRASIMACVS. Imo nobis illic erat sacrum nihil. Nec pro-
(23v) fanis parcitum est, nec / fanis.

HANNO. Quo facto sarcies?

THRASIMACVS. Negant oportere sarciri, quod in bello commissum sit, iure sit, quod illic fit.

HANNO. Iure belli fortassis.

THRASIMACVS. Tenes.

HANNO. At istud ius summa est iniuria. Te non patriae pietas, sed praedas spes pertraxit in bellum.

THRASIMACVS: Fateor et arbitror paucos illuc ire sanctiore proposito.

HANNO. Est aliquid insanire cum multis.

THRASIMACVS. Concionator e suggestu pronuntiauit bellum esse iustum.

HANNO. Suggestus ille non solet mentiri. Sed vt iustum sit principi, non continuo iustum sit tibi.

THRASIMACVS. Audiui ex Rabinis, quod licet sua cuique arte viuere.

HANNO. Praeclara ars, incendere domos, diripere templa, violare sacras virgines, spoliare miseros, occidere innoxios.

THRASIMACVS. Lanij conduncuntur ad mactandum bouem, quur nostra ars reprehenditur, quod conducimur ad mactandos homines?

HANNO. Non eras solicitus, quonam esset migratura anima tua, si contigisset in bello cadere?

THRASIMACVS. Non admodum. Bona spes habebat animum meum. Nam diuae Bardarae me semel commendaram.

HANNO. Receperat illa tutelam tui?

10-11, 31-32, 36-38, 40 Haec enuntiata subnotata sunt.

THRASIMACVS. Sic mihi visa est annuere capite alituantulum.

HANNO. Quando isthuc tibi visum est, mane?

THRASIMACVS. Non, sed a coena.

HANNO. Sed tum, vt arbitror, etiam arbores tibi sunt ambulare.

24r THRASIMACVS. Vt hic diuinat omnia. Sed / praecipua spes erat in diuo Christophoro, cuius imaginem quotidie contemplabar.

HANNO. In tentorijs? Vnde illic diui?

THRASIMACVS. Carbone pinxeramus illum tentorijs.

HANNO. Nimirum haudquaquam fragile, praesidium erat Christophoro. Sed extra iocum, non video qui possis expiari a tantis flagitijs, nisi te conferas Romam.

THRASIMACVS. Imo noui viam breviorem.

HANNO. Quam?

THRASIMACVS. Ibo ad Dominicales, illic paulo transigam cum commissarijs.

HANNO. Etiam de sacrilegijs?

THRASIMACVS. Etiam si Christum ipsum spoliassem, ac decollassem etiam, tam largas habent indulgentias et autoritatem componendi.

HANNO. Bene habet, si vestram compositionem Deus raram habuerit.

THRASIMACVS. Imo magis metuo, ne diabolus non habeat ratam. Nam Deus natura placabilis est.

HANNO. Quem tibi sacerdotem deliges?

THRASIMACVS. Cui cognouero quam minimum esse frontis, ac bonae mentis.

HANNO. Ne non habeant similes labra lactucas. O te miserum, vt refers ingenium militare. Nunquid post talem confessionem abibis purus ad corpus dominicum? Iudicium plane tibi manducabis et bibes, non diiudicans corpus Domini.

THRASIMACVS. Quid ni? Posteaquam semel effudero sentinam in illius cucullam, ego me exoneraui sarcina. Ipse viderit, qui absoluit.

HANNO. Quid scis, an absoluat?

THRASIMACVS. Scio.

---

12 Nimirum haudquaquam ficulnum, vt aiunt, praesidium erat, carbonarius ille Christophorus (1533,p.40) IF mut. (ASD,p.157)
12-13 Christophorus
30-33 Ab illo purus abibis ad corpus dominicum? (1533,p.41) IF mut. (ASD,p.157)
31 ingenum
33 domini
32-33 Hoc enuntiatum subnotatum est

HANNO. Quonam indicio? /

(24v) THRASIMACVS. Quia manum imponit capiti admurmurans carmen illud absolutionis: "Ego te absoluo".

HANNO. Quid si reddat tibi omnia peccata tua cum manum imponit, haec admurmurans: Absoluo te ab omnibus benefactis, quae nulla in re comperio, et restituo te tuis moribus, talem que dimitto, qualem accepit?

THRASIMACVS. Viderit ille, quid dicat, mihi satis est, quod me credo absolutum.

HANNO. Sed isthuc tuo periculo credis. Fortasse non fuerit satis Deo, cui debes.

THRASIMACVS. Vnde tu mihi obuius, qui mihi conscientiam e serena nubilam redderes?

HANNO. Felix occursus. Bona auis est obuius amicus, qui bene moneat.

THRASIMACVS. Nescio quam bona, certe parum suauius.

LB 643-644
ASD 158-161

HERILIA

RABINVS, SYRVS

RABINVS. Heus heus furciter, iamdudum raucesco clamore, nec tu tamen expergisceris. Videre mihi vel cum gliribus certare posse. Aut ocyus surge, aut ego tibi fuste somnum istum excutiam. Quando crapulam hesternam edormieris? Non te pudet somnium hominis in multam lucem stertere? Qui frugi sunt famuli solent exortum solis anteuertere, curareque vt herus surgens reperiat omnia parata. Vt aegre diuellitur a nido tepefacto cuculus. Dum scalpit caput, dum distendit neruos, dum oscitat, tota abit hora.

SYRVS. Vix dum diluxit.

25r RABINVS. / Credo, tibi. Namtuis oculis adhuc multa nox est. Tibi nox adhuc est concubia.

SYRVS. Quid me iubes facere?

RABINVS. Fac vt luceat foculus, verre pileum ac pallium, exterge calceos, et crepidas. Inuersas caligas primum intus purga scopis, mox foris. Deinde suffitum aliquem facito purgando aeri. Accende lucernam. Muta mihi lineum indusium, ac sicca lotum.

SYRVS. Fiet.

2-3 nescio quid (1533, p.41) IF mut. (ASD,p.157)

RABINVS. Atqui mouete ocyus. Iam bene fecisse oportuit.

SYRVS. Moueo.

RABINVS. Video, sed nihil promoues. Vt incedit testudo.

SYRVS. Non possum simul sorbere et flare.

RABINVS. Etiam sententias loqueris carnifex? Tolle matulam. Compone lecti stragulas, reuolue cortinas. Verre pauimentum. Verre solum cubiculi. Adfer aquam lauandis manibus. Quid cessas asine? Annus est priusquam accendas candelam?

SYRVS. Vix reperio scintillam ignis.

RABINVS. Sic heri condidisti.

SYRVS. Nec follem habeo.

RABINVS. Vt responsat nebulo, quasi qui te habeat, careat folle.

SYRVS. Quam imperiosum habeo dominum, vix huius iussis decem expediti famuli fecerint satis.

RABINVS. Quid ais cessator?

SYRVS. Nihil, omnia recte.

RABINVS. Non ego te audio murmurantem?

SYRVS. Equidem praecor.

RABINVS. Credo, pater noster inuersum. Precatione, opinor, Dominicam praepostere. Quid gannis de imperio?

(25v) SYRVS. Precor tibi, vt fias impera-/tor.

RABINVS. Et ego tibi, vt fias homo ex caudice. Sequere me ad templum vsque. Mox domum recurrito, lectos concinnato. Haec confusa, suo quaeque loco digerito. Fac vt niteat tota domus. Matulam defricato. Haec sordida submoueto ab oculis, fortassis inuisent me quidam aulici. Si quid sensero praetermissum vapulabis largiter.

SYRVS. Hic sane nomen benignitatem tuam.

RABINVS. Proinde caue si sapis.

SYRVS. At interim de prandio nulla mentio.

RABINVS. Vah, vt hic mentem habet furcifer. Non prandeo domi. Itaque sub horam decimam ad me transcurrito, deducturus me eo, vbi sum pransurus.

SYRVS. Tibi quidem prospectum, sed hic interim nihil est quod edam.

RABINVS. Si non est quod edas, est quod esurias.

SYRVS. Nem sit esuriendo satur.

RABINVS. Est panis.

SYRVS. Est, sed ater et furfuraceus.

RABINVS. Delicias hominis. Te quidem foenum esse oportuit, si pabulum detur te dignum. An postulas, vt te asinum tantum

saginem? Si fastidis panem citra obsonium, adde porrum, aut si mauis, cepe.

ALIA

RABINVS. Est tibi abeundum in forum.

SYRVS. Tam procul?

RABINVS. Non sunt nisi sex passus. Tibi pigro sunt bis mille. Consulam autem tuae pigritiae. Eadem legatione multa conficies negotia. Tu supputa in digitos, vt memineris. Primum deflectes ad vestuarium, / ac thoracem undulatum, si iam perfectus est, ab eo recipies. Hinc quaeres Cornelium veredarium. Is plerumque est in Ceruo, ibi potitat. Rogabis, si quid habet literarum ad me, et ad quem diem sit profecturus. Deinde conuenies mercatorem pannarium, rogabis meis verbis ne quid solicitum sit, quod pecuniam non miserim ad diem praescriptum; numerabitur propediem. 26r

SYRVS. Quando, ad Calendas Graecas?

RABINVS. Rides ganeo. Imo ante Calendas Martias. In reditu deflectes ad laeuam, et ex bibliopolis disces, si quid aduentum sit nouorum libellorum e Germania. Cognoscere qui sint, et quanto venales. Posthaec rogabis Goclenium, vt mihi dignetur esse conuiua, alioqui coenaturo soli.

SYRVS. Etiam conuiuas vocas; non habes domi, vnde vel murem pascas.

RABINVS. Proinde tu confectis caeteris abi ad macellum, et eme nobis armum ouillum. Eum curabis eleganter assum. Audin' haec?

SYRVS. Plura quamquam vellem.

RABINVS. At vide, vt memineris.

SYRVS. Vix potero dimidium.

RABINVS. Etiam hic stas cessator? Iam redisse oportuit.

SYRVS. Quis possit vnus tot rebus obeundis sufficere? Deduco ac reduco. Sum illi a scopis, a matula, a pedibus, a manibus, a poculis, a libellis, a rationibus, a iurgijs, a legationibus. Postremo non videor illi sat occupatus, nisi sim et coquus.

11-12 Hoc enuntiatum subnotatum est
27 quam (1533, p. 44) IF mut. (ASD,p.160)
29 RA.

(26v) RABINVS. Profer ocreas, iam equitandum est.

SYRVS. En adsunt.

RABINVS. Probe quidem abs te curatae; totae albent situ. Opinor ne extersas, nec vnctas hoc anno, adeo rigent prae siccitate. Exterge subuuido panno. Mox vnge ad ignem diligenter, ac macera, donec mollescant.

SYRVS. Curabitur.

RABINVS. Vbi calcaria?

SYRVS. Adsunt.

RABINVS. Verum, sed obducta rubigine. Vbi frenum, et ephippia?

SYRVS. Sunt in promptu.

RABINVS. Vide ne quid desit, aut ne quid ruptum,aut mox rumpendum, ne quid nobis sit in mora cum erimus in cursu. Propera ad sellarium, et hoc lorum cura sartiendum. Reuersus inspice soleas, siue calceos equorum, num qui claui desint, aut vacillent. Quam macilenti sunt equi, quamque strigosi. Quoties absterges, aut pectis illos in anno?

SYRVS. Imo quotidie.

RABINVS. Nimirum res ipsa loquitur. Ieiunant opinor nonnunquam totum triduum.

SYRVS. Minime.

RABINVS. Negas tu quidem, sed aliud dicturi sint equi, si loqui liceat. Quanquam satis loquuntur ipsa macie.

SYRVS. Curo sedulo.

RABINVS. Cur igitur tu habitior equis?

SYRVS. Quia non pascor foeno.

RABINVS. Hoc igitur restat. Adorna manticam celeriter.

SYRVS. Fiet.

LB 644-645
ASD 161-163

MONITORIA

PAEDAGOGVS, PVER

27r PAEDAGOGVS. Tu mihi videre non in aula natus, sed in / caula, adeo moribus es agrestibus. Puerum ingenuum decet ingenui mores. Quoties alloquitur te quispiam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis statum, aperi caput. Vultus sit nec tristis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus, nec instabilis, sed hilari modestia temperatus, oculi verecundi, semper intenti in eum cui loqueris, iuncti pedes, quietae

manus. Nec vacilles alternis tibijs, nec sint gesticulosas manus, nec mordero labrum, nec scabito caput, nec fodito aures. Vestis item ad decorum componatur, vt totus cultus, vultus, gestus et habitus corporis ingenuam modestiam et verecundiam indolem prae se ferat.

PVER. Quid si mediter?

PAEDOGOGVS. Fac.

PVER. Siccine satis?

PAEDAGOGVS. Nondum.

PVER. Quid si sic?

PAEDAGOGVS. Propemodum.

PVER. Quid si sic?

PAEDAGOGVS. Hem satis est. Isthuc tene; ne sis inepte loquax, aut praeceps. Nec vagetur animus interim, sed sis attentus, quid ille dicat. Si quid erit respondendum, id facito paucis, ac prudenter, subinde praefatus honorem, nonnunquam et addito cognomento honoris gratia. Atque identidem modice flectas alterum genu, praesertim vbi responsum absolueris. Nec abeas, nisi praefatus veniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age specimen aliquod huius rei nobis praebe. Quantum temporis abfuisti a maternis aedibus?

(27v) PVER. Iam / sex menses.

PAEDAGOGVS. Adendum erat, domine.

PVER. Iam sex ferme menses, domine.

PAEDOGOGVS. Non tangeris desiderio matris?

PVER. Nonnnunquam sane.

PAEDAGOGVS. Cupis eam reuisere?

PVER. Cupio domine, si id pace licet tua.

PAEDAGOGVS. Nunc flectendum erat genu. Bene habet. Sic pergito. Cum loqueris, caue ne praecipites sermonem, aut haesites lingua, aut palato immurmures, sed distincte, clare, articulate consuescito proferre verba tua. Si quem praeteribus natu grandem, magistratum, sacerdotem, doctorem, aut alioqui virum grauem, memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Itidem facito, quum praeteribus aedem sacram, aut imaginem crucis. In conuiuio sic te praebebis hilarem, vt semper memineris quid deceat aetatem tuam. Postremus omnium admoueto manum patinae. Si quid datur lautius, recusato modeste, si instabitur, accipe, et age gratias; mox decerpta portiuncula, quod reliquum est, illi reddito, aut alicui illi bene precare. Sed ipse bibito modice. Si non sitis, tamen admoueto cyathum labijs. Arride loquentibus, ipse ne quid loquaris,

25, 28, 30-32 Haec enuntiata subnotata sunt

nisi rogatus. Si quid obscoeni dicetur, ne arride, sed compone vultum, quasi non intelligas, ne cui obtrectato, ne cui
28r temet anteponito, ne tua iactato, ne alie-/na despicito. Esto comis etiam erga tenuis fortunae sodales. Neminem deferto. Ne sis lingua futili. Ita fiet vt sine inuidia laudem inuenias et amicos pares. Si videris conuiuium esse prolixius, precatus veniam, ac salutatis conuiuis, subducito te a mensa. Vide vt horum memineris.

PVER. Dabitur opera mi praeceptor. Nunquid aliud vis?

PAEDAGOGVS. Adito nunc libros tuos.

PVER. Fiet.

LB 645-646
ASD 163-164

DE LVSV

NICOLAVS, HIERONYMVS, COCLES, PAEDAGOGVS

NICOLAVS. Iamdudum et animus et coelum et dies inuitat ad ludendum.

HIERONYMVS. Inuitant quidem haec omnia, sed solus praeceptor non inuitat.

NICOLAVS. Subornandus orator quispiam, qui veniam extorqueat.

HIERONYMVS. Apte quidem dictum extorqueat. Nam citius clauam extorseris e manu Herculis, quam ab hoc ludendi veniam. At olim illo nemo fuit ludendi auidior.

NICOLAVS. Verum, sed iam olim ille oblitus est se fuisse puerum. Ad verbera facillimus est et liberalis, hic parcissimus, idemque difficillimus.

HIERONYMVS. Attamen, protrudendus est aliquis legatus, non admodum verecundae frontis, quem non ilico protelet suis saeuis dictis.

NICOLAVS. Eat qui volet, ego carere malo, quam rogare.

HIERONYMVS. Nemo magis accommodus ad hanc legationem, quam Cocles.

NICOLAVS. Nemo profecto. Nam perfrictae frontis est, ac
(28v) bene linguax. Deinde sensum ho-/minis pulchre callet.

HIERONYMVS. Cocles, ab omnibus nobis magnam inuiturus gratiam.

COCLES. Equidem experiar sedulo. Verum si non succederit, ne conferte culpam in oratorem vestrum.

---

7 subducito te a mensa subnotatum est

HIERONYMVS. Bene ominare, si te satis nouimus, impetrabis. Abi orator, redibis exorator.

COCLES. Eo. Bene fortunet legationem meam Mercurius. Salue praeceptor.

PAEDAGOGVS. Quid sibi vult nugamentum hominis?

COLCES. Salue praeceptor obseruande.

PAEDAGOGVS. Insidiosa ciuilitas. Satis iam salueo. Dic quid tibi velis.

COCLES. Totus disciplinorum tuorm grex orat ludendi veniam.

PAEDAGOGVS. Nihil aliud quam luditis, etiam absque venia.

COCLES. Scit qua prudentia vigorem ingeniorum excitari moderato lusu, quemadmodum nos docuisti ex Quintiliano.

PAEDAGOGVS. Sane vt isthuc tenes, quod pro te facit. Laxamento opus est ijs, qui vehementer laborant, vobis qui segniter studetis, et acriter luditis, freno magis opus est, quam laxatis habenis.

COCLES. Adnitimur pro viribus. Et si hactenus cessatum est, post diligentia sartietur.

PAEDAGOGVS. Oh sartores. Quis erit fideiussor isthuc futurum?

COCLES. Ego capitis mei periculo non dubitem esse sponsor.

PAEDAGOGVS. Imo culi periculo potius. Scio quam non sit totum tibi credere. Tamen hic periculum faciam, quam sis bonae
29r fidei. Si dederis verba, posthac ne quicquam **me/cum egeris.** Ludant, sed gregarim in campis. Ne diuertant ad compotationes, aut alia nequiora. Mature se recipiant domum ante solis occubitum.

COCLES. Fiet. Exoraui, quamquam aegre.

HIERONYMVS. O lepidum caput, omnes amamus te plurissimum.

COCLES. Sed interim cauendum, ne quid peccemus, alioqui de meo tergo dependendum foret, fideiussi vestro omnium nomine. Quod si quid accidat, non est quod me posthac vtamini legato.

HIERONYMVS. Cauebitur. Sed quod lusus genus potissimum placet?

COCLES. De hoc incampo consultabimus.

NICOLAVS. Nulla res melius exercet omnes corporis partes, quam pila palmaria. Sed aptior hyemi, quam aestati.

HIERONYMVS. Nullum anni tempus nobis parum accommodum est ad ludendum.

NICOLAVS. Minus sudabitur si ludamus reticulo.

HIERONYMVS. Imo reticulum piscatoribus relinquamus. Elegantius est palma vti.

NICOLAVS. Age nihil moror, sed quanti certabimus?

HIERONYMVS. Talitro, sic parcetur pecuniae.

NICOLAVS. At ego malo fronti parci, quam pecuniae.

HIERONYMVS. Et mihi frons carior friget ludus. Aliquo periculo certandum est, alioqui friget ludus.

NICOLAVS. Sic res habet, vt dicis.

HIERONYMVS. Vtra pars prior euicerit tres lusus, et victa pendet sextam drachmae partem. Sed hac lege, vt quicquid (29v) e victorijs colectum fuerit, insuma/tur in conuiuium, ad quod pariter vocentur omnes.

NICOLAVS. Placet lex, et rata esto. Superest igitur, vt sortiamur partes. Nam sumus ferme pares omnes, vt non admodum referat, quis cui coniungatur.

HIERONYMVS. Tu tamen me longe peritior es.

NICOLAVS. Vt sim, sed tu felicior.

HIERONYMVS. Etiam hic valet fortuna?

NICOLAVS. Illa nusquam non regnat.

HIERONYMVS Age fiat fortitio. Euge bene cecidit. Contingere quos volebam.

NICOLAVS. Et nos nostrae sodalitatis poenitet.

HIERONYMVS. Age simus viri."Amat victoria curam" Suum quisque locum grauiter tueatur. Tu mihi consiste a tergo, excepturus pilam, si me transuolet. Tu isthic obserua repulsurus huc ab aduersarijs reuolantem.

NICOLAVS. Ne musca quidem hac praeteruolarit impune.

HIERONYMVS. Agite bonis auribus, mittito pilam in tectum. Qui miserit, nihil praefatus, frustra miserit.

NICOLAVS. Hem, accipe igitur.

HIERONYMVS. Mittito. Si miseris extra lineas, aut infra supraque tectum, vestro damno fuerit, aut certe nobis fraudi esse nolim. Tu sane parum commode mittis.

NICOLAVS. Tibi quidem, at nobis commode.

HIERONYMVS. Ut miseris, ita remittam. Par pari referam.

---

39 mitis

Sed praestat ingenue legimiteque ludere.

NICOLAVS. In ludo pulchrum est arte vincere.

HIERONYMVS. Fateor atque etiam in bello. Sed habet vtraque pars suas leges. Et sunt artes illiberales.

NICOLAVS. Credo plures septem. Signa terminum testula, aut rudere, aut si / mauis pileo tuo. 30r

HIERONYMVS. Tuo malim.

NICOLAVS. Rursus excipe pilam.

HIERONYMVS. Mitte. Pone notam.

NICOLAVS. Habemus duos terminos satis longinquos.

HIERONYMVS. Vtcunque sed tamen vincibiles.

NICOLAVS. Plane vincibiles, si nemo repugnet.

HIERONYMVS. Euge priorem metam praetercurrimus. Vicimus quindecim. Heus praebete vos viros; viceramus et hic, si tu tuo constitisses loco. Sumis igitur pares.

NICOLAVS. Non diu futuri. Vicimus triginta, vicimus quadraginta quinque.

HIRONYMVS. Sextertia?

NICOLAVS. Non.

HIERONYMVS. Quid igitur?

NICOLAVS. Numeros.

HIERONYMVS. Quo pertinent numeri, si nihil est quod numeres?

NICOLAVS. Noster hic ludus est.

HIERONYMVS. Praepropere tu quidem. Ante victoriam canis triumphum. Vidi qui vincerent ab hoc numero, qui nihil habebant. Varia est, vt Martis, ita lusus, alea. Habemus triginta. Iam pares sumus.

NICOLAVS. Nunc serio res agitur. Euge successit, habemus potiores.

HIERONYMVS. Non diu habituri. Dixin'? Rursum aequali fortuna sumus.

NICOLAVS. Diu mutat fortuna, velut anceps, vtris velit addicere victoriam. O fors fortuna, si nobis faueris, dabimus tibi maritum. Euge audiuit votum. Penes nos est huius certaminis victoria. Pone totam cretaceam, ne excidat.

HIERONYMVS. Iam appetit vespa, et sudatum est satis, prestat a ludendo desistere, ne quid nimis. Supputemus lucrum.

NICOLAVS. Nos euincimus tres drachmas, vos duas. Restat

---

24 HI
27 trĩginta

(30v) igitur vna / ad compotatiunculam. Sed interim quis soluet pre-
cium pilarum?

HIERONYMVS. Omnes ex aequo pro sua quisque portione. Nam lucrum exilius est, quam vt inde possit aliquid decidi.

LB
647 A-D
ASD
167-168

LVDVS GLOBORVM MISSILIVM
ADOLPHVS, BERNARDVS

ADOLPHVS. Tu toties apud me gloriatus es te mirum quendam esse artificem in certamine mittendorum globorum. Age libet experiri, qui vir sies.

BERNARDVS. Nihil detrecto, huc si quid libet. Nunc tu pla-
ne, quod dici solet, in planitiem prouocas equum.

ADOLPHVS. Et tu senties me non esse asinum.

BERNARDVS. Placetne monomachia? Vt vnus cum vno congredia-
tur, an mauis adiungi socios periculi?

ADOLPHVS. Malo μονομαχεῖν , ne qua pars victoriae deci-
datur alteri.

BERNARDVS. Isthuc et ipse malo, vt laus insolidum sit mea.

ADOLHPVS. Hi spectatores erunt et arbitri.

BERNARDVS. Recipio. Sed quod erit victori brauium, aut quae victo poena?

ADOLPHVS. Quid si victo amputetur auricula?

BERNARDVS. Imo testium alter execetur potius. Non est ma-
gnificum certare pro pecunia. Tu Germanus, ego Gallus. Decer-
temus pro suae vterque gentis gloria. Si vicero, tu ter excla-
mabis "Floreat Gallia". Si victus, quod absit, fuero, totidem verbis celebrabo tuam Germaniam.

ADOLHPVS. Age placet conditio.

31r BERNARDVS. Adsit fortuna. Quando / periclitantur hoc lu-
do duae maximae nationes, sint equales sphaerae.

ADOLHPVS. Nosti saxum illud prominens haud procul a por-
ta.

BERNARDVS. Noui.

ADOLHPVS. Ea erit meta, et haec linea.

BERNANDVS. Esto, sed sint, inquam, pares globi.

ADOLPHVS. Minus discernas ouum ab ouo, aut ficum a fico. Sed mea non refert, vtrum malis elige.

BERNARDVS. Mitte.

ADOLPHVS. Heus tu mihi non brachium, sed balistam habere videris, ita torques globum.

BERNARDVS. Satis momordisti labrum, satis rotasti brachium,

tandem mitte. O vires Herculeas, sed tamen vinco.

ADOLPHVS. Nisi sceleratur ille laterculus obstitisset, praeuerteram te.

BERNARDVS. Consiste in sphaerae tuae vestigio.

ADOLPHVS. Non vtar dolo malo. Cupio virtute, non fraude vincere, quandoquidem de gloria certamen est. Bene vertat.

BERNARDVS. Ingens profecto iactus.

ADOLPHVS. Ne ride priusquam viceris. Adhuc pene sumus pares.

BERNARDVS. Nunc res agitur. Vter prior metam contigerit, is vicerit.

ADOLHPVS. Vici. Canta.

BERNARDVS. Sed desiniendum erat, quoto ludo constaret victoria. Nam primo nondum incaluerunt vires.

ADOLPHVS. Definiant arbitri.

ARBITRI. Tertio.

BERNARDVS. Placet.

ADOLPHVS. Quid ais? Agnoscisne victorem?

BERNARDVS. Tibi fortuna magis aspirauit, viribus et arte non tibi cessero. Sed quod arbitri pronuntiauerint, id sequar.

(31v) ADOLPHVS. Germanus vicit, et hoc gloriosior est victo/ria quod talem artificem vicerit.

ADOLPHVS. Nunc canta,Galle.

BERNARDVS. Sum raucus.

ADOLPHVS. Hoc Gallis nouum non est, sed tamen coccyssa.

BERNARDVS. Floreat Germania ter.

ADOLPHVS. Imo ter hoc erat canendum.

BERNARDVS. Contraximus siticulam, eamus ad compotatiunculam, ibi perficietur cantio.

ADOLPHVS. Non recuso, si ita videtur arbitris.

BERNARDVS. Ita commodius est. Melius canet gallus colluto guture.

LB 647-648
ASD 168-170

LVDVS SPHAERAE PER ANVLVM FERREVM
GASPAR, ERASMVS

GASPAR. Age nos auspicabimur. Victo succedet Marcolphus.

ERASMVS. Sed quod erit victori praemium?

GASPAR. Victus ex tempore faciet, et recitabit distichon in laudem victoris.

ERASMVS. Accipio legem.

GASPAR. Visne sortiamur, vter prior incipiat?

ERASMVS. Esto tu superior, si libet, ego malim esse abbas.

GASPAR. Hoc tua conditio potior est, quod tibi nota est area.

ERASMVS. Versaris in tua harena.

GASPAR. In hac exercitatior sum, quam in libris. Tamen isthuc perquam exigui momenti est.

ERASMVS. Equum est, vt tantus artifex in hoc certamine mihi largiare nonnihil.

GASPAR. Imo isthuc abs te peterem iustius, sed parum est honesta precaria victoria. Is demum vincit, qui suo Marte vincit. Ita sumus pares, vt non melius commissus fuerit olim cum Bitho Bachius.

ERASMVS. Tu sphaera commodior est mea.

32r GASPAR. Et tua vo-/la vincit meam.

ERASMVS. Ludito legimus, absque technis, ac dolo malo.

GASPAR. Dices tibi rem esse cum homine probo.

ERASMVS. Sed prius audire cupio huius sphaeristerij plebiscita.

GASPAR. Quaternio ludum absoluit. Qui hanc lineam praeterierit, in damno est. Reliquos limites si transilias, sine fraude fiet. Qui globum suo loco mouerit, perdit ius feriendi.

ERASMVS. Intelligo.

GASPAR. En occlusi tibi portam.

ERASMVS. Sed isthinc te excutiam.

GASPAR. Id si feceris, cedam tibi huius certaminis palmam.

ERASMVS. Bona fide?

GASPAR. Optima. Non enim potes alia via, ni si sic mittas sphaeram tuam in parietem, vt resiliat meam.

ERASMVS. Id experiar. Quid ais bone vir? Nonne depulsus es?

GASPAR. Fateor, vtinam tam sapiens esses, quam es felix. Sed isthuc centies tentandi, vix semel successerit.

ERASMVS. Imo si quid audes deponere pignoris, nisi tertio quoque experimento successerit, vinces. Sed interim redde pactum praemium.

GASPAR. Quodnam?

ERASMVS. Distichon.

GASPAR. Reddam.

ERASMVS. Et quidem extempore. Quid arrodis vnguem?

GASPAR. Habeo.

---

1 Abbas

ERASMVS. Recita clare.

GASPAR. Clarissime.

Plaudite victori, iuuenes, hic quotquot adestis;
Nam me qui vicit doctior est nebulo.

Nonne distichon habes?

ERASMVS. Habeo, sed quale abs te allatum est, tale tibi referetur./

(32v)
LB 648 B-F
ASD 170-171

SALTVS

PERSONAE: VINCENTIVS, LAVRENTIVS

VINCENTIVS. Libetne decertare saltu?

LAVRENTIVS. Ludus iste non conuenit pransis.

VINCENTIVS. Quamobrem?

LAVRENTIVS. Quia ventris saburra vrauat corpus.

VINCENTIVS. Non admodum sane qui pransi sint in paedagogio. Nam hi plerumque coenaturiunt priusquam absoluerint prandium.

LAVRENTIVS. Quod igitur saliendi genus placet?

VINCENTIVS. Auspicemur ab eo quod es simplicissimum. A saltu locustarum, siue mauis ranarum, vtraque tibia, sed iunctis pedibus. Qui longissime promouerit cingulum, coronam feret. Huius vbi erit satietas, aliud atque aliud genus experimur.

LAVRENTIVS. Equidem nullum recusabo genus, nisi quod geritur cum periculo tibiarum. Nolim mihi rem esse cum chirurgis.

VINCENTIVS. Quid si certemus vnica tibia?

LAVRENTIVS. Iste ludus est Empusae, valeat.

VINCENTIVS. Hastae innixum salire, cum primis est elegans.

LAVRENTIVS. Liberalius est certare cursu. Siquidem hoc certaminis genus apud Vergilium proposuit et Aeneas.

VINCENTIVS. Verum, sed idem proposuit et caestuum certamen, quo non delector.

LAVRENTIVS. Designa stadium. Hoc loco sit carcer. Quercus ista sit meta.

VINCENTIVS. Sed vtinam adesset Aeneas, qui proponat et praemia victori.

LAVRENTIVS. Victori abund- magnum praemium est gloria.

33r VINCENTIVS. Victo potius dandum erat / praemium solatij gratia.

---

31 aput
40 grata

LAVRENTIVS. Sit igitur victo praemium vt lappa coronatus reddeat in vrbem.

VINCENTIVS. Equidem non recusaris, si tu praecedas tibia canens.

LAVRENTIVS. Est ingens aestus.

VINCENTIVS. Nec mirum, cum sit solstitium aestiuum.

LAVRENTIVS. Praestiterat natare.

VINCENTIVS. Mihi non placet ranarum vita. Animal sum terrestre, non amphibion.

LAVRENTIVS. Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cum primis habebatur liberale.

VINCENTIVS. Imo etiam vtile.

LAVRENTIVS. An quod?

VINCENTIVS. Si fugiendum sit in bello, ibi potissimum valent, qui sese cursu pedum et natatum exercuerunt.

LAVRENTIVS. Artem narras haud quaquam aspernandam. Neque enim minus laudis est aliquando bene fugere, quam fortiter pugnare.

VINCENTIVS. Sum plane rudis et imperitus natandi. Nec sine periculo versamur in alieno elemento.

LAVRENTIVS. Sed assuescere oportet. Nemo nascitur artifex.

VINCENTIVS. At ego istius generis artifices permultos audio natasse, sed non enatasse.

LAVRENTIVS. Experieris primum innixus suberi.

VINCENTIVS. Nec suberi fido magis quam pedibus. Si vobis cordi est natatio spectator esse malo, quam certator.

LB 648-653
ASD 171-181

CONFABVLATIO PIA

ERASMVS, GASPAR

ERASMVS. Vnde nobis prodis? E popina quapiam?

GASPAR. Bona verba.

(33v) ERASMVS. E sphaeristerio? /

GASPAR. Ne hoc quidem.

ERASMVS. Ex oenopolio?

GASPAR. Nequaquam.

---

30 popina Hoc vocabulum subnotatum est
32 sphaeristerio Hoc vocabulum subnotatum est
30s formuli obsonia et caro cocta venditat. Sed stropae cibus/ locus balnei specie rotunda, ubi uaria exercitationum genera ueteres habebant. Sed iam ad exercitum pilae depravatus. nam σφαιρίζω ludo sig. In margine scriptum est manu.

ERASMVS. Quando non assequor diuinando, dic ipse.

GASPAR. Ex aede Virgini Matri Sacra.

ERASMVS. Quid illic tibi negotij est?

GASPAR. Salutem dixi nonnullis.

ERASMVS. Quibus?

GASPAR. Christo, ac diuis aliquot.

ERASMVS. Religiosior tu quidem es, quam pro aetate.

GASPAR. Imo nullam aetatem non decet religio.

ERASMVS. Si cupiam esse religiosus, patiar mihi inijci cucullam.

GASPAR. Atque ego idem facerem, si matura iam esse aetate. Nam aetas haec tenella haud satis idonea mihi videtur ad deliberandum magnis de rebus.

ERASMVS. Aiunt vulgo pueros angelicos in satanam verti, vbi consenuerint.

GASPAR. Sed ego prouerbium isthuc ab autore satana natum arbitror. Imo vix existimo senem esse vere pium, nisi qui a teneris annis assueuerit. Nihil felicius discitur, quam quod ad ipsa statim pueritia discitur.

ERASMVS. Quid igitur est religio?

GASPAR. Est purus cultus numinis, et obseruatio praeceptorum illius.

ERASMVS. Quae sunt illa?

GASPAR. Longum est, sed vt in summa dicam, in rebus quatuor est sita.

ERASMVS. In quibus?

GASPAR. Primum vt recte pieque sentimus de Deo, de scripturis diuinis, atque vt illius non vereamur modo vt dominum, verum etiam amemus ex intimis affectibus, vt patrem beneficen-
34r tissimum. Secun/dum, vt summa cura tueamur innocentiam. Ea est, ne quem laedamus. Tertium, vt teneamus charitatem, hoc est, vt de omnibus, quantum datur bene mereamur. Quartum, vt seruemus patientiam. Ea praestat, vt mala nobis illata si mederi nequeamus, patienter toleremus, non ulciscentes, nec malum malo referentes.

ERASMVS. Nae tu probus es concionator. Sed praestas ista, quae doces?

GASPAR. Equidem adnitor pro mea virili.

---

2 virgini matri sacra
11-13 quantum caloris adfert, tantundem pietatis adferret cuculla. (1533,p.55) IF mut. (ASD,p.172)
15 cũsenuerint

ERASMVS. Qui potes pro virili, quum sis puer?

GASPAR. Meditor pro viribus. Et quotidie mecum ineo rationem, si quid cessatum fuerit, corrigo; illud praeter decorum, hoc dictum petulantius, hoc factum incircunspectius, hoc taceri praestiterat, illud omissum.

ERASMVS. Quando subducitur ista ratio?

GASPAR. Ferme sub noctem, aut si quando magis vacat.

ERASMVS. Sed age dic mihi, quibus studijs totum transigis diem?

GASPAR. Nihil celabo tam fidum sodalem. Mane simul atque sum expergefactus, id fere fit ad sextam aut quintam, pollice signum crucis pingo in fronte et in pectore.

ERASMVS. Quid deinde?

GASPAR. Auspicor initium diei In nomine Patris, Filij et Spiritus Sancti.

ERASMVS. Pie sane.

GASPAR. Mox paucis saluto Christum.

ERASMVS. Quid illi narras?

GASPAR. Ago gratias, quod eam noctem mihi voluerit esse
(34v) prosperam, precorque vt diem itidem illum / totum mihi bene fortunet ad ipsius gloriam et animae meae salutem. Vtque is qui est vera lux, occasum nesciens sol aeternus, omnia viuificans, alens, exhilarans, dignetur illuscere, ne vsquam impingam in vllum peccatum, sed ipsius ductu perueniam ad vitam aeternam.

ERASMVS. Haud inauspicatum diei exordium.

GASPAR. Deinde salutatis parentibus, quibus secundum Deum primum debeo pietatem, cum tempus est, confero me ad ludum literarium, sed vt per templum, si commodum est, sit mihi transitus.

ERASMVS. Quid illic?

GASPAR. Rursus tribus verbis saluto Iesum, ac diuos diuasque omneis, sed nominatim Virginem matrem, tum eos quos habeo mihi peculiares.

ERASMVS. Nae tu mihi probe legisse videris illud Catonis: "Saluta libenter". Non sat erat mane salutasse, nisi mox denua salutares? An non vereris ne molestus sis immodico officio?

GASPAR. Amat ille subinde appellari.

ERASMVS. Sed ineptum videtur alloqui, quem non vides.

---

14 patris/filij/spiritus sancti
33 virginem

GASPAR. Nec eam mei partem video, qua illi loquor.

ERASMVS. Qua?

GASPAR. Animo.

ERASMVS. Sed otiosum est salutare non resalutantem.

GASPAR. Resalutat frequenter arcano afflatu. Denique abunde resalutat, qui dat quod petitur.

ERASMVS. Quid hic ad illo flagitas? Nam video tuas salutationes esse petaces, cuiusmodi fere sunt mendicorum.

35r GASPAR. Sane non procul aberras a scopo. Pre/cor enim, vt qui puer duodecim annos natus, sedens in templo docuit ipsos doctores, cuique pater coelitus emissa voce dedit autoritatem docendi mortalium genus, cum diceret: "Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite"; quique est aeterna sapientia summi patris, illustrare dignetur ingenium meum ad perdiscendas honestas literas, quibus vtar ad ipsius gloriam.

ERASMVS. Quos autem habes diuos tibi peculiares?

GASPAR. Ex apostolis Paulum, ex martyribus Cyprianum, ex doctoribus Hieronymum, e virginibus Agnetem.

ERASMVS. Quae res istos tibi conciliauit? electio, an casus?

GASPAR. Mihi obuenerunt non citra delectum, dum quae illi scripserunt me magis afficiunt, aut quae de illis scripsere alij.

ERASMVS. Atque istos nihil aliud, quam salutas? An ab eis quoque mendicas aliquid?

GASPAR. Precor vt me suis suffragijs Christo commendent, efficiantque vt aliquando contingat in illorum venire conturbernium.

ERASMVS. Sane rem non vulgarem petis. Quid tum postea?

GASPAR. Ad ludum propero, et quod is locus postulat, toto ago pectore. Sic enim imploro Christi praesidium, quasi citra illius opem nihil efficiat nostrum studium; sic studeo, quasi ille nihil auxilij sit laturus, nisi gnauiter laboranti. Ac modis omnibus do operam, ne merito vapulem, ne quid dic-
(35v) to factoue vel prae/ceptorem offendam,vel sodales meos.

ERASMVS. Probus es, cum ista cogitas.

GASPAR. Cum dimissus a ludo domum propero, rursus, si li

---

18 Apostolis
22-24 Sortito obuenerunt (1533,p.58) IF mut.(ASD,p.174)
31-33 Haec enuntiata subnotata sunt

cet, per aedem sacram iter facio. Rursusque tribus verbis saluto Iesum. Si quid est obsequij praestandum parentibus, obeo. Quod si quid etiam superest temporis, mecum, aut cum sodali repeto, quod praelectum est in schola.

ERASMVS. Nae tu perparcus es temporis.

GASPAR. Nec mirum, si parcus sum rei, vt multo pretiosissime, ita irrecuperabilis.

ERASMVS. At Hesiodus docet, in medio parcendum esse, in principio praepoperam, in fine seram esse parsimoniam.

GASPAR. Recte Hesidous de vino, sed aetatis nulla est intempestiua parsimonia. Dolium si sinas, non exhauritur. Aetas nunquam non defluit, siue dormias siue vigiles.

ERASMVS. Fateor, sed quid deinde rei geritur?

GASPAR. Adornata parentibus mensa, recito consecrationem, deinde prandentibus ministro, donec iubeor et ipse prandium sumere. Actis gratijs, si quid vacat, lusu quopiam honesto laxo animum cum sodalibus, donec hora reuocat in ludum a lusu.

ERASMVS. Ac rursum salutatur Iesus.

GASPAR. Salutatur, si commodum est. Sin est, cur aut non vacet, aut non sit tempestiuum, tamen praeteriens templum, cogitatiuncula saluto. Rursus in ludo totis viribus hoc agitur
36r quod locus postulat. Domum reuersus, idem ago / quod ante prandium. A coena suauibus fabulis memet oblecto; mox prosperam noctem precatus parentibus ac familiae, mature me confero ad nidum. Illic flexis ante lectum genubus, mecum, vt dixi, reputo, quibus studijs is dies peractus sit. Si quid est grauioris admissi, Christi clementiam imploro, vt ignoscat, polliceorque meliora. Si nihil est, ago gratias illius beneficentiae, quod me seruarit ab omni litio. Deinde me totum illi toto pectore commendo, caeterisque diuis, vt me protegant ab insidijs mali genij, et ab obscoenis somnijs. His factis, lectum ingressus, frontem ac pectus signo crucis imagine, ac me compono ad somnum.

ERASMVS. Quo pacto te componis?

GASPAR. Nec pronus cubo, nec supinus, sed primum lateri dextro innitens, brachijs ita transuersim complicatis, vt pectus muniant figura crucis, dextra manu sinistro admota humero, laeua dextro. Ita dormio suauiter, donec aut expergiscar ipse, aut exciter.

ERASMVS. Santulus es, qui ista possis.

GASPAR. Imo stultus es, qui ista dicas.

ERASMVS. Laudo institutum, si queam assequi.

GASPAR. Velis tantummodo. Nam vbi assueueris pauculos menses, erunt haec etiam suauia, adeo vertentur in naturam.

ERASMVS. Sed nihil audio de sacris.

GASPAR. Nec hac parte mihi desum diebus festis

ERASMVS. In his quomodo te geris?

GASPAR. Primum omnium excutio meipsum, num qua labe pec-
(36v) cari sit / animus contaminatus.

ERASMVS. Id si comperias quid tum, subducis te ab altari?

GASPAR. Nequaquam corpore, sed animo me submoueo, ac veluti procul stans, nec audens attollere oculos adpatrem Deum, quem offendi, tundo pectus meum, dicens illud ex Euangelio cum publicano: "Domine, propitius esto mihi peccatori". Deinde si sensero quempiam offensum a me, eum curo placandum e vestigio, si licet; sin minus, statuo in animo mihi, quum primum licebit, reconciliare proximum. Si quis offendit me, remitto vindictam, doque operam, vt qui laesit, agnoscat errorem suum et resipiscat. Sin eius rei nulla spes est, vindictam omnem Deo relinquo.

ERASMVS. Isthuc durum est.

GASPAR. An hoc durum, condonare leuem nox iam fratri tuo, cuius ignoscenda tibi mutua sit frequenter opus, cum Christus omnia commissa nostra nobis semel condonarit, et quotidie condonet? Imo nihil videtur hac non esse liberalitas in proximum, sed foeneratio apud Deum; perinde quasi conseruus ex pacto remittat conseruo tres drachmas, vt ipsi dominus condonet talenta decem.

ERASMVS. Pulchre tu quidem philosopharis, si modo certum sit, quod ais.

GASPAR. An postulas aliquid tertius Euangelica cautione?

ERASMVS. Non est aequum. Sed sunt, qui se non credant
37r esse Christianos, nisi quotidie mis-/sam vt appellant, audierint.

GASPAR. Horum institutum equidem probo, praesertim in his, qui abundant ocio, quiue totos dies occupantur profanis negotijs. Tantum illos non approbo, qui superstitione sibi persuaserunt diem fore parum faustum, nisi fuerint eum auspicari a missa. Et statim a sacro se conferunt vel ad negotiationem, vel ad praedam, vel ad aulam, vbi, si quod per fas nefas-

---

13 Publicano
36-38 Hoc enuntiatum expunctum est.

que gerunt, successerit, missae imputant.

ERASMVS. Stunne qui sic desipiant?

GASPAR. Magna pars hominum.

ERASMVS. Sed redi ad sacrum

GASPAR. Si licet, adsto vicinus altari sacro, quo perpicere queam ea, quae sacrificus recitat, praesertim epistolam et Euangelium. Ex his aliquid conor decerpere, quod infigam animo meo. Id mecum aliquandiu rumino.

ERASMVS. Nihil interim oras?

GASPAR. Oro, sed dum rem diuinam audio, cogitationem magis quam strepitu labiorum, alijs temporibus preculas quas dam reseruo, quae me ardentius mouent ad pietatem; in missa autem ex his quae recitat sacerdos accipio et cogitandi, et precandi occasionem.

ERASMVS. Dic isthuc explanatius, nam non satis assequor, quid velis.

GASPAR. Dicam. Finge recitari epistolam: "Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi". Ad haec verba sic mecum loquor Christo: Vtinam vere sim azy-
(37v) mus purus ab omni fermento malitiae. Sed tu, Do-/mine Iesu, qui solus es ab omni malitia purus ac syncerus, largite vt in dies et ipse magis ac magis expurgem vetus fermentum. Rursum, si forte legatur Euangelium de seminante semen suum, sic oro mecum: Felix ille qui meretur esse terra bona, precorque vt me ex terra parum frugifera, sua benignitate faciat terram bonam, sine cuius beneficio nihil omnino est. Sint haec exempli causa dicta. Nam singula persequi prolixum sit. Sed si contingat sacrificus mutus, quales multos habet Germania, aut non detur adesse proprius altari, fere libellum paro, in quo describptum sit eius diei Euangelium et epistola, inde ipse aut pronuncio, aut oculis lego.

ERASMVS. Intelligo, sed quibus cogitationibus potissimum transmittis hoc tempus?

GASPAR. Ago gratias Iesu Christo pro ineffabili charitate, quod genus humanum sua morte redimere dignatus est, et oro ne patiatur suum sacrosanctum sanguinem pro me frustra fusum esse, sed suo corpore semper pascat animum meum, sub sanguine viuificet spiritum meum, vt paulatim adolescens virtutum auctibus, efficiar idoneum membrum corporis illius mystici,

---

10-13 cogitatione magis quam strepitu labiorum. Ex his (1533, p.61) IF mut. (ASD,p.177)
18 azimi
22 fermentum subnotatum est
20 domine

quod est Ecclesia; nec unquam dificiam ad illo sanctissimo foedere, quod in extrema coena distributo pane et porrecto poculo pepigit cum discipulis suis electis, et per hos cum
38r om/nibus qui per baptismum in societatem illius insiti sunt. Quod si sensero vagari cogitationem, lego psalmos aliquot, aut aliud quippiam pium, quod animum ab euagando cohibeat.

ERASMVS. Habes in hoc psalmos certos?

GASPAR. Habeo, sed quos non ita mihi ipsi indixi, quin omittam, si cogitatio quaepiam incidat, quae magis reficiat animum meum, quam illa psalmorum recitatio.

ERASMVS. Quid de ieiunando?

GASPAR. Cum ieiunando mihi nihil est negotij. Sic enim me docuit Hieronymus, non esse valetudinem atterendam ieiunijs, donec corpus aetate robur iustum collegerit. Nondum autem egressus sum annum decimum septimum. Sed tamen si sensero opus, prandeo coenoque parcius, quo me praebeam alacriorem studijs pietatis per diem festum.

ERASMVS. Posteaquam coepi semel, explicabor omnia. Quo modo affectus es erga conciones?

GASPAR. Optime. Ad has non minus religiose accedo, quam ad sacram synaxim. Et tamen deligo, quos audiam. Sunt enim quos praestat non audisse. Quod si talis contingit, aut si nemo contingit, tempus hoc transigo sacra lectione; lego Euangelium et epistolam cum interpretatione Chrysostomi, aut Hieronymi, aut si quis alius occurrit pius ac doctus interpretes.

ERASMVS. Sed magis afficit viua vox.

GASPAR. Fateor et audire malo, si detur concionator to-
(38v) lerabilis, sed non videor om/nino caruisse concione, si Chrysostomum aut Hieronymum scripto loquentem audiero.

ERASMVS. Non opinor. Sed quid te delectat confessio?

GASPAR. Magnopere. Nam confiteor quotidie.

ERASMVS. Quotidie?

GASPAR. Sic est.

ERASMVS. Alendus est igitur tibi propri sacerdos.

GASPAR. Sed illi confiteor (...) cui est potestas vniuersa.

ERASMVS. Cuinam?

GASPAR. Christo.

ERASMVS. An istud sat esse putas?

---

1 ecclesia
35 qui vere solus remittit peccata (1533, p.63) IF om. (ASD,p.178)

GASPAR. Mihi sat esset, si esse proceribus Ecclesiae, et consuetudini receptae.

ERASMVS. Sed quos tandem appellas Ecclesiae proceres?

GASPAR. Pontifices, episcopos, apostolos.

ERASMVS. Ex inter hos annumeras Christum?

GASPAR. Is est omnium sine controuersia colophon.

ERASMVS. Et huius receptae confessionis autor?

GASPAR. Is quidem autor est omnis boni. Quare et si solum per apostolos instituisset, autor videri deberet? Atqui fieri potuit, vt idem non instituerit, qui apostolis dixit: "Quorum retinueritis peccata retenda erunt? Sed redeo ad meam confessionem. Haec profecto multum vtilitatis, multum suauitatis praestat. Dum cotidie Christo consteris, gratim retines, et feliciorem tibi viam sternis, vt proprio postea sacerdoti confitearis. Neque est ita facile Christo confiteri. Non confitetur illi, nisi qui ex animo irascitur suo peccato. Apud illum expono deploroque si quid admisi grauius, clamo lachry
39r mo, ploro, meipsum execror, illius im/ploro misericordiam, nec finem facio, donec sensero peccandi affectum penitus expurgatum e medullis animi, et succedere tranquilitatem aliquam et alacritatem, condonati criminis argumentum. Atque vbi tempus inuitat, vt adeam sacrosanctam mensam corporis et sanguinis dominici, confiteor et sacerdoti, sed paucis, et non nisi ea, quae certo videntur crimina, aut eiusmodi, vt vehemens suspicio sit crimen esse. Neque vero protinus arbitror esse piaculum quod admittitur aduersus quaslibet constitutiones humanas, nisi contemptus accesserit malitiosus. Imo vix arbitror crimen capitale cui non sit adiuncta malitia, hoc est peruersa voluntas.

ERASMVS. Si ita pergis, iam non bene audiet apud me tua pietas, quum dudum exosculabar. Nam etiam sine contemptu capi

---

1 ecclesiae
3 ecclesiae
8-15 Is quidem autor est omnis boni, sed an ipse instituerit hanc confessionem, qualis nunc est in usu ecclesiae, theologis excutiendum relinquo; mihi puero et idiotae sufficit maiorum autoritas. Haec est certe praecipua confessio; nec est facile confiteri Christo. (1533, p. 63) IF mut. (ASD,p.178)
11 retenta
30ss ER. Laudo quod sic est religiosus, ut tamen superstitiosus non sis. Hic quoque puto locum esse prouerbio: Nec omnia, nec passim nec quibuslibet. (1533,p.64) IF mut.(ASD,p.178)
25-27 Hoc enuntiatum expunctum est.

tale quidem fuerit,non abstinere a carnibus vigilia diui Laurentij. Aut aliud hoc genus quos solum moribus aut legibus maiorum faciendum, aut non faciendum iniungitur. Quin etiam quoties ea non facimus, quae facere alias tenemur, aut socorditer et segniter omittimus facienda, etiam si non vocetur ad partes peruersa illa voluntas, nemo pius negauerit esse peccatum.

GASPAR. Ego non dixeram non esse peccatum, sed piaculum, hoc est non perinde execrandum peccatum ac si adesset ille contemptus nec infitior capitale crimen esse, si amiserunt facienda, sed vix capitale arbitrabar, quasi facile condonandum, cum plurimum intersit inter peruersam voluntatem, et segnitiam ac socordiam. (39v)

ERASMVS. Laudo, perge vlterius.

GASPAR. Deligo mihi sacerdotem, cui credam arcana pectoris.

ERASMVS. Isthuc est sapere. Sunt enim permulti, quod compertum est, qui quod accipiunt in confessionibus, effutiunt. Sunt improbi quidam, et imprudentes, qui percontantur a confitente, quae praestiterat tacuisse. Sunt indocti et stolidi, qui ob sordidum quaestum praebent aurem verius quam animum, quum nec dijudicent inter noxiam et recte factum, nec docere possint, nec consolari, nec consulere. Haec sic habere frequenter audiui ex multis, et ipse partim expertus sum.

GASPAR. Et ego nimium. Proinde deligo virum non indoctum, grauem, spectatae integritatis, linguae continentis.

ERASMVS. Profecto felix es, qui ista mature sapere coeperis.

GASPAR. Denique illa prima mihi curarum est, ne quid committam, quod cum periculo credam sacerdoti.

ERASMVS. Nihil melius, siquidem possis cauere.

GASPAR. Nobis quidem difficillimum est, sed auxiliante Christo facile est. Primum est, vt adsit bona voluntas. Eam mihi subinde renouo, praesertim diebus dominicis. Deinde subduco meipsum pro viribus ab improborum / consortio, et sodalibus integerrimis me adiungo, quorum conuictu fiam melior. 40r

ERASMVS. Recte tibi consulis. Corrumpunt enim mores bonos colloquia praua.

GASPAR. Ocium, ceu pestem quandam fugio.

---

10 inficior
27 maturae

ERASMVS. Nec mirum, nam nihil malorum non docet ocium. Sed vt nunc sunt hominum mores, solus viuat oportet, qui velit abesse a malorum consortio.

GASPAR. Non omnino vanum est, quod dicis. Plures enim mali, vt Graecus ille sapiens dixit. Sed ex paucis optimos deligo. Et probus sodalis nonnunquam sodalem reddit meliorem. Vito lusus, qui prouocant nequitiam, vtor innoxijs. Comem me praebeo omnibus. Sed familiarem non nisi bonis. Quod si quando incidero in malos, aut corrigo blande monendo, aut dissimulo toleroque si videor non profecturus certe cum primum licet, memet ab illis suffuror.

ERASMVS. Nunquamne titillauit animum tuum libido capiundae cucullae?

GASPAR. Nunquam, sed crebro solicitatus sum a quibusdam, ab hoc seculo, velut a naufragio, ad portum monasteriorum vocantibus.

ERASMVS. Quid ego audio adeo puerum?

GASPAR. Pio, ni fallor, affectu et me et parentes adorti sunt. Sed mihi stat sententia, non addicere me vel matrimonio, (40v) vel sacerdotio, vel instituto monachorum, / aut vlli vitae generi, vnde post me non queam extricare, priusquam mihi fuero pulchre notus.

ERASMVS. Quando isthuc erit?

GASPAR. Fortasse nunquam. Sed ante annum vigesimum octauum nihil statuetur.

ERASMVS. Quur ita?

GASPAR. Quia audio passim tam multos sacerdotes, monachos, et maritos deplorantes, quod sese temere precipitarint in seruitutem.

ERASMVS. Cautus es, qui capi nolis.

GASPAR. Interim tria mihi curae sunt.

ERASMVS. Quaenam ista?

GASPAR. Vt proficiam in probitate morum. Dein si id nequeam certe tueor illibatam innocentiam ac famam. Postremo paro mihi bonas literas, ac disciplinas, in quouis vitae genere futuras vsui.

ERASMVS. Sed interim a poetis abstines?

GASPAR. Non in totum. Sed castitissimos quosque potissi-

---

9 corigo
17-19 ER. Quid ego audio? Captabant praedam? GA. Miris technis adorti sunt et me et parentes. (1533, p.65) IF mut. (ASD, p179
37 Poetis
18 Pro emendatum est in erratis.

mum lego. Quod si quid inciderat parum verecundum, praetercurro, quemadmodum Vlysses obturatis auribus Sirenas praeternauigauit.

ERASMVS. Sed cui interim studiorum generi te potissimum addicis? Medicinae, iuri Caesareo, aut Pontificio, an Theologiae? Nam linguae bonae literae, philosophia pariter conducunt ad omnem professionem.

GASPAR. Nondum vlli me plane addixi, sed ex omnibus gustum aliquem capio, ne cuiusdam plane sim rudis; vtque degustatis singulis, certius eligam, cui sim accommodus. Medicina vbi
41r uis terrarum certissimum viaticum est, / Iuris prudentia viam aperit ad dignitates, Theologia mihi cum primis placeret, nisi me mores quorundam, et morosas inter ipsos contentiones offenderent. Ne facile labar, pedetentim incedo.

ERASMVS. Complures abstinent a theologia quod vereantur ne vacillent in fide catholica, cum videant nihil non vocari in quaestionem.

GASPAR. De multis disputandum est, et semper fuit disputatum. Apes ex eisdem floribus diuinum illud mellis nectar bibunt, vnde aranei venenum. Qui fidem suam in solida petra firmarunt vacillare non possunt. Nec aliter quidem a thelogia abhorrent qui hoc animo sunt, quam qui a medicina, quod illa non solum quemadmodum antidota fiant, sed etiam veneni rationem tradat. Ego quod lego in sacris literis et in symbolo(...)apostolorum summa fiducia credo.(...) Haec si non possum ratione humana, vel in vniuersum vel in parte percipere non vltra scrutor. Quae ex his arctissima conclusionis lege deriuantur, quaeque sacris Ecclesiae consilijs spiritus ille paracletus suggessit eodem cultu veneror. De hinc quae pontificum decretis et tandem quae a sacris doctoribus prodita sunt et exosculor et demiror. Caetera permitto theologis disputanda, ac definienda, si velint. Si quid tamen receptum est vsu populi Christiani,
(41v) quod / non plane pugnet cum sacris literis, hactenus seruo, ne cuiquam sim offendiculo.

ERASMVS. Quis Thales te docuit istam philosophiam?

GASPAR. Fuit mihi admodum puero consuetudo domestica cum integerrimo viro Ioanne Coleto. Nostin'hominem?

ERASMVS. Quid ni? Tanquam te.

---

14 ER. Non facile labitur qui sic pedentim incedit. Complures hisce temporibus abstinent (1533,p.66) IF mut.(ASD,p.180)
18-24 IF add.
24 quod dicitur (1533,p.66) IF om (ASD,p.180)
25 nec ultra scrutor (1533,p.66) IF om (ASD,p.180)
25-31 IF add.

GASPAR. Is eam aetatem huiusmodi praeceptiunculis imbuit.

ERASMVS. Non inuedebis, si me praebeam aemulum instituti tui?

GASPAR. Imo isthoc nomine mihi futurus es multo charior. Scis enim similitudine morum conglutinari familiaritatem ac beneuolentiam.

ERASMVS. Verum, sed non inter competitores eiusdem magistratus, quum simili laborent morbo.

GASPAR. Nec inter eiusdem sponsae procos, quum pariter laborent amore.

ERASMVS. Sed extra iocum experiar imitari rationem istam.

GASPAR. Precor vt tibi vertat quam optime.

ERASMVS. Fortassis assequar te.

GASPAR. Vtinam et praecurras. Sed interim non operiar te. Quin ipse quotidie meipsum superare contendo. Sed tamen adnitere si poteris, vt anteuertas.

LB 653-654
ASD 181-182

VENATIO

PAVLVS, THOMAS, VINCENTIVS, LAVRENTIVS, BARTHOLVS

PAVLVS. Trahit sua quemque voluptas. Mihi placet venatio.

THOMAS. Placet et mihi, sed vbi canes, vbi venabula, vbi casses?

PAVLVS. Valeant apri, vrsi, cerui, et vulpes; nos insidiabimur cuniculis.

42r VINCENTIVS. / At ego laqueos inijciam locustis. Insidiabor grylis.

LAVRENTIVS. Ego ranas captabo.

BARTHOLVS. Ego papiliones venabor.

LAVRENTIVS. Difficile est sectari volantia. Difficile, sed pulchrum; nisi pulchrius esse ducis sectari lumbricos aut cochleas, quia carent alis.

LAVRENTIVS. Equidem malo insidiari piscibus, est mihi hamus elegans.

BARTHOLVS. Sed vnde parabis escam?

LAVRENTIVS. Lumbricorum vbique magna est copia.

BARTHOLVS. Est, si tibi velint prorepere e terra.

LAVRENTIVS. Et ego mox efficiam, vt multae myriades prosiliant.

---

19 quenque
36 Myriades

BARTHOLVS. Quo pacto? incantamentis?

LAVRENTIVS. Videbis artem. Imple hanc situlam aqua. Hos iuglandum summos cortices virentes confractos immittito. Hac aqua perfunde solum. Nunc obserua paulisper. Vides emergentes?

BARTHOLVS. Rem prodigiosam video. Sic olim opinor exiliebant armati ex satis serpentis dentibus. Sed plerique pisces delicatioris et elegantioris sunt palati quam vt escatam vulgari capiantur.

LAVRENTIVS. Noui quoddam infecti genus, quo talibus insidiari soleo.

BARTHOLVS. Tu vide, an possis imponere piscibus, ego ranis facessam negotium.

LAVRENTIVS. Quomodo, reti?

BARTHOLVS. Non, sed arcu.

LAVRENTIVS. Nouum piscandis genus.

BARTHOLVS. At non iniucundum. Videbis et fateberis.

VINCENTIVS. Quid si nos duo micemus digitis?

PAVLVS. Ignauum est ac rusticum lusus genus. Ad focum desinentibus magis conuenit, quam in campo versantibus./ (42v)

VINCENTIVS. Quid si certemus nucibus?

PAVLVS. Nuces admodum pueris relinquamus. Nos grandiusculi sumus.

VINCENTIVS. Et tamen nihil aliud adhuc, quam pueri sumus.

PAVLVS. Sed quibus decorum est ludere nucibus, ijsdem non indecorum est equitare in arundine longa.

VINCENTIVS. Tu igitur paescribito lusus genus. Sequar quocunque vocaris.

PAVLVS. Et ego futurus sum omnium horarum homo.

LB 654 A-C
ASD 182-183

PERSONAE: SYLVIVS, IOANNES

SYLVIVS. Cur adeo curris Ioannes?

IOANNES. Cur lepus, vt aiunt, pro carnibus?

SYLVIVS. Quid hoc prouerbij est?

IOANNES. Quia nisi adfuero in tempore ante recitatum catalogum, actum est de pelle mea.

SYLVIVS. Hac quidem ex parte nihil est periculi. Modo praeterita est quinta. Inspice horologium, manus nondum attigit punctum, quod horam aequis spacijs dirimit.

IOANNES. At ego vix habeo fidem horologijs. Mentiuntur nonnunquam.

SYLVIVS. At mihi fide, qui campanae vocem audiui.

IOANNES. Quid loquebatur?

SYLVIVS. Horam esse quintam.

IOANNES. Sed est et aliud, vnde magis etiam timeam, reddenda est memoriter hesterna lectio, satis prolixa. Vereor, vt possim.

SYLVIVS. Commune periculum narras. Hanc et ipse vix satis teneo.

IOANNES. Et nosti praeceptoris saeuitiam. Omnis illi noxia capitalis est. Nec magis parcit nostris natibus, quam si corium bubullum.

43r SYLVIVS. / Verum is non aderit in ludo.

IOANNES. Quem igitur vicarium constituit?

SYLVIVS. Cornelium.

IOANNES. Strabum illum? Vae nostris natibus. Is vel Orbilio plagosior est.

SYLVIVS. Verum dicis, et ideo non raro sum illius brachio precatus paralysim.

IOANNES. Non est pium imprecari praeceptori. Nobis potius cauendum, ni incidamus in illius tyranni manus.

SYLVIVS. Reddamus inter nos vicissim; altero recitante, altero codicem inspiciente.

IOANNES. Pulchre mones.

SYLVIVS. Fac praesenti sis animo. Nam metus officit memoriae.

IOANNES. Facile deponerem pauorem, si non adesset periculum. At in tanto discrimine quis posset esse securus animo?

SYLVIVS. Fateor, attamen non agitur de capite, sed de parte diuersa.

LB
654 C-E
ASD
183-184

ALIA
CORNELIVS, ANDREAS

CORNELIVS. Scite tu quidem pingis, sed charta tua perfluit. Charta subhumida est, ac transmittit atramentum.

ANDREAS. Quaeso, vt appares mihi pennam hanc.

CORNELIVS. Deest mihi gladiolus scriptoris.

ANDREAS. En tibi .

CORNELIVS. Hui quam obtusus.

ANDREAS. Accipe coticulam.

CORNELIVS. Vtrum amas scribere cuspide duriuscula, an molliore?

ANDREAS. Attempera ad manum tuam.

CORNELIVS. Ego molliore soleo.

ANDREAS. Quaeso vt mihi describas ordine figuras elementorum.

CORNELIVS. Graecas an Latinas?

ANDREAS. Latinas primum. Conabor imitari.

CORNELIVS. Suppedita chartam.

(43v) ANDREAS. / Accipe.

CORNELIVS. Sed meum atramentum dilitius est, subinde infusa aqua.

ANDREAS. At meum linteolum prosus exaruit.

CORNELIVS. Immunge, nisi mauis immeiere.

ANDREAS. Imo potius rogabo alicunde.

CORNELIVS. Praestat habere domi, quam rogare commodato.

ANDREAS. Quid est scholasticus absque calamo et atramento?

CORNELIVS. Quod miles absque clypeo et gladio.

ANDREAS. Vtinam mihi essent articuli tam celeres.

CORNELIVS. Prima cura sit, vt bene scribas, proxima vt celeriter. Sat cito, si sat bene.

ANDREAS. Belle, sed istam cantionem cane praeceptori, quum dicat: Sat cito, si sat bene.

LB 654-662
ASD 184-201

AGENDI GRATIAS, FORMVLA

PETRVS. Gratum mihi fecisti, quod aliquoties ad me scripseris. Habeo gratiam, quod ad me crebrius scripsisti. Amo te, quod interdum ad me literas dare non dedignatus es. Habeo gratiam, quod crebris literis me viseris. Ago tibi gratias, qui literarum fasciculo oneraris. Maxima tibi a me habetur gratia, qui nos aliquando literis lacessiueris. Pergratum mihi fecisti, quod nos dignatus sis tuis literis. Debeo tibi pro tuis humanissimis ad me literis. Magni beneficij loco duco, quod non es grauatus ad me scribere.

RESPONSIO

CHRISTIANVS. Imo meum est deprecari culpam impudentiae, qui non veritus sim tibi homini, tum / occupatissimo, tum doc
44r tissimo, meis illiteratis literis obstrepere. Agnosco solitam tuam humanitatem, qui meam audaciam boni consuleris. Verebar

---

22 FOR.
27 fasciculum emendatum est in erratis.

ne quid offendissent te meae literae, quod nihil omnino responderis. Non est quod agas gratias; mihi plus satis est, si sedulitatem meam accepisti in bonam partem.

NOVA ROGANDI FORMVLA

PETRVS. Nihilne nouarum rerum adfertur e patria? Num quid noui de nostratibus accepisti? Quid noui? Ecquid nouarum rerum apportas? Num quid noui fertur? Num quas res nouas e patria nunciantur?

RESPONSIO

CHRISTIANVS. Noui quidem permultam, at nihil veri. Nouarum quidem rerum satis, at nihil comperti. Noua permulta, at explorati nihil. Non parum noui, at veri non multum. Nihil adfertur noui. Nouarum rerum nihil prorsus accepi. Certi nihil. Noui nonnihil. Rumores adferuntur permulti, sed dubij. Plurima est fama, at rerum nihil, firmi nihil. Si vana te capiunt, adfero tota plaustra mendaciorum. Fabularum totos modios apporto. Tantum mendaciorum adfero, quantum vix vna nauis vehat.

PETRVS. Exonera te quam primum, ne succumbas tanto oneri.

CHRISTIANVS. Nihil habeo praeter ea quae iactantur in tons trinis, in vehiculis et in nauibus.

AN ACCEPISTI LITERAS? FORMVLA/

(44v) PETRVS. Nihilne literarum accepisti? Num aliquas e patria recepisti literas? Nullae tibi sunt redditae literae? Nunquid scriptorum accepisti? Num quas accepisti epistolas? Ecquas ab amiculis accepisti literas? Nihil epistolarum aduollauit e Gallia?

RESPONSIO

CHRISTIANVS. Literarum nihil accepi. Ne pilum quidem literarum accepi. Ne tantulum quidem adfertur literarum. Nemo literam ad me. Ne verbum quidem a quoquam redditur. Tantum literarum accepi iamdiu, quantum vides in oculo meo. Equidem pecunias quam literas malim. Argentum accipere malim, quam epistolas. Nummos recipere malim quam epistolas. Nihil moror

---

4 FORM.
21 FOR.

literas, modo veniat argentum. Equidem numerari malo mihi quam scribi.

CREDO, FORMVLA

PETRVS. Facile credo. Haud difficile creditu est. Credo istud perfacile potest. Istud tibi quis non credit? Admodum incredulus fuerit, qui hoc tibi non credat. Profecto habeo tibi fidem, istius rei mihi facile fidem facis. Credo tibi vel iniurato. Verisimile dicis. Adferunt tamen nonnihil solatij literae. At ego alterutrum malim quam neutrum.

VTILITATIS FORMVLA

CHRISTIANVS. Quorsum spectant literae sine pecuniae? 45r Ad / quid tandem inanes conducunt literae? Quorsum valent, ad conferunt, faciunt, prosunt, proficiunt literae vacuae? Cui gratiae, cui acceptae literae sine nummis? Quid emolumenti adferunt literae inanes? Cui bono sunt ociosae literae? Quid iuuant? cui sunt vsui? Ad quid conducibiles sunt? Quid secum adferunt momenti? Cui rei sunt vtiles inanes epistolae?

RESPONSIO

PETRVS. Podici tergendo vtiles, idoneae, accommodae. Conducunt natibus tergendis. Si vsum nescis earum, ad anum expurgandum velent. Ad nates tergendas. Ad posticum purgandum. Conferunt ad eam corporis partem mundandam, quae semet identidem inquinat. Valent conuestiendis scombris. Inuoluendo thuri sunt accommodatae. Quid? valentne amiculi? Quid vxor agit tua?

CHRISTIANVS. Recte, eam apud matrem reliqui, et quidem praegnantem.

BENE PRECANDI

PETRVS. Bene et tibi et illi vertat quod pater, illi quod mater futura sit. Adsit Deus, vt vtrique vestrum faustum felixque sit, precor, optoque. Quaeso, oro superos omneis, vt incolumis prolem vobis dignam pariat, et pulchra faciat te prole parentem. Laudo te quod virum te praestiteris. Gaudeo te (45v) virum praestitisse. Gallum te esse declarasti, at / non Cybeles·

3, 10 FOR.

"Abi, virum te iudico!

CHRISTIANVS. Ludis, idque facis tuo more. Age, age, est tibi ius apud me loquendi, quae libet. Audio te partiam nuper reuisisse.

PETRVS. Sic est factum. Nam diutuscule iam abfueram, non ferebam tam diuturnum patriae desiderium. Non poteram a parentum aspectu abesse diutius. Torquebat me diutinum amicorum desiderium.

CHRISTIANVS. Pie fecisti, humanus es, qui ista cogites. Ducimur enim omnes admirabili quodam amore eius regionis, quae nos aluit atque aedidit. Et "Nescio qua natale solum dulcedine cunctos ducit, et immores non sinit esse sui". Dic, quaeso, quonam in loco illic offendisti omnia?

NOVA OMNIA, FORMVLA

PETRVS. Nihil non nouum. Mutata omnia. Nouata singula, vniuersa noua. Vide quam repente tempus res mutet humanas. Videbar mihi in alium venire mundum. Vix dum decennium abfueram, et non secus omnia admirabar, quam Epimenides somniatorum princeps vix tandem expergefactus.

CHRISTIANVS. Quaenam ista est fabula? Quid isthuc est fabulae?

PETRVS. Dicam equidem, si vacat.

CHRISTIANVS. Nihil fuerit iucundius.

PETRVS. Sellam igitur vnam cum puluino mihi poni iube.

CHRISTIANVS. Recte admones, nam sedens commodius mentieris.

PETRVS. Fabulantur historici de Epimenide quodam Cretensi, qui deambulandi gratia solus vrbem egressus, cum subita / 46r pluuiae vi compellente in quandam speluncam ingressus, obdormisset, quadraginta septem perpetuos annos somnium continuarit.

NON CREDO, FORMVLA

CHRISTIANVS. Quid narras? Incredibile dictu. Non verisimile dicis. Somnium mihi narras. Non fit mihi simile veri. Monstri simile narras. Non pudet tam improbae vanitatis? Digna fabula addatur veris narrationibus Luciani.

---

11 Et nescio
14 FOR.

PETRVS. Imo rem narro e grauissimis proditam autoribus. Nisi forte tibi parum spectatae fidei est Aulus Gellius.

CHRISTIANVS. Mihi vero quae scribit ille, folia Sibyllae sunt omnia.

PETRVS. Quid tandem theologum tot annis somniasse reris? Nam theologum fuisse, proditum est.

CHRISTIANVS. Audire gestio.

RESPONSIO

PETRVS. Quid aliud quam quae postea prodidit Scotus, et huius farinae sodales? Sed bene cum Epimenide actum est qui vel tandem ad se redierit. Multi theologi nunquam expergiscuntur a suis somnijs.

CHRISTIANVS. Quanto hoc quadret aptius in tuos poetas, quales erant olim ethnici theologi. Hi sunt qui letheum obdormiunt somnum, qui postea expergefacti, fumos et nebulas venditant, non Socratis, sed Aristophanis. Scotus autem, et alij hoc genus inclyti viri philosophia et dialectica seruiunt Euangelio, ique faciunt munientes viam / qua eatur ad (46v) maiora, non sic illotis pedibus. Quod faciunt sesqui grammatici isti, qui in sacris literis nihil non audent. Non damnamus linguas, sed nolumus esse solas, vos itidem non damnetis theologorum scholas, quae iam hodie magna ex parte eloquuntur; tu tamen fac vt poeta dignum est, perge mentiri.

PETRVS. Epimenides igitur somno solutus e spelunca prodit, circumpsit, muta videt omnia, syluas, ripas, flumina, arbores, agros, breuiter nihil non nouum. Accedit ad vrbem, percontatur, manet illic aliquamdiu, neque nouit quaequam, neque a quopiam agnitus est. Alius hominum cultus, nec idem vultus, mutatus sermo, diuersi mores. Nec miror hoc Epimenidi post tantum annorum euenisse, cum mihi idem propemodum euenerit, qui pauculos annos abfuissem.

CHRISTIANVS. Quid vterque parens, viuuntne?

PETRVS. Viuunt ambo, et valent vtcumque, senio, morbo, denique bellorum calamitate confecti.

CHRISTIANVS. Haec est humanae vitae comoedia. Haec est fatorum lex ineuitabilis.

PETRVS. Coenabis hodie domi?

---

11 Theologi
13-23 Age, facis ut poeta dignum est; sed perge mentiri (1533, p.75) IF mut. (ASD,p.188)

CHRISTIANVS. Foris coenaturus sum. Foris coenandus est mihi.

PETRVS. Apud quem?

CHRISTIANVS. Apud socerum meum, apud generum meum, apud nurum meum, apud affinem meum. Affines dicuntur, qui non sanguinis, sed matrimonij coniunctione copulati sunt.

PETRVS. Quae sunt igitur vsitata vocabula affinitatum? /

47r CHRISTIANVS. Maritus et vxor, nota sunt nomina.

Socer	vxoris meae pater est mihi.
Gener	filiae meae maritus.
Socrus	vxoris meae mater.
Nurus	filij mei vxor.
Leuir	mariti frater. Leuir dicitur ab vxore, vt Helena Hectorem leuirum vocat, quod esset nupta Paridi.
Fratria	fratis mei vxor.
Glos	mariti soror.
Vitricus	matris meae maritus.
Nouerca	patris mei vxor.
Priuignus	vxoris aut mariti filius.
Priuigna	filia alterutrius.
Riualis	qui amat eandem.
Pellex	quae amat eundem, vt Thraso riualis est Phaedriae, et Europa pellex est Iunoni.

CRAS PRANDEAS, FORMVLA

PETRVS. Ago gratias. Laudo te. In crastinum igitur te ad coenam voco. Cras ego vt mecum coenes oro. Cras igitur mecum prandeas rogo. Cras igitur te mihi conuiuam volo.

TIMEO NE NON POSSIM

CHRISTIANVS. At vereor, ne non licuerit. Vt possim, metuo. Veniam, si quidem licebit. At metuo ne non queam. /

(47v) QVARE?

PETRVS. Cur non licebit? Quid sic? Quid ita? Quamobrem?

---

18 maritu
27 FOR.
33 maetuo

Quo pacto? Quid causae? Quid obsterit, quo minus possis?

DOMI ME ESSE OPORTET

CHRISTIANVS. Tum quidem mihi domi manendum est. Vt domi nocte sim necesse est. Tum certe esse non licebit. Cras mihi ire foras, liberum non erit. A prandio abesse mihi integrum non erit. Aliquot ipse conuiuas eo die operior. Aliquot amiculi constituere ea nocte domi nostrae coenare. Ipsi mihi conuiuae sunt ea nocte tractandi, alioqui lubens venirem. Ni id esset, haud grauatim facerem. Quod ni esset, haud me tibi difficilem praeberem. Non excusarem, si liceret. Non paterer bis rogari, si queam. Parce rogare; vel inuocatus adessem, si possim. Frustra rogas eum, cui non est liberum; frustra item rogaturus, si liberum esset. Nunc vt maxime cupiam non possum. Tunc superuacaneum esset rogare volentem.

PETRVS. Vel perendie apud me sis oportet. Saltem perendino die ad coenam venias, necesse est. Quarto abhinc die non grauaberis mihi praebere conuiuam. Die Iouis proximo non potes effugere quin venias.

NON POSSVM PROMITTERE

48r CHRISTIANVS. Non possum polliceri. Affirmare istud ti-/bi non possum. Promittere certo nequeo. Veniam vbi vtrique nostrum videbitur commodissimum.

DIEM DICERE DEBES

PETRVS. Diem igitur mihi constituas volo, ad quem mecum sis coenaturus. Diem igitur asignes oportet. Diem igitur promittas, necesse est. Dein certum mihi praefiniri, praescribi, praestitui cupio. Ad certum diem condicito. Diem mihi dicas velim.

NOLO TE PRAESCIRE

CHRISTIANVS. Equidem non soleo dicere diem amicis. Cum quibus mihi parum conueniat, ijs soleo diem dicere. Praescium te esse nolim. Praescire te nolo. De improuiso te opprimam. Inopinato te opprimam. Te nec opinantem oppressero. Te nihil

opinantem oppressurus sum. Non expecatus adfuero. Adoriar te nec opinantem. Veniam vltroneus, et insperatus conuiua.

PRAESCIRE VOLO

PETRVS. Biduum praescire volo. Biduum praescius esse cupio. Praemoneto biduo prius, quam venias. Fac me biduo ante certiorem.

CHRISTIANVS. Si me vrges dico tibi diem Sybariticum, ne desit apparandi spatium.

PETRVS. Quid hoc verbi est?

CHRISTIANVS. Sybaritae conuiuas inuitabant in annum proximum, vt vtrinque esset iustus apparatus.

PETRVS. Valeant Sybaritae cum suis molestis conuiuijs. Ego congerronem voco, non satrapam. /

(48v) TVO MALO OPTAS

CRISTIANVS. Equidem tuo detrimento. Tu opte quidem malo. In damnum tuum istud optas. Incommodo istud precaris tuo.

PETRVS. Quid ita? Quamobrem?

CHRISTIANVS. Ego instructus accedam. Ego munitus veniam. Aggrediar te paratus. Instructus multa fame accedam, tu vide vt vulturem expleueris. Parabo ventrem ac dentes exacuam, tu vide, quibus modis lupum exatures .

PETRVS. Age ad hoc certamen te prouoco. Age fac pro viribus. pro virili, si quid potes.

CHRISTIANVS. Veniam, sed non incomitatus.

PETRVS. Tanto venies gratior. Sed quo comite venies?

CHRISTIANVS. Vmbra.

PETRVS. Nec secus possis, si modo luce venias.

CHRISTIANVS. Sed vmbram adducturus sum dentatam vnam atque alteram, ne tu me vocaris impune.

PETRUVS. Age vt libet, modo ne laruas adducas. Sed explana, si libet, quid sibi vmbrae vocabulum.

CHRISTIANVS. Apud eruditos vmbrae vocantur, qui ipsi non vocati comitantur eum qui vocatus est ad conuiuium.

PETRVS. Talium vmbrarum adhuc, quantum voles.

---

1 appressurus
13 Satrapam

EA LEGE PROMITTO

CHRISTIANVS. Veniam quidem, at hac lege, vt tu postridie eius diei vicissim apud me coenes. Faciam eo quidem pacto, vt tu deinde mihi quoque sis conuiua. Ea lege coenam condico, vt tu rursum mihi sis conuiua. Spondeo futurum, sed hac exceptione, si tu postero die itidem / apud me sis. Recipio tibi factu
49r rum me. Do fidem futurum, his quidem legibus, vt mecum postridie prandeas.

PETRVS. Age fiat. Esto. Sit ita, vt vis. Si iubes, faciam Noui Gallorum magnificentiam. Non vis gratias apud me coenare, nisi vices retuleris. At isto quidem pacto redire solent in orbem conuiuia. Sic nascitur conuiuiorum longa periodus. Hac vicissitudine sunt sine fine reciproca conuiuia.

CHRISTIANVS. Nihil suauius, si minimum accedat apparatui quotidiano. Caeterum ego detineo te alio fortassis iturum.

PETRVS. Imo ego te, opinor. Sed cras latius et familiarius confabulabimur. Verum crastino die plura nugabimur; interim fac valeas . Interim cura, vt bebe valeas. Interim valebis.

QVO IS? FORMVLA

CHRISTIANVS. Quo tu nunc abis? Quo tu properas? Quo tu tam celeri gradu tendis? Quo nam te confers? Quo nunc iter est?

AD DOMVM. FORMVLA

PETRVS. Domum recipio. Domum reuertor. Domum repeto. Domum me confero. Viso quid domi agatur. Accerso medicum. Rus hinc concedo. Constitui ad hanc horam cum viro quodam grauissimo colloqui. Statui hac hora verba facere cum viro grauissimo.

CHRISTIANVS. Quonam?

PETRVS. Cum Curione multiloquo.

(49v) CHRISTIANVS. Precor igitur tibi prae-/sentem Mercurium.

PETRVS. Quid opus Mercurio fauente?

CHRISTIANVS. Quia res erit cum linguaci.

PETRVS. Atqui hac gratia magis conueniebat mihi memoriam

---

23 EO DOMVM IF mut. (ASD,p.192)
34 Memoriam

precari propitiam.

CHRISTIANVS. Quid ita?

PETRVS. Quia patientissimis auribus opus erit, potius quam strenua lingua. At auris memoriae dicata est.

CHRISTIANVS. Quonam iturus es? Qua ibis?

PETRVS. Hac ad sinistram, hac, illac, per forum.

CHRISTIANVS. Comitabor igitur te. Assectabor ac deducam te ad diuerticulum vsque.

PETRVS. Non patiar te circumagi. Nolim te tantum laboris mea causa capere. Isthuc officij serua, cum erit vsus, nunc nihil opus est. Ne mea gratia facias viae tuae dispendium.

CHRISTIANVS. Mihi quidem compendium est, frui tantisper amico. Nihil habeo quod agam, et non sum piger, ni tibi sum molestus comes.

PETRVS. Nemo iucundior assecla. At non sinam, vt mihi claudas laeuum latus. Non admittam, vt mihi sinister ambules.

CHRISTIANVS. Hic te commendo. Nolo te longius comitem. Vlterius nolo me comiteris.

COMMENDANDI FORMVLA

CHRISTIANVS. Tu me Curioni magnopere commendato. Fac me Curioni multiloquo quam commendatissimum facias. Me Curioni commendatum quam diligentissime curato. Iubet vt me sibi commendatissimum habeat. Ego me illi per te commendatum facio. 50r Me tibi etiam atque commendo. Me tuae humanitati quam / possum diligentissime relinquito. Vide ne pauca cum multiloquo loquaris. Vide ne cum multiloquo sis pauciloquus.

PETRVS. Vis me tibi morem gerere? Vis me tibi obsecundem? Te igitur imitari me iubes? Quandoquidem ita vis, faciam libentissime. Ne sis mihi diutius in mora, imo ne vterque alteri.

CHRISTIANVS. Sed priusquam abeas, quaeso te ne graveris me docere, quo pacto his sit vtendum, in mora, in causa, in culpa, qui soles elegantiae studiosus esse. Quare age, doce obsecro. Dissere,amabo.

IN CVLPA, IN CAVSA, IN MORA

PETRVS. Mos gerendus est tibi. Non est culpa in me, non

---

7 PE.

est culpa in te. Mora est in te, in te causa est, grammatice quidem dicitur, at multo elegantius.

CVLPA

Non sum in culpa. Culpa non est mea. Vaco culpa. Quod nihil proficis, tua desidia in causa fuit, non praeceptor, non pater tuus. In culpa omnes estis. Vtrique in culpa estis. Vtrique culpandi estis. Ambo accusandi estis. Ambo in culpa estis; incidistis in morbum tuo ipsius vitio, tua ipsius culpa. Itidem dicuntur in vitio esse, quibus culpa debet imputari et in damno esse, qui damno afficiuntur. Hoc genus sermonis non temere licet inuertere. Damnum in illo est, vitium in illo est./

(50v) IN CAVSA

Quo minus ad te scripserim, morbus in causa fuit. Quo rarius adscripserim, mea negotia in causa fuerunt, non negligentia. Quid in causa fuit? Quid causae fuit? Ego non sum in causa. Quod nullas a me literas acceperis, tabellarius in causa fuit. Quod tam macilentus es, amor, non studium in causa est. Hoc est causae.

IN MORA

Non ero vobis in mora. Quid nam vobis in mora fuit? Tu nobis in mora fuisti. Tu semper in mora es. Quid te remoratum est? Quis te remoratus est? Habes quod petebas, tuum est memoriae insculpere. Habes assectatiunculae tuae praemium. Vale mi Christiane.

CHRISTIANVS. Vale in crastinum et tu mi Petre.

IN OCCVRSV

CHRISTIANVS. Salue multum, iucundissime Augustine.

AVGVSTINVS. Salue tantumdem, mi humanissime Christiane. Felix sit tibi huius diei exortus. Prosper sit tibi hic dies. Quid tandem agitur?

CHRISTIANVS. Suauiter, vt nunc res nostrae sunt. Et cupio omnia quae vis.

AVGVSTINVS. Merito te amo. Amo te. Amandus es. Benigne dicis. Comis es. Habeo gratiam.

23-24 Christianae

IRASCOR TIBI, FORMVLA

CHRISTIANVS. Ego nonnihil tibi succenseo. Et ego tibi /
51r subirascor. Verum ego tibi sum subiratus. Atqui ego sum in te stomachosior. Atqui nomihil est, vel habeo, quod tibi succenseam.

QVA CAVSA, FORMVLA

AVGVSTINVS. Quidnam est istud obsecro? Quid ita? Quamobrem tandem, oro? Quid admisi sceleris? Quid commerui? Promereor bona, aut laudem; commereor mala, aut poenam; illud in bonam, hoc in malam partem sumitur. Demeremur eum, quem nobis beneficio reddimus obnoxium.

QVIA NON CVRAS ME

CHRISTIANVS. Quod nulla mei tibi cura sit. Quod nihil nos respicis. Quod tam raro nos reuisas. Quod nihil nos cures. Quod me plane negligis. Quod nostri curam videris abiecisse.

AVGVSTINVS. At nihil est causae cur succenseas. At praeter meritum meum. At immerito succenses. Neque enim mea culpa accidit, quod te rarius visam. Dabis veniam occupationibus meis per quas mihi non licet toties quoties cupio te reuisere.

CHRISTIANVS. Ita demum tibi ignoscam, si hodie apud me coenes. Ea conditione purgatus mihi eris, si vesperi ad coenam venias.

AVGVSTINVS. Haud iniquas pacis leges praescribis, Christiane, quare haud inuitus faciam. Equidem faciam volens. Istud quidem fecero perlibenter. Haud grauate faciam. Hic sane non me praebebo difficilem. / Nihil hac re fecero libentius.
(51v) Animo faciam lubenti.

CHRISTIANVS. Laudo tuam facilitatem et hac in re et in caeteris omnibus.

AVGVSTINVS. Sic soleo amicis obsequi, praesertim non iniqua petentibus. Ridiculum, an tu me recusaturum putabas oblatum, quod vltro etiam erat rogandum?

---

1 FOR.
4 nonnil
6 FOR.
12 NON CRAS ME

CHRISTIANVS. Age, at caue ne me deluseris. Caue fallas. Caue spem frustra foueam. Caue luseris expectantem. Caue mihi verba dederis. Vide ne me frustra habeas. Vide ne me vana spe lactes.

AVGVSTINVS. Nihil opus iureiurando. In caeteris, in alijs, time perfidiam, hac in re non fallam. Sed heus tu, caue quicquam paraueris praeter quotidiana, mea causa diem festum nolo. Scis me conuiuam minime edacem, bibacem multo minus. Nosti enim me conuiuam non multi cibi, sed ioci plurimi.

CHRISTIANVS. Curabitur diligenter. Ego te Pythagorica coena expiciam, aut fortasse frugaliore.

AVGVSTINVS. Imo Diogenicam, si me delectare voles.

CHRISTIANVS. Certe Platonica coena te accipiam, in qua multum sit literarum fabularum, cibi minimum, cuius voluptas duret etiam in posterum diem. Alioqui qui prolixe fuerit acceptus, fortassis eo die suauiter afficitur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. Apud Platonem, qui coena-
52r bat, vnam voluptatem capiebat ex appara-/tu facili, fabulisque philosophicis. Alteram postridie,quod nec capitis grauedinem, stomachi cruditatem sentiret. Ita prandebat etiam suauiter ex condimento coenae pridianae.

AVGVSTINVS. Placet, fiat vt mones.

CHRISTIANVS. Tu vide, omnes curas tuas, ac nugas etiam istas domi relinquas. Huc praeter nugas, et risum nihil adferas. Et, vt inquit Iuuenalis: "Protinus ante meum quicquid dolet, exue limen".

AVGVSTINVS. Quid? literas mecum venire nouem Musas meas mecum adducam, nisi quid aliter censes.

CHRISTIANVS. Tetricas Musas vna cum negotijs domi claudas. Blandas camoenas omnes, deinde sales tuos, dicteria, scommata, facetias, lepores, ridicula omnia tecum adducito.

AVGVSTINVS. Ita fiet. Exporrigemus frontem. Bellos homunculos agemus. Ridemus affatim. Curabimus cutem. Indulgebimus genio. Genialiter coenabimus. Epicureos agemus. Bonum multum faciemus, et erimus boni socij, inelegantium elegantiae sunt, qui suam habent linguam sibi peculiarem.

CHRISTIANVS. Quo nunc properas?

---

1 FOR.

AVGVSTINVS. Ad generum meum.

CHRISTIANVS. Quid illuc, quid eo, quid illo?

AVGVSTINVS. Audio nescio quid turba inter eos natum, vt redigam eos in gratiam, vt reducam in concordiam, vt pacem inter eos componam.

CHRISTIANVS. Benigne facis, quamquam nihil te opus esse arbitror. Nam ipsi inter se melius hoc bellum composuerint. /

(52v) AVGVSTINVS. Fortassis et induciae indictae sunt. Noctu de pacis legibus agetur. Sed nunquid me aliud vis?

CHRISTIANVS. Vocabo te per puerum meum.

AVGVSTINVS. Vbi voles, domi ero. Bene vale.

CHRISTIANVS. Bene sit tibi. Fac hic ad quintam horam adsis. Heus Petre, accerse ad coenam Augustinum, qui mihi hodie, vt scis, coenam condixit.

PVER. Eo. Salue poeta. Coena iamdudum parata est, te herus expectat domi, vbi voles accedas.

AVGVSTINVS. Venio. Salue mi Christiane.

CHRISTIANVS. Bene factum, quod venisti. Nondum quinta sonuit credo.

PVER. Imo iamdudum praeterita est. Haud longe sexta abest. Instat hora sexta. Mox sextam audies.

AVGVSTINVS. Parui refert, an post quintam venerim, necne modo ne post coenam. Nam post festum venire miserum est. At quorsum tantus apparatus? Quorsum tot epulae? Num me lupum existimas? Num tibi lupus videor? Num me vulturem putas?

CHRISTIANVS. Non vulturem, sed nec cicadam, vt rore viuas. Nihil est luxus. Mundicies mihi semper placuit. Sordes detestor. Nec Apicius mihi placet, nec Diogenes. Praestat aliquid superesse, quam deesse. Si praeter cicer nihil apponeretur, et fuligo forte illapsa in ollam, condiret legumen, quid tum ederetur? Nec omnia sapiunt omnibus. Itaque mihi placet mode/-

53r rata varietas.

AVGVSTINVS. Non tu metuis leges sumptuarias?

CHRISTIANVS. Imo peccaui frequenter in diuersum. Nihil opus lege Fannia. Satis nos docet frugalitatem ipsa tenuitas.

AVGVSTINVS. Haud ita conuenerat. Longe aliter pollicitus es.

CHRISTIANVS. Age inepte, nec ipse conuenta seruas. Conuenerat enim, ne quid praeter nugas inferres. Quin haec missa faciamus. Lauemus ac discumbamus. Heus tu puer cape guttum ac patinam, linteum ex humero suspende, ministra aquam; quid cessas? Laua, Augustine.

AVGVSTINVS. Laua tu prior.

CHRISTIANVS. Bona verba. Hoc anno perpetuo illotus coenare mallem.

AVGVSTINVS. Ridiculum,non honoratiori, sed turpiori ante alios lauandum est, laua igitur vt immundior.

CHRISTIANVS. Tu es vrbanus plus satis. Es vrbanior quam sat sit, quam par est. Quorsum attinet ista vrbanitas? Huiusmodi ceremonias ineptas mulierculis relinquamus, quae nunc et ab aulicis fastidiuntur, vnde tamen olim profectae sunt. Lauetis terni et quaterni simul. Ne teramus tempus huiusmodi moris. Ego nulli designabo locum, sumat sibi quisque quem volet. Qui delectatur igni, hic commodius accumbet. Qui offenditur luce, deligat hunc angulum. Quem delectat prospectus, hic sedeat. Agite, satis morarum. Accumbite. Ego domi sum, vel stans
(53v) coenabo si lubeat, vel obam-/bulans. Cessatis. At interim coena corrumpitur.

AVGVSTINVS. Viuamus nunc, curemusque cuticulam. Simus nunc Epicurei. Nihil nobis cum fronte Stoica. Valeant curae. Absit omnis liuor, exulet obtrectatio. Sit mens laeta, frons hilaris, sermo lepidus.

CHRISTIANVS. Quinam sunt isti Stoici atque Epicurei, Augustine?

AVGVSTINVS. Stoici philosophorum quoddam genus est triste, seuerum, ieiunum, qui hominis summum bonum honesto, nescio quo, metiuntur. Epicurei his longe diuersi, felicitatem hominis voluptate terminant.

CHRISTIANVS. Tu igitur cuias es tandem, Stoicus an Epicureus?

AVGVSTINVS. Zenonem laudo, et Epicurum viuo.

CHRISTIANVS. Quod tu ioco dicis, Augustine, id serio factitant hodie non pauci, pallio tantum et barba philosophi.

AVGVSTINVS. Imo isti vel Asotos superant luxu.

CHRISTIANVS. Heus Dromo, ades huc. Tuo munere fungere; consecra coenam.

AVGVSTINVS. Quidquid appositum est, et quicquid apponetur felix ac sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pascit vniuersa. Amen.

CHRISTIANVS. Appone epulas. Quid conctamur capum hunc decerpere, quid trepidamus hunc gallum lacerare?

AVGVSTINVS. Ego Herculem praestabo, ac beluam hanc conficiam. Vtrum mauis de ala, an de poplitibus?

CHRISTIANVS. Vtrum vis, nihil mea refert.

AVGVISTINVS. In hoc genere alis primae partes tribuuntur,
54r in caeteris poplites lautiores putat / vulgus.

CHRISTIANVS. Tu multum laboris mea causa capis. Tu permultum laborem mea causa sumis. Tu omnibus ministras, ipse nihil edis. Ego tibi hanc alam ministrabo; at ea lege, vt dimidium mihi restituas.

AVGVSTINVS. Itane agitur? At istud est tibi ministrare, non mihi. Tibi serua, ego enim sum impudentior, quam cui ministrari quicquam debeat.

CHRISTIANVS. Probe facias.

AVGVSTINVS.Eho, tu lupo cibum ministras? Vulturem inuitas?

CHRISTIANVS. At ieiunas, non coenas.

AVGVSTINVS. Imo me vno nihil edacius.

CHRISTIANVS. Imo mendacius nihil. Proinde agito, ac si domi sis tuae.

AVGVSTINVS.Istud iam plane mihi persuasi. Istud iam in animum induxi. Sic stat sententia. Consilium est istud facere.

CHRISTIANVS. Quid tibi hoc finum placet? Quid hoc villi delectat?

AVGVSTINVS. Mihi quidem perplacet. Me certe vehementer iuuat.

CHRISTIANVS. Vtrum mauis, rubrum an candidum?

NON REFERT QVO SIT COLORE

AVGVSTINVS. Equidem vtroque iuxta delector. Nihil refert, quo sit colore, modo sapor placeat. Non laboro quantum oculis placeat vinum, modo palatum iuuet. Nihil me mouet aspectus, si sapor placeat. Parui refert quo sit colore, si palato satisfacere queat, modo palatum iuuare possit. Nihil moror colorem, modo gratus sit sapor.

(54v) CHRISTIANVS. Credo. / Atqui sunt coenaticae philosophiae cum primis periti, qui negant vinum esse probandum, naribus odore, palato sapore, auribus fama et nomine.

AVGVSTINVS. Ridiculum, quid fama conducit ad potum?

CHRISTIANVS. Tantum vt multi non stupidi palati, vehementer probarint illum Louanio vernaculum, quum crederent esse Belnense.

AVGVSTINVS. Fortasse iam larga potatione palatum obsurdue rat.

CHRISTIANVS. Imo nondum attigerat poculum. Tamen iudicium tuum audire cupio, hominis his in rebus peritissimi.

AVGVSTINVS. Album nostrates rubro praeferunt, quod rubrum paulo sit acerbius, et alterum exilius quidem, sed illud mitius

et, vt arbitror, salubrius.

CHRISTIANVS. Habemus et subrubrum, et flauum, et purpureum. Hoc mustum est hornum. Hoc bimum est, si quem capit vetustas. Habemus et quadrimum. Sed iam vapescit ac desipiscit senio. Aetate vigor euanuit.

AVGVSTINVS. Luculli diuitias audio.

CHRISTIANVS. Heus puer, vbi cessas? Nos hic plane negligis, non vides quanta sit hic siccitas? Quid si hoc rerum statu incendium contingeret, quo restingueremus? Dato singulis plenos cyathos. Augustine, quid habes, quod parum es hilaris? Quid accidit tibi, quod sedes tristior? Quod tibi est quod mi-
55r nime gaudes? Aut doles, aut carmina condis. Tu nunc Chry/sippum agis. Melissa tibi opus est.

AVGVSTINVS. Quam hic mihi fabulam narrat?

CHRISTIANVS. Chrysippus adeo fertur intentus fuisse suis argutijs logicis, vt ad mensam etiam fame periturus fuerit, nisi ancilla Melissa cibum in os ingessisset.

AVGVSTINVS. Ille vero indignus erat, qui seruaretur. Sed iste offendit taciturnitas, placetque conuiuium vocalius, est quod id efficias.

CHRISTIANVS. Memini. Recte admones, liberalius bibendum, largius, copiosius, meracius oportet bibere.

REM ATTIGISTI

AVGVSTINE. Rem acu tetigisti. Recte iudicas. Scopum attigisti. Nam foecundi calices, quem non fecere disertum?

CHRISTIANVS. Perdocte tu quidem Augustine, vt omnia; sed quoniam tu in sermonem vinarium, quando in mentionem incidimus vinorum, libet interrogare, quonam consilio veteres illi Bacchum, quem vini autorem videri volebant poetarum deum dixerint. Quid enim illi temulento deo cum poetis, Musarum virginum cultoribus?

AVGVSTINVS. Quaestio, ita me Bacchus amet, poculis digna; verum quorsum tuae quaestiones spectent, satis intelligo.

CHRISTIANVS. Quorsum, amabo?

AVGVSTINVS. Astute de vino disputationem inijcis Gallica techna, quam didicisse Parisijs te suspicor; nimirum quo minus interim absumatur vini. Abi, virum te iudico, non frus-

---

9 Date
29 Deum
30 Deo

tra in tanta schola versatus es.

(55v) CHRISTIANVS. Accipio tua / dicta, referam paria scommata, vbi erit commodum. Sed ad rem.

AVGVSTINVS. Dissoluam vbi bibero. Siquidem absurdum fuerit sicco palato de quaestione vinosa disputare. Praebibo tibi, Christiane. Propino tibi hunc scyphum dimidiatum.

CHRISTIANVS. Accipio abs te libenter. Sit saluti, prosit.

AVGVSTINVS. Iam accingar, vt me missum facias. Ego meo more praepostere faciam. Quod Baccho pueritiae effigiem tribuerint, id habet mysterij, quod vinum potum curas et solicitudines animis nostris eximit, hilaritatemque quandam inducit. Quare senibus quoque ipsis inuentam quandam reddere videtur, dum et hilariores facit et formosiores. Id quod Horatius cum multis in locis, tum praecipue his versibus aperte testatur:

Ad mare cum veni, generosum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe diuite manet
In venas animumque meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanae iuuenem commendet amicae.

Nam quod huic poetas dicarunt deo, id significatum voluisse suspicor, quod vinum et ingenium excitat, et facundiam ministrat, quae duo poetae sunt aptissima. Vnde frigent carmina, quae scribuntur aquae potoribus. Est quidem igneus suapte natura Bacchus, sed adhibitis nymphis, redditur temperatior. Habes quod quaerebas?

56r CHRISTIANVS. Ni/hil vnquam audiui verisimilius dici ab homine poeta, dignus es qui bibas gemma. Heus puer, tolle hanc patinam, atque appone caetera.

AVGVSTINVS. Puerum habes admodum inurbanum.

CHRISTIANVS. Est veterator nequissimus.

AVGVSTINVS.Cur non instituis alio pacto?

CHRISTIANVS. Difficile est canem vetulum loris assuescere. Difficillimum est, veteratoris mutare mores. Vetulus canis non facile assuescit loro. Me quidem dignus est. Dignum patella operculum.

LB 662-670
ASD 201-215 227-230

SI COGNOSCEREM QVID OBLECTET, TIBI SERVIREM, FORMVLA

AVGVSTINVS. Decerperem tibi quippiam, si palatum tuum tenerem. Ministrarem tibi, singula tua mihi satis cognita esset. Apponerem tibi, si quid potissimum iuuaret, scirem. Si nossem ingenium palatui tibi, essem tibi scructor. Equidem tantundem palato, quantum animo sapio.

---

8 nussum

CHRISTIANVS. Palatum habes eruditissimum. Nihil tuo palato doctius. Nec eo te puto inferiorem, de cuius singulari peritia testatur Satyricus:

Ostrea callebat primo deprendere morsu,
Et semel aspecti dicebat littus echini.

AVGVSTINVS. Et tu, mihi Christiane, vt par pari referam, ipsum audiuisse Epicurum, aut in schola Catiana institutus videris.Quid enim tua gula aut sapientius, aut fastidiosius?

CHRISTIANVS. Si oratoriam aeque artem vt culinariam cal-
(56v) lerem, nec Cicero ipse / me vinceret.

AVGVSTINVS. Equidem si alterutra carendum esset, culinariam quam rhetoricam mallem.

CHRISTIANVS. Subscribo tuo iudicio; grauiter, acute, vereque iudicas. Quid enim oratorum confert loquacitas, nisi quod aures ociosas inani voluptate demulcet? Culinaria tum palatum, tum ventrem, tum totum hominem, quantus est, pascit ac reficit."Concedat laurea linguae", inquit Cicero; at vtraque concedat culinae. Nunquam mihi Stoici illi magnopere placuerunt, qui omnia ad suum, nescio quod, honestum referentes, cutis ac palati nullam rationem habendam putant. Dici non potest quando Diogenes sapientior Aristippus mihi fuisse videtur.

AVGVSTINVS. Ego Stoicos cum suis ieiunijs contemno. Epicurum magis laudo ac probo, quam Diogenem illum Cynicum, qui crudis oleribus, ac simplici aqua victitabat. Quare mihi mi-
ror, si Alexander rex fortunatissimus se Alexandrum, quam Diogenem esse maluit.

CHRISTIANVS. Nec ego sane, quamlibet vilis homuntio, cum Diogene meam philosophiam commutarem, fortassis et Catius tuus facere recusaret. Melius nostri temporis philosophi sentiunt, qui contenti Stoicorum more disputare, viuendo ipsum etiam Epicurum vincunt. At ego quidem rem in primis praeclaram philosophiam puto, si parce adhibeatur. Nimium philosopha-
57r ri non lau/do. Est enim res perquam ieiuna, sterilis atque tristis. Vbi in calamitatem aut aegritudinem incidi, tum demum ad philosophiam, tanquam ad medicam confugio. Vbi conualui, rursum illi vale renuncio.

AVGVSTINVS. Tuam rationem probo. Belle philosopharis. Salue igitur philosophe, non e schola sed e culina.

CHRISTIANVS. Quid tandem habes Erasmi, quod parum sis hi-

---

38 non e Stoa sed (1533,p.92) IF mut.(ASD,p.202)

laris? Quid sibi vult corrugata frons? quid silentium? An mihi succenses, quod te frugaliore coena receperim?

ERASMIVS. Imo tibi sum iratus, quod tantum impendij mea causa sit factum. Interminatus erat Augustinus, ne sua causa diem festum faceres, vis nos posthac redire nunquam. Nam talem coenam dare solent ij, qui vnam duntaxat dare constituissent. Quos tandem conuiuas videris accepisse? Non amiculis, sed satrapis coenam parasse videris. An nos helluones esse credis? Hoc non est dare coenam, sed triduanam saturitatem.

CHRISTIANVS. Etiam tu pargis esse Demea? Cras vt lubet disputa, hodie Mitionem te praebeas, oro. De impendio cras sobrij disputabimus, nunc nihil nisi meras nugas audire libet.

AVGVSTINVS. Christiane, vtrum de bubulis an de ouillis carnibus mauis?

CHRISTIANVS. Bubulis quidem magis delector, at auillas magis salutares arbitror. Ita ingenium est hominum, vt pernitiosissima quaeque appetant / vehementissime. (57v)

AVGVSTINVS. Galli suillas carnes mirum in modum amant.

CHRISTIANVS. Galli amant, quae paruo constant.

AVGVSTINVS. Hac vna ni re Iudaeus sum. Nam nihil aeque odi atque carnes suillas.

CHRISTIANVS. Nec iniuria. Quid enim insalubrius? Ego in hoc non cum Gallis, sed cum Iudaeis sentio.

ERASMIVS. At ego ouillas pariter amo et suillas, sed diuersa ratione. Nam ouillis, quod amem, libenter vescor. Suillas prae amore non attingo, ne quid offendam.

CHRISTIANVS. Bellus homo es, Erasmi, ac festiuus. Equidem mirari mecum saepe soleo, vnde tanta in palatis humanis diuersitas. Nam vt Horatiano carmine vtar:

Tres mihi conuiuae prope dissentire videmur,
Poscentes vario multum diuersa palato.

ERASMIVS. Quanquam, vt ait Comicus,"quot homines, tot sententiae", et suus cuique mos, tamen nemo me adduxerit, vt credam plus ingenijs inesse varietatis quam palatis. Ita vix duos reperias, quos eadem iuuent. Permultos vidi, qui butyri ac casei, ne olfactum quidem ferrent. Sunt quibus carnes nausae sint. Alius exilis, alius assis abstinet. Multi aquam vino praeferunt. Et quod incredibile est, vidi hominem, qui nec pane, nec vino vteretur.

CHRISTIANVS. Et quibus tandem miser ille victitabat? Qui

---

2 exceperim aut acceperim IF mut (1533,p.92) (ASD,p.202)

bus vescebatur?

ERASMIVS. Caeterorum nihil fastidiebat, non carnes, non pisces, non olera, non poma.

58r CHRISTIANVS. Vis vt istud ti-/bi credam?

ERASMIVS. [Si]lubet.

CHRISTIANVS. Credo, at ea lege, vt vicissim mihi mentienti fidem sis habiturus.

ERASMIVS. Age faciam, modo verecunde mentiaris.

CHRISTIANVS. Quasi vero sit quicquam tuo commento impudentius.

ERASMIVS. Quid dicet frons tua, si hominem tibi commonstrem?

CHRISTIANVS. Macilentum quempiam ac monogrammum esse oportet.

ERASMIVS. Imo diceres athletam.

CHRISTIANVS. Polyphemum potius.

ERASMIVS. Hoc tibi mirum videri demiror, quum multi sint, quibus pisces vento durati sint panis loco. Nonnullis hoc praestant herbarum radices, quod nobis panis.

CHRISTIANVS. Credo, sed perge mentiri.

ERASMIVS. Quendam in Italia, cum illic agerem, videre memini, qui nullo neque cibo neque potu adiutus, somno saginabatur.

CHRISTIANVS. Vt nihil pudet? Non possum illud Satyricum non dicere:

Tunc immensa caui spirant mendacia folles.

Tu poetaris. Tu nunc poeta agis. Nam mentiris dicere mihi religio est.

ERASMIVS. Mentiar, si non Plinius autor certissimus scripsit, vrsum quatuordecim dies solo somno mirum in modum saginari, quo tamen ita alte praemitur, vt ne vulneribus quidem queat excitari imo quo magis mireris, addam quod Theophrastus scribit, per id tempus vrsorum carnes coctas quoque, si asseruentur, reuiuiscere.

CHRISTIANVS. Vereor ne Parmeno ille Terentianus ista non contineat. Mihi facile fidem facis. Ministrarem tibi de ceruinis carnibus, si satis essem vrbanus.

ERASMIVS. Vnde tibi nunc venatio? Vnde ferina?

(58v) CHRISTIANVS. Midas / homo hominum, qui viuunt, liberalis-

---

5 **Si** omittitur fortasse lapsu typographi

simus, nostrique amantissimus, mihi misit dono; dono quidem, sed sic, vt ego minoris emam saepenumero.

ERASMIVS. Quid sic?

CHRISTIANVS. Quia famulis plus dandum, quam daretur in macello vendendi.

ERASMIVS. Quae res cogit hoc facere?

CHRISTIANVS. Tyrannus omnium violentissimus.

ERASMIVS. Quis iste?

CHRISTIANVS. Mos.

ERASMIVS. Profecto tyrannus iste frequenter iniquissimas leges obtrudit mortalibus.

CHRISTIANVS. Idem suo more nudiustertius hunc ceruum venatus est.Quid tu, qui soleas istius studij esse amantissimus?

AVGVSTINVS. Equidem hoc studio plane relicto iam praeter literas nihil venor.

CHRISTIANVS. At mihi videntur literae quouis ceruo fugaciores.

AVGVSTINVS. Duobus tamen potissimum canibus assequimur, admiratione scilicet, atque improbitate laboris. Nam et admirari plurimum discendi ardorem ministrat, et vt facundissimus poeta scripsit:

Labor omnia vincit improbus.

CHRISTIANVS. Amanter admones, Augustine, vt soles, propterea non desistam, non conquiscam, non defatigabor donec consequar.

AVGVSTINVS. Carnes ceruinas sunt nunc admodum tempestiuae. Meminit Plinius de hoc animante quiddam admirabile.

CHRISTIANVS. Quidnam, obsecro?

AVGVSTINVS. Quoties arrexere aures, acerrimi esse audi-
59r tus, at contra cum / remisere surdos.

CHRISTIANVS. Istud ipsum mihi saepenumero euenit. Nam si quando fiat sermo de recipiendis aureis, nihil tam auritum. Hic enim cum Pamphilo illo Terentiano aures arrigo, vbi de numerando verba fiunt, ilico remitto.

AVGVSTINVS. Laudo te, facis vt te decet.

CHRISTIANVS. Vis de his leporinis clunibus?

AVGVSTINVS. Tibi sumito.

CHRISTIANVS. An de tergo mauis?

AVGVSTINVS. Hoc animal praeter illa et clunes nihil habet appetendum.

CHRISTIANVS. Vidistine unquam leporem candidum?

AVGVSTINVS. Saepenumero. Plinius in Alpibus candidos re-

periri scribit, quibus hybernis mensibus niuem pro cibatu esse sit creditum. An verum sit, Plinius ipse viderit. Quod si leporis cutem candidam reddit nix, stomachum habeat candidum, necesse est.

CHRISTIANVS. Mihi verisimile non fit.

AVGVSTINVS. Accipe magis admirandum, at fortasse tibi non inauditum. Idem vtramque vim singulis inesse testatur maris et foeminae, ac foemellas sine mare aeque gignere. Istud ipsum multi asseuerant praesertim venandi studiosi.

CHRISTIANVS. Est ita, vt dicis. Sed hos cuniculos, si placet tentemus, quia pinguiusculi sunt ac tenelli. Ministrarem illi Nymphae, si propius assiderem, Augustine, istius tibi vicinae curam age, si libet, calles enim quo gestu sit ministrandum istis Veneribus.

AVGVSTINVS. Teneo quid dicas, nasute.

(59v) CHRISTIANVS. Quid te anserinae carnes / delectant?

AVGVSTINVS. Me quidem non mediocriter iuuat, vt sum minime fastidiosus. At hic anser, nescio quo pacto, nihil me iuuuat; nihil enim in vita vidi siccius. Siccior est pumice, aut etiam nouerca Furij illius, in quem Catullus multum iocatur. Ligneus mihi videtur. Et me Hercule, quantum suspicor, veteranus miles immodicis excubijs sese macerauit. Aiunt enim anserem inter omnia animalia longe esse vigilantissimum. Et profecto, nisi coniectura fallor, hic anser ex eorum numero est, qui canibus vna cum excubitoribus somno sopitis, Romanum olim Capitolium defenderunt.

CHRISTIANVS. Verisimile (ita me Deus amet) dicis; nam ex eo seculo relictum arbitror.

AVGVSTINVS. Haec quoque gallina aut parcum saginatorem habuit, aut amauit, aut certe zelotypa vixit, quo quidem morbo hoc animantis genus maxime laborat. Hic capus longe melius pinguit. Vide, curae quid faciant. Quod si ex Theodorico nostro Gallo faceremus capum, multo citius pinguesceret.

THEODORICVS. Non sum Gallus.

AVGVSTINVS. Fateor, non es Gallus Cybeles, neque gallus gallinaceus.

CHRISTIANVS. Quid hoc verbi est?

AVGVSTINVS. Hoc aenigma tibi coniectandum relinquo. Ego Sphingem praestiti, tu Oedipus esto.

---

12 proprius emendatum est in erratis
35 gallus Cybeles

CHRISTIANVS. Dic mihi bona fide, Augustine, nulla tibi cum Gallis vnquam fuit necessitudo? Nihilne affinitatis tibi / 60r cum Gallis contraxisti? Nullum fuit commercium?

AVGVSTINVS. Nihil sane.

CHRISTIANVS. Tanto es nequior.

AVGVSTINVS. Sed cum gallabus nonnihil.

CHRISTIANVS. Libetne de iecore anserino, quod apud veteres in delicijs cum primis habebatur.

AVGVSTINVS. Non sum reiecturus, quod a tua manu venerit.

CHRISTIANVS. Non est quod expectes Romanas delicias.

AVGVSTINVS. Quas?

CHRISTIANVS. Carduos, cochleas, testudines, colubros, fungos, holetos, tubera.

AVGVSTINVS. Istis omnibus ego vel rapam praeferam. Liberalis es, Christiane.

CHRISTIANVS. Has perdices nemo attingit, ne columbos quidem. Cras est dies ieiunij ab Ecclesia indicti, aduersus hanc esuriem, munite vos. Onerate saburra nauim aduersus imminentem tempestatem. Bellum instat, instruite ventrem commeatu.

AVGVSTINVS. Iam plus satis. Nimium nos ingurgitauimus, et erat alioqui paucis natura contenta. (...)

---

4 Nihil, nihil sane (1533,p.97) IF mut. (ASD,p.207)
6 Gallabus
20ss AV. Vtinam isthuc uerbi tacuisses,hilariores surrexissemus a coena. Miseros nos reddis ante tempus.
CH. Quid ita?
Av. Quia minus anguem odi quam pisces.
CH. At non tu solus.
AV. Quis hoc taedij nobis iuexit?
CH. Quis commonstrauit aloen, Absynthium, et scammonium dare in remedijs?
AV. Sed ista dantur aegrotis.
CH. Sic haec dantur nimium recte valentibus. Aliquando praestat aegrotare, quam plus satis ualere.
AV. At mihi uidetur minus oneris olim impositum Iudaeis. Equidem ab anguillis et porcis facile temperarim, modo liceat capis et perdicibus expleri.
CH. In plerisque non res, sed animus nos discernit a Iudaeis. Illi manum abstineant a certis cibis, uelut ab immundis et animum inquinaturis. Nos quum intelligamus omnia munda esse mundis, tamen carni lasciuienti, uelut equo ferocienti pabulam subducimus, quo magis dicto sit audiens spiritui. Nonnunquam immoderatum suauium rerum usum abstinentiae molestia castigamus.
AV. Audio, sed eadem opera defendi posset circuncisio preputij. Moderatur et illa coitus pruritum, et cruciatum adfert. Si omnes itidem abhorrerent a piscibus atque ego, uix a parricida tam atrox supplicium exigerem.
CH. Quorundam palato gratior est piscium quam carnium esus.
AV. Congruunt igitur his, qui gulae seruiunt, non ualetudini.

CHRISTIANVS. Agite hospites humanissimi, quaeso vt coenulam nostram, licet tenuem, aeque bonique consulatis. Praebete vos hilares ac lubentes, quamuis conuiuium tenue sit et frugale, ego vestra facilitate fretus, familiariter vos vocare sum ausus. Et est sane vester mihi aduentus conspectusque non modo gratissimus, verum etiam iucundissimus.

CH. Equidem audiui quondam apud Aesopos et Apicios praecipuum luxum in piscibus fuisse.
AV. Qui conueniunt igitur deliciae cum supplicio?
CH. Non omnibus sunt murenae, aut scari, aut acipenseres.
AV. Ergo tenues soli discrutiantur, quibus satis male est, etiam quum uesci liceat per erumenam.
CH. Durum me Hercle interdictum.
AV. Quod si interdictus carnium esus diuitibus uertitur in delicias, et pauperibus saepe non licet uesci carnibus, etiam quum licet, ac ne piscibus quidem, qui fere carius emuntur, cui igitur bono erit interdictum?
CH. Omnibus, nam tenuibus, cochleis aut ranis licebit uesci, aut cepe porrumue arrodere. Mediocres detrahent nonnihil quotidianis obsonijs. Quod si quid diuites deliciabuntur hac occasione, suae gulae imputent, non incusent ecclesiae constitutionem.
AV. Pulchre dixti. Sed interim a tenuibus, qui summis sudoribus alunt familiam, et procul absunt ab amnibus ac lacubus, exigere carnium abstinentiam, est indicere famem, aut βουλιμίαν magis. Atqui si quid Homero credimus, longe miserrimum mortis genus est, perire fame.
CH. Sic uisum est Homero caeco, at apud Christianos miser non est, qui bene moritur.
AV. Esto sane. Sed tamen durum est a quoquam exigere, ut moriatur.
CH. Nec hoc animo pontifices interdictum esum carnium, ut intereant homines, sed ut uel affligantur moderate, si delituerunt: uel subducto laetiore pabulo, corpora minus ferociant aduersus spiritum.
AV. Isthuc ipsum efficiet moderatus carnium esus.
CH. Sed in tanta corporum uarietate certus modus prescribi non potest, cibi genus potest.
AV. Sunt et pisces, qui multum addant alimenti, sunt carnes, quae minimum.
CH. Sed in genere plus alunt carnes.
AV. Age dic mihi, si quo tibi foret iter, utrum malles equum alacriorem ac sublasciuum, an morbidum, qui subinde collabens sessorem deijciat in terram?
CH. Quorsum istud?
AV. Quia piscium esus corruptis humoribus, corpora nostra reddit magnis morbis obnoxia, ut iam spiritui non possint subseruire.
CH. Quibus morbis?
AV. Podagrae, febri, leprae, morbo regio.
CH. Qui scis?
AV. Credo medicis, id malim quam experiri.
CH. Id fortassis in paucis accidit.
AV. Equidem arbitror in pluribus. Porro quoniam animus agit per organa materialia corporis, quae malis aut bonis humoribus afficiuntur, uitiatis instrumentis non potest, ut uult exerere uim suam.
CH. Scio medicis magnopere damnatum esse piscium esum, sed

CONVIVAE. Coena tua, Christiane, optime multis modis elegans lautaque nobis videtur, quod excusas id vnum habet accusandum. Nam mgnificentior fuit, quam sat est. Siquidem hoc
(60v) conuiuium opiparum in primis ac lautum iudicarim, quod primum simplicibus epulis, deinde hilaritas, risu, iocis, salibus sit conitum, quae omnia nostro conuiuio non defuerunt.

---

secus uisum est maioribus nostris, quibus obtemperare religiosum est.
AV. Religiosum erat et olim, non uiolare sabbatum: sed prius erat, seuare hominem sabbato.
CH. Suae quisque saluti consulat.
AV. Imo si Paulo uolumus auscultare, nemo quae suasunt quaerat, sed quisque quae alterius.
CH. Sed unde hic nouus Theologus in conuiuio? Vnde nouus hic ac subitus Magister noster?
AV. Quia mihi male conuenit cum piscibus.
CH. Quid igitur? An non abstines a carnibus?
AV. Abstineo, sed obmurmurans, nec sine meo magno malo.
CH. Charitas omnia suffert.
AV. Verum, sed eadem quam minimum exigit. Si suffert omnia, quur non ferunt nos his uesci cibis, quos indulsit libertas Euangelica? Quur hi, a quibus Christus toties amorem sui stipulatus est, patiuntur tot hominum et œcorpora periclitari morbis capitalibus, et animas aeternae damnationis periculo, ob rem nec interdictam a Christo, nec per se necessariam?
CH. Vbi aliud suadet necessitas, cessat humanae constitutionis uigor, cessat et uoluntas nomothetae.
AV. At non cessat offendiculum infirmorum. Non cessat scrupulus meticulosae conscientiae. Postremo non satis constat quibus limitibus finiatur ista necessitas. An quum coeperit ichthyophagus agere animam? Sero morienti porriguntur carnes. An quum totum corpus habet epialus? Non tanti erat ciborum delectus.
CH. Quid igitur tu uelles praescribi?
AV. Scio, si quis mihi credat ecclesiae rei dictaturam.
CH. Quid isthuc uerbi est?
AV. Si summus essem pontifex, hortarer omneis ad perpetuam uitae sobrietatem, sed praecipue sub diem festum. Caeterum ius facerem cuique uescendi quibus uellet pro corporis salubritate, dum moderate et cum gratiarum actione: daremque operam, uti hoc quod detraheretur obseruationibus huiusmodi carnalibus accresceret ad studium uerae pietatis.
CH. Nimirum istud mea quidem sententia tanti est, ut te faciamus pontificem.
AV. Rides, sed tamen ceruix haec sufficeret uel triplici coronae sustinendae.
CH. At interim uide, ne ista scribantur inter articulos Parisiensium.
AV. Imo quicquid dictum est, scribetur in uino, sicuti par est dicta inter pocula. Sed satis iam Theologiae in conuiuio. In coena sumus, non in Sorbona.
CH. Quid uetat dici Sorbonam, ubi bene sorbetur?
AV. Sorbeamus igitur, non disputemus, ne nobis a sorbis dicatur sorbona, non a sorbendo. (1533,p.97-101) IF mut.et om.(ASD, p.227-230; sed cfr. p.207-208, l. 2660-2706)

Verum de conuiuarum numero hic mihi quiddam in mentem venit, quos neque pauciores tribus, neque plures nouem esse oportere scripsit Varro. Tres enim sunt Charites, id est Gratiae, humanitatis, ac beneuolentiae praesides, et nouem sunt Musae, honestiorum studiorum duces. At hic decem conuiuas esse video, virginibus exceptis.

AVGVSTINVS. Nihil conuenientius accidere potuit. Nos sumus Varrone ipso paulo sapientiores. Nam tres puellas lepidissimas, tamquam Charites adhibuimus. Deinde quia a nouem Musarum choro Apollo abesse nunquam credendum est, iure decimum adiecimus conuiuam.

CHRISTIANVS. Poetice dixisti. Si mihi laurus adesset, laurea corona caput tuum cingerem, fieresque poeta laureatus.

AVGVSTINVS. Si malua coronatus essem, maluatus. Tantum humoris mihi non arrogo. Honor hic maior est, quam vt mihi conueniat. Haud equidem tali me dignor honore.

CHRISTIANVS. Vultisne singuli tantumdem mea causa facere, quantum vestra sum facturus?

CONVIVAE. Volumus ac libentes quidem.

CHRISTIANVS. Ebibetis igitur ordine suum quisque calicem, a me exemplum capietis. Tibi hoc / primum propino, Mida. 61r

MIDAS. Accipio abs te libenter.—Pro quo vulgus praestolor dicit—. Equidem non recuso. Nihil tua causa recusabo.

CHRISTIANVS. Tu deinde caeteris propina.

MIDAS. Erasmi, praebibo tibi dimidiatam pateram.

ERASMVS. Precor vt sit tibi bono. Sit tibi bonum atque commodum. Prosit tibi. Proficiat durius dicitur.

CHRISTIANVS. Sed cur cessat patera? Cur non obambulat? Defecit nos vinum. Vbi sunt oculi tui, furcifer? Vola, adfer eiusdem generis sextarios duos.

PVER. Erasmi, salue, quidam pro foribus te conuentum expetit.

ERASMVS. Quisnam est?

PVER. Mori famulum se dicit, herum eius ex Britannia aduenisse, cupere, vt se visas, quandoquidem prima luce iter parat in Germaniam.

ERASMVS. Christiane, subducatur ratio, nam mihi quidem abeundum.

CHRISTIANVS. Rationem, Erasmi doctissime, huius coenae ego confecero. Non est quod calculum frustra teras; gratiam habeo, qui dignatus sis nostro adesse conuiuio. Sed auocari

---

3 gratiae

te molestum est, nondum perfacta fabula.

ERASMIVS. Quid superest? nisi vt dicam, valete et plaudite?

CHRISTIANVS. Age boni consulemus, quando tu non ab equo ad asinos, sed ab amicis ad amicissimos properas.

ERASMIVS. Ego pariter tibi gratiam ago, quod pro tua humanitate ad hoc conuiuium longe suauissimum me vocaris. Valete sodales optimi. Bibite non segniter, et viuite suauiter.

(61v) CHRISTIANVS. Heus / Dromo. Sedetis iam iamdudum ociosi omnes, libetne cuiquam quicquam amplius?

CONVIVAE. Nihil omnino. Strenue munus nostrum administrauimus.

CHRISTIANVS. Tolle igitur haec ac bellaria appone. Muta quadrulas atque orbes. Tolle cultrum meum, qui humi decidit. Pyra vino perfunde. Adsunt mora praecoqua, etiam domi nostrae nata.

CONVIVAE. Tanto erunt suauiora, quod vernacula.

CHRISTIANVS. En pruna cerea, en Damascena, rarum apud nos spectaculum. En mitia mala. En mali nouum genus, cuius matrem ego hisce manibus consueui. Nuces castaneas, omne delitiarum, quas horti nostri benigne effundunt, genus.

AVGVSTINVS. Sed flosculi desunt.

CHRISTIANVS. Isti gallici sunt apparatus, qui magnificentiam eam potissimum amant, quae minimo constat. Nobis non est ea mens, aut ingenium. Sed heus tu, Augustine, num tu credis te hic immunem bibisse? Egone te meis immunem tingam poculis? At interim propinatori tuo dimidium scyphi debes.

AVGVSTINVS. Is iamdudum me missum facit. Is mihi huius debiti gratiam fecit.

CHRISTIANVS. Vnde ille sibi vindicat tantum autoritatis? Vix Romanus Pontifex hoc vinculi relaxet. Nosti priscam conuiuiorum legem: ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι.

AVGVSTINVS. Remittendi iurisiurandi ius habet, cui factum est, et cuius intererat seruari.

CHRISTIANVS. Sed omnium conuiuarum interest, seruari leges inuiolabiles./

62r AVGVSTINVS. Age quando haec est Germanorum religio, exorbebo quod reliquum est. Sed quid tibi rei mecum est?

CHRISTIANVS. Impendium reddas oportet vnus nomine omnium. Quid expalluisti? ne verere, perfacile poteris. Fac quod sae-

---

31 Ro. Põtifex

pe fecisti, vt aliqua elegantia doctiores a coena surgamus. Neque enim clam te est, veteres illos in secundis mensis hilariora quaedam disputare solitos. Age igitur quibus et quot modis haec oratio potest enunciari: Indignum auditu?

INDIGNVM AVDITV, FORMVLA

AVGVSTINVS. Dixit pulchre per posterius supinum. Auditu minime est dignum. Indignum est audiri. Haud dignum est, quod audiatur. Est vt audiatur indignum. Leuius est, quam quod audiri debeat. Vix operae precium est referre. Non tanti est vt audiatur. Ineptius est quam vt audiatur. Non est operae precium narrare

CHRISTIANVS. Quot modis haec sententia verti potest: Magno mihi constat?

VARIANDI RATIO HANC ORATIONEM: MAGNO MIHI CONSTAT.

AVGVSTINVS. His verbis impendo, insumo, impertio, constat. Vt: Multum in te docendo insumpsi laboris. Plurimum ea in re operae insumpsi. Non minus pecuniae quam temporis permultum, laboris plurimum, ingenij nonnihil. Multum lucubrationis / impendi. (62v) Multis vigilijs haec res mihi constat, multo sudore, multa opera, plurimo labore, sumptu ingenti, pecunia magna. Pluris mihi constat quam credas. Minoris mihi constat vxor, quam equus meus.

CHRISTIANVS. At quid sibi vult, Augustine, quod verbo isti, constat, modo ablatiuum, modo genitiuum casum apponis?

AVGVSTINVS. Quaestionem perutilem ac late patentem mouisti. Verum, ne conuiuas loquacitate mea premam, paucissimis absoluam. Sed cupio singulorum hac de re audire sententiam, ne cuiquam, vt dixi, sim molestus.

CHRISTIANVS. Quidni cupiant idem vel puellae?

AVGVSTINVS. Illae sane nihil aliud quam audient. Accingar igitur, grammatica bene fortunante. Scis verba emendi ac venendi, aliaque esse consimilis significatus quibus apponantur hi genitiui soli, tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quantiuis, quanticunque. At ita si substantiua non apponantur, quae si accedant, vtraque in ablatiuum casum vertuntur. Quod si pretium certum apponatur, pones in ablatiuo. Si per

---

5 FOR.
31 appo in margine scriptum est manu.

adiectiuum substantiue positum, in ablatiuo pones, nisi per aduerbia loqui malis.

CHRISTIANVS. Quaenam verba sunt, de quibus praecipis?

AVGVSTINVS. Haec fere sunt, emo, mercor, redimo, id est, aut captum, aut perditum; vendo, venundo; reuendo, id est rursus vendo, quod mihi venditum erat. Veneo, id est rursus vendo, quod mihi venditum erat. Veneo, id est vendor, cuius praeteritum veniui vel venij, supinum venum. Hinc venalis. Ab illo, id est vendo, vendibilis manat. Mereo pro inseruio et stipendium facio. Comparo, id est, emo vel committo. Commuto, muto, permuto. Cambire penitus barbarum in hoc sensu. Aestimo, taxo; indico pro aestimo, censeo. Liceor, liceris; licitor, licitaris, addico. Distrahor, id est, circumferor vt veneam. Metior pro aestimo, aut taxo. Constat, pro emitur. Conducere, locare. Foenero, ad foenus do. Foeneror, ad foenus accipio. Pacis cor, pactus sum. Pango, pepigi, id est, pactum facio.

CHRISTIANVS. Da exemplum.

VENDENDI ET EMENDI FORMVLAE

AVGVSTINVS. Quanti istum agrum in singulos annos locas? Respondebis: Vigenis francis. Hui, nimio locas. Imo locaui olim multo pluris. At ego tanti non conducam. Si conduxeris minoris, peream. Imo iam vicinus tuus Chremes agrum obtulit ac rogat. Quanti? Tantidem quantum tu petis. At multo meliorem. Mentiris. Facio, vt solent, qui licentur. Tu ipse tanti possides. Quid liceris vel licitaris, quum nihil sis empturus? Quanticunque addixeris, soluam optima fide.

ALTERVM EXEMPLVM /

(63v) Congrum istum, Syra, quanti vendis? Decem obolis. Nimio turpissima. Imo minimo, nulla tibi vendet minoris. Emoriar, si non tanti mihi constat, aut certe non multo minoris. Mentiris venefica, quoniam duplo vis vendere, aut triplo. Et centuplo, si queam, sed fatuos non inuenio. Quid si liciter teipsam? Quanti aestimas te? Vt lubet, quanti me liceris? Quanti indicas te? Dic, quanti te taxas? Quanti teipsam inscribis? Decem scutatis. Hui, tanti? Eho, an tu minoris me aestimas? Ego, olim non semel pluris in vnam noctem sum conductam. Credo, at nunc non paulo minoris aestimo quam pudicem. Abi in malam rem ganeo, tantidem te aestimo, quanti tu me. Qui te renuncio emerit. Aut pluris emar, aut non vendar. Si magno ventre cupis,

---

6-7 rursus vendo, quod mihi venditum erat. Veneo, id est Hoc enuntiatum omissum est fortasse lapsu typographi (1533, p.105 ASD, p.211)

20 Francis

larua tibi opus est, nam rugae istae non sinunt, vt carius venderis. Et qui tanti me nolit, non sum venalis. Ego ne culmo quidem te emero. Constiti pluris.

TERTIVM EXEMPLVM

Actioni hodiernae interfui. Ain' tu? Licitatus sum vectigalia. Quanti tandem? Decem milibus. Hui, tanti? Ne mireris, erant qui multo pluris licitarentur, pauci qui minoris. Cui tandem addicta sunt vectigalia? Chremeti, vxoris tuae summo et maximo amico. Sed diuina, quanti sunt addicta? Decem. Imo
64r quindecim. Deus bone, ego mihi hominem / ipsum cum tota familia dimidio addictum nolim. At ille vxorem tuam duplo emptam cupit. Animaduertistine in his orationibus, vbicunque adsit substantiuum pretij, id in ablatiuo poni, caeteris aut in genitiuo positis, aut in aduerbium mutatis? Comparatiuum nunquam audisti sine subtantiuis, exceptis illis duobus, pluris et minoris. Sunt et alia verba de quibus sumus loquuti, non admodum dissimilia: Sum, facio, habeo, duco, aestimo, pendo, quae idem fere significant: fio itidem. Iunguntur autem his fere genitiuis multi, parui, magni, pluris, plurimi, minoris, minimi, maximi, tanti, quanti, flocci, nihili, nauci, huius, et si qua sunt his familia.

CHRISTIANVS. Da exempla.

AESTIMANDI FORMVLAE

AVGVSTINVS. Scis quanti te semper fecerim? Tanti fies apud homines, quanti virtutem facies. Praeceptores meos semper feci plurimi. Aurum hac tempestate magni penditur, literae nihili, siue pro nihilo ducuntur. Aurum minoris habeo, quam credas. Tuas minas flocci facio. Promissa tua duco minimi. Non pili te facio. Si tanti sapientia menderetur quanti pecunia, nemo auro egeret. Pluris apud nos fit aurum sine sapientia, quam sapientia sine auro. Hoc pluris te habeo, quod doctus sis. Minoris hic fies, quod mentiri minime calleas. Hic multi
(64v) sunt, qui nigrum / in candida vertunt. Hoc mihi pluris es, quod literas amas. Tanti apud omnes eris, quantum possidebis. Tanti vbique habearis, quantum habebis. Non quanti habearis, sed quanti sis interest. Tanti Christianum meum facio, quanti alium neminem. Inueniuntur et alia verba cum his genitiuis et ablatiuis, quae natura sua significant emptionem, aut aliquid

simile. Petrus osculum puellae scutato emit. Sit illi faustum, nolim ego basiare tanti. Quanti luditis? Quanti coenastis? Quosdam sexcentis sestercijs coenasse legimus, at Galli saepe numero liardo coenitant. Faustus quanti docet? Paruo, at pluris quam Delius. Quanti igitur? Vndeuiginti aureis. Non discam mentiri tanti. Phaedria apud Terentium et rem et seipsum perdidit. At nolim ego amare tanti. Quidam magno dormiunt. Demosthenes pluris siluit, quam alij loquebantur. Aequi bonique consulas oro. Est et aliud verborum genus, quae accusatiuum vna cum genitiuo aut ablatiuo casum exiguunt, quae sunt: accuso, id est, obijcio crimen, aut culpo etiam absentem. Incuso, culpo extra iudicium. Arguo, reprehendo. Insimulo, impingo suspicionem culpae. Postulo, in ius voco. Accerso, defero. Damno, condemno, pronuncio illum esse in culpa. Admoneo, commonefacio.

CHRISTIANVS. Exempli causa. /

65r

ACCVSANDI FORMVLAE

AVGVSTINVS. Scipio accusatus est ambitus, aut de ambitu. Arguis mi impudentiae ipse impudentissimus. Lepidus postulatus est repetundarum. Accersitus est capitis. Si hominem insimulabis auaritiae male audies. Admoneto eum pristinae fortunae. Mortales ipso vocabulo, suae conditionis admonentur. Commonefacio Lepidum promissi. Sunt pleraque quae accusatiuum geminum admittant. Doceo te literas. Exorat te veniam. Dedocebo te istos mores. Poposcit me mutuum. Hic eius rei mihi admonendus es, quod in his secundum accusatiuum etiam passiua obtinet, in alijs genitiuus manet. A me doctus es literae. Postulant me furti. Postulor furti. Accusas me sacrilegij. Accusor sacrilegij. Scio nondum te expletum. Scio animo tuo nondum esse satis factum. Quando enim tantus elegantiarum heluo satietur? Sed conuiuis parcendum est, quos haec non omnes perinde delectant. A coena, inter deambulandum, id quod rationi deerit, persoluemus, nisi quid aliud censes.

CHRISTIANVS. Fiat ex tua sententia. Agamus gratias benignitati diuinae, deinde paulisper deambulaturi.

MIDAS. Pulchre dicis. Nihil enim hoc vespertino coelo amenius, nihil salubrius.

CHRISTIANVS. Petre adesdum. Tolle suo quaeque ordine, ac (65v) vinum cyathis / infunde.

PETRVS. Iubesne agi gratias?

CHRISTIANVS. Age.

PETRVS. Graece mauis an Latine?

CHRISTIANVS. Vtroque modo.

PETRVS. Gratias agimus tibi, Pater coelestis, qui tua ineffabili potentia condidisti omnia, tua inscrutabili sapientia gubernas vniuersa, tua inexhausta bonitate cuncta pascis ac vegetas, largire filijs tuis, vt aliquando tecum bibant in regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promisisti ac praeparasti vere diligentibus te. Per Iesum Christum. Amen.

CHRISTIANVS. Dic eadem Graece, ne cæteri quid dicas intelligant.

PETRVS. Εὐχαριστοῦμέν σοι, πάτερ ουράνιε, ὁ τῇ αρρήτῳ σου δυνάμει κτίσας τὰ πάντα, ὁ τῇ ανεξερευνήτῳ σου σοφία κυβερνῶν, ὁ τῇ ἀνεξαντλήτῳ σου χρηστότητι ἕκαστα τρεφόμενός τε καὶ αυξάνων· Χαρίζου τοῖς υἱοῖς σου τὸ μετὰ σοῦ ποτὲ πιεῖν τὸ τῆς αθανασίας νέκταρ, ὃ ὑπέσχου καὶ ἡτοίμασας τοῖς αληθῶς αγαπῶσι σε, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ υἱοῦ σου, τοῦ κυρίου ἡμῶν, τοῦ μετά σου ζῶντος, καὶ βασιλεύοντος ἐν ἑνότητι τοῦ πνεύματος ἁγίου. Εἰς τοὺς ἀιῶνας. Ἀμήν.

CHRISTIANVS. Habeo vobis hospites candidissimi gratiam, qui ad hoc conuiuium venire dignati sitis. Oro aequi bonique consulatis.

CONVIVAE. Nos vicissim gratias referre volumus non tantum habere. Proinde ne multis agantur gratiae. Quin potius surgamus et expaciemur.

AVGVSTINVS. Ducamus nobiscum virgines, nam eo minus molesta erit deambulatio. 66r

CHRISTIANVS. Recte sentis. Ne desint nobis flosculi, si forte locus flores non habebit. Vtrum mauis nostris in hortis more poetico reptare, an foris ad amnem expatiari?

AVGVSTINVS. Habent quidem horti tui amoenitatis permultum, verum eam voluptatem matutinis deambulationis serua. At sole inclinato amnium aspectus oculos mirum in modum iuuat.

CHRISTIANVS. Antecede igitur, Augustine, vt poeta dignum est. Ego latus tuum claudam.

AVGVSTINVS. Bone Deus, quantum comitum, quantam pompam nobiscum ducimus. Dici non potest, Christiane, quartum mihi

11 graece

placeam. Satrapes mihi videor.

CHRISTIANVS. Age nunc pronissimum praesta. Solue quod recipisti.

AVGVSTINVS. Quid me potissimum vis dicere?

CHRISTIANVS. Ego quondam in Pollionis oratione cum multa, tum illud in primis solebam admirari, quod tam facile, tam crebro, tam venuste orationem verteret; quae res non modo singularis ingenij, verum etiam multi vsus mihi videtur.

AVGVSTINVS. Haud iniuria istud in Pollione admiratus es, Christiane, Ille enim tuum hac in re diuinam quandam vim obtinet, quam quidem illi cum ingenij dexteritate quadam, tum plurimo et dicendi, et legendi, et scribendi vsu contigisse opinor, potius quam ratione aliqua, aut praeceptione.

CHRISTIANVS. At ego rationem aliquam istius rei, si fieri potest, expecto. /

(66v) AVGVSTINVS. Ita, vt dixi, res habet. Verum quia tantopere video velle, quod potero, morem geram, easque ratiunculas, quas in Pollionis orationibus mihi visus sum animaduertere, vt potero, reddam.

CHRISTIANVS. Age,percupio.

LB 670-672
ASD 216-220

BREVIS DE COPIA PRAECEPTIO

AVGVSTINVS. Accingor. Principio res ipsa pluris, electis ac Latinis verbis efferenda est, quod ipsum posse non mediocris artificis est. Sunt enim permulti qui nescio quo modo copiam et varietatem orationis affectant, cum ne semel quidem rem possint apte explicare. Isti tanquam semel balbutisse sit parum, balbutiem suam alijs atque alijs modis reddunt balbiorem, tanquam ipsi secum certamen susceperint, vt quam barbarissimi dici possit, dicant. Itaque inepti synonyma quaedam congerunt adeo interdum inter se dissidentia, vt ipsa mirentur quo pacto conuenerint. Quid enim absurdius, quam hominem pannosum, cui ne vna quidem, quam sine pudore possit induere, sit vestis, eum tamen subinde suos pannos mutare, ac mendicitatem suam pro opibus ostentare? At nihilo minus ridiculi videntur isti varietatis affectatores, qui quum barbare semel dixerint, repetunt
67r idem multo barbarius, demum iterum atque indoctius. Hoc / est, non oratione, sed soloecismis abundare. In primis igitur, vt dixi, res ipsa aptis atque electis verbis est explicanda. De-

---

2 Salue
5 Polionis

inde mutatorijs verbis vtendum, si qua, quae idem efficiant, reperiuntur enim permulta. Demum vbi propria deficient, translaticijs erit vtendum, si modo verecunda sit translatio. Ea quoque vbi deerunt, si per actiua, ad passiua reuertendum erit, quae nobis totidem orationes reddunt, quot ex actiuis constabant. Postea verba si licebit aut in nomina verbalia, aut in participia commutabimus. Postremo vbi modo aduerbia in nomina, modo nomina in alias atque alias parteis commutauerimus, per contrarium dicemus, vt affirmatiuam orationem in negatiuam commutabimus, aut retrorsum, aut certe, quod pronunciatiue dictum, per interrogationem effremus. Nunc exempli causa hanc sententiam sumamus.

LITERAE TVAE ME MAGNOPERE DELECTARVNT.

LITERAE TVAE.
Epistola, epistolium, scripta, schedae, literae.

MAGNOPERE.
Mirum in modum, miris modis, maiorem in modum, mirandum in
(67 v) modum, supra modum, plurimum / non mediocriter, summopere, maximopere.

ME.
Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum.(...)

DELECTARVNT.
Voluptate affecerunt, recreauerunt, exhilarunt, voluptati fuerunt, oblectarunt, voluptate perfuderunt, mellissimae fuerunt,iucundissimae, et caetera. Habes materiam, tuum erit componere. Experiamur igitur. Faciamus periculum.

CHRISTIANVS. Tuae literae magnopere me delectarunt. Tua epistola merifice nos exhilarauit.

AVGVSTINVS. Verte actiuum in passiuum, alia erit facies. Vt dici non possit, quam tuis sim scriptis exhilaratus.

ITEM PER ALIA VERBA EFFICIENTIA

Tuis ex literis incredibilem cepi voluptatem. Ex epistola

---

17 immodum
18 sumopere
21 Christianum (1533,p.112) IF om. (ASD,p.217)
25 &c.

celsitudinis tuae plurimum voluptatis accepi. Non mediocrem laetitiam tua mihi scripta atulerunt. Gaudio tua me scripta, quantus eram, perfuderunt. Hic non ita liceret mutare in passiua, nisi in illo postremo, perfusus gaudio, quod vsitate dicitur. Capiebatur a me voluptas, allatum est gaudium, non perinde vsitate dixeris.

PER AFFICIO

Singulari voluptate literae tuae me affecerunt.

MVTA IN PASSIVVM

Tuis scriptis incredibili sum affectus voluptate. Non parum gaudiorum tuum nobis epistolium peperit.

68 r PER SVM ET / NOMINA ADIECTIVA

Qua mihi literae multis modis iucundissimae fuerunt. Fuit tua illa epistola sane quam gratissima.

PER NOMINA SVBSTANTIVA

Ineffabili voluptati tua nobis epistola fuit. Incredibili iucunditati fuerunt tuae literae.

COMMVTA IN NEGATIONEM

Tua scripta non mediocri laetitia fuere. Nihil in vita tuis literis accidit iucundius. Quamquam hac ratione aliquoties iam vsi sumus, quae non est negligenter praetereunda. Nam quoties multum, plurimum singulariter significare volumus, per contrarium verbum idem efficiemus. Vt: Vehementer te amat Henricus. Haud vulgariter te amat. Multum me iuuat vinum; haud parum iuuat. Est vir singulari ingenio. Est vir ingenio non vulgari. Est homo doctrina admiranda. Est homo non contemnenda doctrina. Thomas est summo apud suos loco natus. Non infimo loco natus. Augustinus eloquentissimus fuit. Non inloquens fuit. Carneades orator fuit nobilis, non ignobilis, non obscurus. Et id genus similia, quae nunquam non vsu veniunt. Sed admonuisse rem clarissimam satis est. Nec te la-

(68v) teat / bifariam nos huiusmodi orationum genere vti, modestiae causa, praesertim si de nobis ipsis loquamur. Tum etiam amplificandi gratia. Nam non ingratum pro valde gratum; non vulgariter pro singulariter, recte et venuste dicimus.

MODESTIAE CAVSA

Ego literis meis nonnullam doctrinae sum opinionem consecutus. Semper curaui, vt in literaria gloria non postremas parteis tenerem. De amplificatione superiora sunt exempla, nunc ad nostra reuertamur. Nihil tua epistola vnquam euenit gratius. Nulla res maiori vnquam voluptati fuit, quam tua scripta. Nulla vnquam ex re tantundem coepi voluptatis, quantum ex tuis literis amantissimis. Hoc modo singulae orationes superiores poterunt variari per interrogationem. Quid tuis literis in vita iucundius esse potuit? Quid epistola illa tua nobis euenit dulcius? Quid ita oblectauit vnquam, vt proximae tuae literae? Hoc modo rursum singulas fere orationes variare licebit.

CHRISTIANVS. Quid deinde fiet?

AVGVSTINVS. Iam paulo liberius totam orationem vertemus, vt vnam dictionem pluribus verbis circumloquamur.

CHRISTIANVS. Dic exempli causa.

AVGVSTINVS. Quod modo per nomen incredibile, modo per
69r aduerbium incredibiliter dictum erat, vnam dictionem ali-/quot verbis commutabimus. Literis consequi nequeam, quantum tuis literis sim delectatus. Et mihi scriptu, et tibi creditu perdifficile fuerit, quantae iucunditati tua mihi scripta fuerunt. Explicare prorsum nequeo quam sim tuis literis gauisus. Et idem in infinitiuum. Rursum alio pacto. Nam hactenus et per negationem et per interrogationem postremo per infinitas orationes variauimus. Nunc per subiunctiuas, siue conditionales variabimus, hoc modo: Moriar, si vnquam quicquam fuit tuis literis, aut optatius, aut dulcius. Peream, si vlla res maiori voluptati fuit, quam tuae literae. Ita me deus amet, vt nihil in vita tuis literis accidit iucundius. Et item alia multa in hunc modum excogitare licebit.

CHRISTIANVS. Quid deinde?

AVGVSTINVS. Nunc ad translationes, similitudines, et exempla fugiendum est.

---

29 negatiationẽ & per interrogatinẽ

TRANSLATIO EST IN HIS

Accepi literas tuas, quae mellitas fuerunt. Nihil nisi merae delitiae tua mihi scripta videntur. Mera voluptas sunt tuae literae. Et huiusmodi plurima. Sed cauendum, ne obsoletis, aut durioribus translationibus vtamur, quale est illud: "Iupiter hybernas cana niue conspuit Alpes". Et quale est illud: "Coena tuorum scriptorum me suauissimis epulis refecit".

COMPARATIO A SIMILI

(69v) Tua scripta omni vel ambrosia vel nectare suauiora fuere. Literae tuae quouis melle mihi fuere dulciores. Epistola humanitatis tuae, et siliquam omnem, et mel Atticum, et saccarum omne, nectar ambrosiamque deorum longe superauit. Hic quicquid dulcedine nobilitatum est, in medium adduci potest.

AB EXEMPLO

Nunquam aducar, vt credam Hero Leandri sui literas aut maiore voluptate, aut pluribus osculis accepisse, quam tuas accepi. Vix crediderim, aut Scipionem versa Carthagine, aut Paulum Aemilium, capto Perseo, magnificentiorem egisse triumphum, quam ego, simul ac suauissima tua scripta tuus mihi tabellarius reddidit. Huiusmodi tum ex fabulis, tum ex historijs infinita possunt inueniri. E physica vero sumuntur rerum similitudines, quarum quam plurimarum naturae memoriter tenere necesse est. Nunc si libet, in alia sententia tentemus.

NVNQVAM DVM VIVAM TVI ERO IMMEMOR

Semper dum viuam tui meminero. Quad viuam nunquam me tui capiet obliuio. Prius viuere desinam quam tui meminisse.

PER COMPARATIONE

Si vmbra corpus poterit effugere, et hic animus tui quibit
70r obliuisci. Qui memoriam ne Lethaeus / quidem amnis poterit abolere.

PRAETEREA PER ΑΔΥΝΑΤΟΝ AVT MORE POETICO PER CONTRARIA

"Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit. Ante leues ergo", et caetera, quae non est multi negotij excogitare. Verum ne immodici videamur, has in praesentia contenti simus. Alias, si voles, copiosius hac de re colloquemur.

CHRISTIANVS. Ego te, Augustine, iam plane exhaustum putabam. Sed tu praeter expectationem nouum thesaurum indicasti quem si pergas explicare, nox ante occupauerit, quam tibi eadem de re desint verba.

AVGVSTINVS. Si ego hoc mediocri et doctrina et ingenio praesto, quantum Ciceronem ipsum valuisse credis, qui cum Roscio histrione certasse legitur. Sed sol nos relinquit. Humescit coelum, praestat imitari auiculas, tectoque ac lecto nos condere. Proinde vale, mi Christiane suauissime, in crastinum.

CHRISTIANVS. Tu itidem bene valeas, Augustine omnium doctissime.

LB 672-689
ASD 231-266

CONVIVIVM RELIGIOSVM

EVSEBIVS, TIMOTHEVS, THEOPHILVS, CHRYSOGLOTVS, VRANIVS

EVSEBIVS. Cum omnia nunc vernent ac rideant in agris demiror esse, qui fumosis vrbibus delectentur.

TIMOTHEVS. Non omnes capiuntur aspectu florum aut pratorum vernantium, aut fontium amniumue; aut si capiuntur, est / (70v) aliud, quod magis iuuet. Ita voluptas voluptate veluti clauus clauo pellitur.

EVSEBIVS. Tu mihi fortasse foeneratores narras, aut his simillimos negatiatores auaros.

TIMOTHEVS. Istos quidem, sed non solos, o bone, imo cum innumeros alios (...), qui fere quaestus gratia malunt in vrbibus, ijsque frequentissimis versari, dogma sequuti, non Pythagoricum ac Platonicum, sed caeci cuiusdam mendici, cui dulce erat premi turbis hominum, quod diceret illic esse quaestum, vbi esset populus.

EVSEBIVS. Valeant caeci cum suo quaestu. Nos philosophi

---

4 &c.
28 hic emendatum est in erratis
31 usque ad ipsos sacerdotes ac monachos (1533,p.117) IF om. (ASD,p.231)

sumus.

TIMOTHEVS. Et Socrates philosophus vrbes praeferebat agris, quod esset discendi cupidus, et vrbes haberent, vnde disceret; in agris esse quidem arbores et hortos, fontes et amnes, qui pascerent oculos, caeterum nihil loquerentur, ac proinde nihil docerent.

EVSEBIVS. Est nonnihil, quod dixit Socrates, si solus obambules in agris. Quamquam mea sententia non est muta rerum natura, sed vndiquaque loquax est, multaque docet contem plantem si nacta fuerit hominem attentum ac docilem. Quid aliud clamitat illa tam amoena naturae verdantis facies, quam opificis Dei sapientiam bonitati parem? Sed Socrates in eo secessu, quam multa docet Phaedrum suum, ac vicissim ab eo discit.

TIMOTHEVS. Si tales adessent aliquot, nihil esse possit / 71r amoenius rusticatione.

EVSEBIVS. Libet igitur huius rei periculum facere? Est mihi praediolum suburbanum, non amplum, sed nitide cultum. Eo vos in crastinum diem prandium voco.

TIMOTHEVS. Plures sumus excederemus totum praedium tuum.

EVSEBIVS. Imo totum conuiuium apponetur herbaceum, ex dapibus, vt inquit Flaccus, inemptis apparatum. Vinum ipse locus suppeditat; pepones, melones, ficos, pyra mala, nuces, ipsae pene arbores porrigunt, quemadmodum fit in insulis Fortunatis, si Luciano credimus. Accedet fortassis e corte gallina.

TIMOTHEVS. Age, non recusamus.

EVSEBIVS. At suam quisque vmbram secum adducat, quam volet. Ita cum sitis quatuor, aequabimus numerum Musarum.

TIMOTHEVS. Fiet.

EVSEBIVS. Vnum istud vos praemonitos volo, sibi quisque condimentum suum adferet. Ego cibos duntaxat apponam.

TIMOTHEVS. Quod condimentum narras, piper an saccarum?

EVSEBIVS. Imo aliud vilius, sed suauius.

TIMOTHEVS. Quodnam?

EVSEBIVS. Famem. Eam dabit hodie coena tenuis, cras acuet stomachum ambulatiuncula. Et hoc quoque commodi rusculo meo debebitur. Verum ad quam horam libet prandere?

TIMOTHEVS. Ad decimam, priusquam inualescat aestus solis.

---

24 ipse
29 musarum
33 sacarum

EVSEBIVS. Curabitur.

PVER. Here, adsunt conuiuae pro foribus.

EVSEBIVS. Bonae fidei est quod venistis, sed bis gratum est, quod venistis mature vna cum vmbris vestris longe gratis-
(71v) simis. / Sunt enim quidam inciuiliter ciuiles, qui conuiuatorem mora sua torquent.

TIMOTHEVS. Eo maturius venimus, vt esset ocium lustrandi, visendique regiam istam tuam, quam audimus vndique miris delitijs variam, nusquam non testari domini sui ingenium.

EVSEBIVS. Regiam spectabitis tali dignam rege. Mihi certe nidulus est, quauis regia gratior. Et si regnat qui libere viuit ex animi sui sententia, hic plane regno. Sed praestat, opinor, interim dum culinae praefecta parat holusculum, et adhuc moderatus est solis calor visere hortos nostros.

TIMOTHEVS. Est alius praeter hunc? Nam hic sane mire cultus, blandissimo aspectu statim ingredientes salutat et comiter excipit.

EVSEBIVS. Hinc igitur decerpat sibi quisque flosculos ac frondes aliquot, ne quid offendat domus paedor. Non idem olor aeque gratus omnibus. Quare sibi quisque deligat. Ne parcite. Nam quicquid hic nascitur, pene publicum esse patior. Neque enim vnquam clauditur ostium huius vestibuli, nisi noctu.

TIMOTHEVS. En tibi, in ostio Petrus.

EVSEBIVS. Hunc ego malo ianitorem, quam Mercurios, Centauros, aliaque portenta, quae quidam pingunt in foribus suis.

TIMOTHEVS. Isthuc homine Christiano dignius est.

EVSEBIVS. Nec mutum habeo ianitorem, tribus linguis alloquitur ingredientem.

TIMOTHEVS. Quid loquitur?

EVSEBIVS. Quid ipse legis?

72r TIMOTHEVS. Inter/uallum aliquanto longius est, quam vt prospectus oculorum assequamur.

EVSEBIVS. En tibi perspicillum quod te vel Lynceum reddet.

TIMOTHEVS. Latina video: "Si vis ad vitam ingredi, serua mandata", Math. cap. 9.

EVSEBIVS. Nunc lege Graeca.

TIMOTHEVS. Graeca video quidem at illa non vident me. Quare lampadem hanc trado Theophilo, qui nunquam non cantillat

---

14 Solis
30 Quin (1533,p.120) IF mut. (ASD,p.233)

graeca.

THEOPHILVS. Μετανοήσατε καὶ ἐπιστρέψατε. Πράξεων τῷ τρίτῳ.

CHRYSOGLOTVS. Hebreae mihi summam: וְצַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה

EVSEBIVS. An vobis videtur incomis ianitor, qui statim monet, vt auertamur a vitijs, et conuertamus nos ad studium pietatis? Deinde vitam non contingere ex operibus Mosaycis, sed per fidem Euangelicam? Postremo seruandis Euangelicis praeceptis, iter esse ad immortalem vitam.

TIMOTHEVS. Et ecce mox ad dexteram ingressus ostendit sacelum perquam elegans. In altari Iesus Christus suspiciens in coelum ad Patrem et Spiritum Sanctum, illinc prospicientes, atque eodem dextram porrigens, laeua velut inuitat, et allectat praetereuntem.

EVSEBIVS. Nec is elinguis nos excipit; vides Latina? "Ego sum via, veritas et vita". Graeca: Ἐγώ εἰμι τὸ ἄλφα καὶ τὸ ὦ . Hebraice: לְכוּ בָּנִים שִׁמְעוּ־לִי יִרְאַת יְהוָה אֲלַמְּדְכֶם

TIMOTHEVS. Laeto nimirum omine nos salutauit dominus Iesus.

EVSEBIVS. Sed ne videamur inciuiles fortassis par est,
(72v) vt illum / resalutemus, precemurque vt quando ex nobis ipsi nihil possumus, ille sua inaestimabili bonitate non sinat nos vnquam aberrare a via salutis, sed abiectis vmbris iudaicis, et huius mundi praestigijs, per veritatem Euangelicam perducat nos ad vitam aeternam, hoc est, ipse per se trahat nos ad se.

TIMOTHEVS. Aequissimum est, et ipsa loci species inuitat precandum.

EVSEBIVS. Multos hospites allicit huius horti amoenitas, sed ita fere apud amneis inualuit consuetudo, vt nemo praetereat Iesum insalutatum. Hunc ego custodem posui, non solum horti mei, sed omnium quae possideo, denique corporis saluberrimus aquis non inamoene scatens, vtqumque representant vnicum illum fontem, qui coelesti latice refocillare omnes laborantes, et oneratos, et ad quem anhelat anima delassata malis huius mundi, non aliter quam, iuxta psalmistam, ceruus aestuans sibi, gusatis serpentium carnibus. Hinc gratis haurire licet, quisquis sitit. Nonnulli et religionis gratia sese aspergunt. Quidam etiam bibunt, non sitis, sed religionis causa. Videō vos inuitos auelli ab hoc loco. Sed interim hora monet, vt visamus cultiorem hortum, quem in quadrum cingunt muri regiae meae. Si quid erit visendum intus, a prandio specta

73r bitis, quum solis aestus nos, veluti cochleas, / domi cohibebit horis aliquot.

TIMOTHEVS. Papae, Epicureos hortos mihi videre videor.

EVSEBIVS. Totus hic locus voluptati dicatus est, sed honestae, pascendis oculis, recerandis naribus. Nihil nascitur praeter odoratas herbas, nec eas quaslibet, sed eximias duntaxat. Vnumquodque genus suas habet areas.

TIMOTHEVS. Nec herbae mutae sunt apud te, quantum video.

EVSEBIVS. Probe dicis, alij domos habent opulentas, ego loquatissimam habeo, ne quando solus videri possim, id magis etiam dices, vbi totum videris. Vt herbae sunt velut in turmas digestae, ita singulae turmae singula habent vexilla cum inscriptione. Velut amaracus hic: Abstine, inquit, sus, non tibi spiro. Cum enim sit suauissimae fragantiae, sues tamen hoc odore vehementer offenduntur. Itidem singula genera suos habent titulos, aliquid indicantes, quod ad peculiares eius herbae vim pertinet.

TIMOTHEVS. Nihil adhuc vidi hoc fonticulo festiuius, qui medius velut arridet herbis omnibus, ac refrigerium illis pollicetur aduersus aestum. Sed alueolus hic, qui tanta gratia totam aquam ostendit oculis hominum, hinc atque hinc aequis spatijs hortum dirimens, in quo sese vtrinque herbae velut in speculo contemplari gestiunt, num marmoreus est?

EVSEBIVS. Bona verba, vnde huc marmor? E contusis cemen(73v)tis fa/ctitium marmor est, coloris candor additus est incrustamento.

TIMOTHEVS. Quo sese tandem condit tam amabilis riuus?

EVSEBIVS. Vide inciuilitatem humanam. Post eaquam hic satis exhilarauit oculos nostros, proluit culinam, eiusdem sordes secum defert in cloacam.

TIMOTHEVS. Crudele, ita me Deus bene amet.

EVSEBIVS. Crudele, ni et in hunc vsum parasset aeterni numinis benignitas. Tum crudeles sumus, quum fontem diuinae scripturae longe hoc amoeniorem, recreandis simul ac purgandis animis nostris datum conspurgamus vitijs nostris, prauisque cupiditatibus, abutentes tam ineffabili dono Dei. Nam hac aqua non abutimur, si partimur in varios vsus in quos illam dedit is, qui nihil non affatim suppeditat vsibus humanis.

TIMOTHEVS. Verissima sunt, quae narras, sed cur tibi vi

---

13 amarcus

rent etiam horti septa manu facta?

EVSEBIVS. Ne quid hic non vireat. Quidnam rubra malunt, quod is color additus virentibus, gratiam adiungat. Hic mihi magis arridet, vt est sua cuique sententia, etiam in hortis.

TIMOTHEVS. Sed horti per se amoenissimi iucunditatem propemodum obscurant ambulacra tria.

EVSEBIVS. In his vel studeo, vel obambulo solus, aut cum amiculo confabulamus, vel cibum capio, si videtur.

TIMOTHEVS. Columnae paribus interuallis sustinentes aedificium innitens, miraque colorum varietate blandientes, suntne marmoreas?

74r EVSEBIVS. Ex eo/dem marmore, quo factus est hic alueus.

TIMOTHEVS. Lepida profecto impostura. Vel deierassem esse marmor.

EVSEBIVS. Quare caue, ne vel credas, vel deieres quicquam temere. Non raro fallit species. Quod opibus deest, arte sarcimus.

TIMOTHEVS. Non tibi sat erat hortus tam nitidus, tam excultus, nisi pingeres insuper alios hortos?

EVSEBIVS. Non capiebat omneis herbarum vnus hortus. Praeterea bis delectamur, cum pictum florem cum viuo decertantem videmus et in altero miramur artificium naturae, in altero pictoris ingenium, in vtroque benignitatem Dei, qui in vsum nostrum largitur haec omnia, nulla in re non mirabilis pariter, et amabilis. Postremo non semper viret hortus, non semper viuunt flosculi. Hic hortus etiam media bruma viret, et adblanditur.

TIMOTHEVS. At non spirat.

EVSEBIVS. Sed rursum non eget cultura.

TIMOTHEVS. Tantum pascit oculos.

EVSEBIVS. Verum, sed hoc perpetuo facit.

TIMOTHEVS. Habet suum et pictura senium.

EVSEBIVS. Habet, nobis tamen est viuacior, et illi fere gratiam addit aetas, quam nobis detrahit.

TIMOTHEVS. Vtinam hic vanus esses.

EVSEBIVS. In hoc ambulacro, quod spectat occidentem, sole fruor oriente; in hoc quod spectat orientem, apricor interdum; in hoc quod spectat austrum, sed patet ad septentrionem, recreor ab aestu solis. Obambulabimus, si videtur, quo spectetis

---

3 quod his color emendatum est in erratis
36 Occidentem
37 Orientem

(74v) proprius. En vernat ipsum / etiam solum. Habent enim et tessellae colorum gratiam et flosculis pictis adblandiuntur. Hoc nemus quod videtis hoc toto pariete depictum, exhibet mihi varium spectaculum. Primum quot videtis arbores, tot videtis arborum genera, singulis ad natiuam imaginem non pessime expressis. Quot cernitis aues, tot videtis auium species, praecipue si quae sint rariores, et insigni re quapiam nobiles. Nam anseres, gallinas et anates quid attinet pingere? Inferne sunt quadrupedum species.

TIMOTHEVS. Mira varietas, nec quicqum est ociosum. Nihil est quod non aut agat, aut loquatur aliquid. Quid nobis narrat noctua, pene latitans sub frondibus?

EVSEBIVS. Attice loquitur Attica: σωφρόνει inquit οὐ πᾶσιν ἵστημι . Iubet nos consulto agere, quod non omnibus feliciter cedat inconsulta temeritas. Hic aquila decerpit leporem, frustra obtestante scarabeo. Astat scarabeo trochilus, et ipse capitalis inimicus aquilae.

TIMOTHEVS. Haec hirundo quid gerit ore?

EVSEBIVS. Herbam chelidoniam. Nam hoc restituit pullis exoculatis visum. Agnoscitis herbae figuram?

TIMOTHEVS. Quodnam hoc nouum lacertae genus?

EVSEBIVS. Non est lacerta, sed chamaeleon.

TIMOTHEVS. Est hic ille longo nomine celebratus chamaeleon? Beluam esse credidi leone maiorem, quem vincit etiam vocabulo.

75r EVSEBIVS. Hic ille est sem/per hians et semper ieiunus chamaeleon. Haec arbor est caprificus, apud quam solam saeuit, alias innoxius. Nam venenum habet, ne contemnas hiantem bestiolam.

TIMOTHEVS. At non mutat colorem.

EVSEBIVS. Verum, quia non mutat locum, vbi mutarit locum, videbis et colorem alium.

TIMOTHEVS. Quid hic sibi vult tibicen?

EVSEBIVS. Nonne vides in proximo camelum saltantem?

TIMOTHEVS. Video nouum spectaculum, camelus cinaedus est et simius choraules.

EVSEBIVS. Sed his singulatim ac per ocium contemplandis alias dabitur vel totum tridum. Nunc satis erit, veluti per transennam vidisse. In hac regione depictum est ad natiuam

---

15 credat emendatum est in erratis

effigiem, quicquid est insignium herbarum; quodque iure miremini, hic venena quantamuis praesentanea, tuto non solum spectantur, verumetiam contrectantur.

TIMOTHEVS. En scorpius, rarum in hisce regionibus malum, sed frequens Italiae. Quamquam color mihi parum respondere videtur in pictura.

EVSEBIVS. Qui sic?

TIMOTHEVS. Quia magis nigrant apud Italos, iste pallidior est.

EVSEBIVS. At non agnoscis herbam in cuius folium incidit?

TIMOTHEVS. Non satis.

EVSEBIVS. Nec mirum. Nec enim nascitur in hortis nostratibus. Aconitum est. Ei veneno tanta vis est, vt scorpius ad huius contactum stupescat, pallescatque, seseque vinci patia-
(75v) tur. Sed offensus veneno a veneno petet remedium. / Videtis in propinquo vtrumque genus hellebori. Si scorpius sese potuerit explicare a folio aconiti, et album helleborum contingere, recipiet pristinum vigorem, diuersi veneni contactu soluente torporem.

TIMOTHEVS. Actum est igitur de isto scorpio. Nam is se nunquam explicabit ab aconiti folio. Etiam loquuntur hic scorpij?

EVSEBIVS. Et quidem Graece.

TIMOTHEVS. Quid ait?

EVSEBIVS. Εὕρε θεὸς ἀλιτρόν . Hic praeter herbas videtis omne serpentium genus. En vobis basiliscus, oculis igneis, ipsis etiam nocentissimis venenis formidabilis.

TIMOTHEVS. Et is loquitur aliquid.

EVSEBIVS. Oderint, inquit, dum metuant.

TIMOTHEVS. Plane regia vox est. Hic pugnat lacerta cum vipera. Hic dipsas insidiatur, tecta putamine oui struthiocameli. Hic videtis politiam totam formicarum, ad quarum imitationem nos vocat Hebraeus ille sapiens, atque etiam Flaccus noster. Hic videtis formicas Indicas,quae aurum egerunt ac seruant.

TIMOTHEVS. Deum immortalem, cui possit obtrepere taedium, in hoc theatro versanti.

EUSEBIVS. Alias, inquam, licebit vel ad satietatem vsque

---

26 Struthiocameli

spectare. Nunc procul tantum spectate tertium parietem. Is habet lacus, amnes et maria, et in his quicquid insignium piscium. Hic est Nilus, in quo delphinum illum videtis, hominum amatorem, cum crocodylo depugnantem, quo non alius hostis homini
76r capitalior. In ri/pis ac litoribus videtis ea, quae sunt ἀμφίβια , vt cancri, phocae, fiber. Hic est polypus captator captus concha.

TIMOTHEVS. Quid loquitur? αἰρῶν αἰροῦμαι . Mire pictor fecit aquam pellucidam.

EVSEBIVS. Aut hoc erat illi faciendum, aut nobis opus erat alijs oculis. In proximo est alter polypus, summa aequoris aqua velificans, liburnicarum gaudens imagine. Videtis torpedinem postratam in harena concolori, quam hic tuto vel manu contingeris. Sed alio properandum est. Haec pascunt oculos, at ventrem non explent; properemus ad reliqua.

TIMOTHEVS. Etiamne amplius?

EVSEBIVS. Mox videbitis quid nobis praebeat posticum. Hic videtis hortum satis spatiosum, in duas diuisum partes: in altera est, quicquid est herbarum esculentarum, in qua regnant vxor et familia mea; in altera quicquid est medicarum, praesertim insignium. Ad laeuam est pratum liberum, praeter virorem graminum nihil habens, septum est saepe perpetua, e spinis implexis contexta. Illic nonnunquam vel ambulo vel lusito cum sodalibus. Ad dextram est pomarium, in quo cum erit ocium videbitis plurimas arbores peregrinas, quas paulatim doceo nostro coelo assuescere.

TIMOTHEVS. Papae, nae tu vincis vel ipsum Alcinoum.

(76v) EVSEBIVS. Hic auiarium est in confi-/nio adhaerens ambulacro superiori, quod videbitis a prandio; videbitis formas varias, variasque linguas audietis. Nec minus varia sunt ingenia. Inter quasdam cognatio est, et muttus amor, inter nonnullas simultas irreconciliabilis. Sunt autem omnes adeo cicures ac mansuetae, vt si quando coeno illic aperta fenestra, deuolent in mensam, cibumque vel e manibus capiant. Si quando ingredior in ponticulo pensili quem videtis, fabulans cum amico, assident, auscultant, insident humeris aut brachijs, adeo dedicerunt timere, quia sentiunt neminem laedere. In extremo pomario apum regnum est. Nec illud sane spectaculum inamoenum. In praesentia non sinam vos amplius contemplari, quo sit quod

---

3 Delphinum
4 Crocodylo
27 Alcinouũ

vos posthac reuocer, tanquam ad nouum spectaculum. A prandio caetera vobis ostendam.

PVER. Vxor et familia clamitant, corrumpi prandium.

EVSEBIVS. Iubeto illae esse aequanimes. Nos iam accurremus. Lauemus amici, vt puris manibus et animis ad mensam accedamus. Et enim si ethnicis quoque religiosa erat mensa, quanto magis oportet esse sacram Christianis, quibus habet imaginem quandam illius sacrosancti conuiuij, quod dominus Iesus postremum egit cum suis discipulis. Et ob id receptum est, abluere manus, vt si quid odij, liuoris aut turpidinis alicui / forsitan resideat in animo, id eijciat antequam accedat ad cibum capiendum. Sic enim opinor et corpori salubriores esse cibos si sumantur animo defecato. 77r

TIMOTHEVS. Istud verissimum esse credimus.

EVSEBIVS. Quoniam hoc exemplum nobis ab ipso Christo traditum est, vt ab hymno cibum auspicaremur, nam id arbitror, quod frequenter in Euangelio legimus illum benedixisse, aut gratias egisse patri, priusquam cibum frangeret, et rursum finiremus, si videtur, recitabo vobis hymnum, quem diuus Chrysostomus miris laudibus praedicat in homilia quadam, dignatus etiam interpretari.

TIMOTHEVS. Imo ut velis rogamus.

EVSEBIVS."Benedictus Deus, qui me pascis a iuuentute mea. Qui cibum praebes omni carni, reple laetitia et gaudio corda nostra, vt affatim quod satis est habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Iesu domino nostro cum quo tibi gloria, honor et imperium cum Sancto Spiritu in omne aeuum."

TIMOTHEVS. Amen.

EVSEBIVS. Nunc accumbite, ac suam quisque vmbram sibi adiungat. Caniciei tuae debetur primus locus, Timothaee.

TIMOTHEVS. Verbo dignitatem vniuersam meam complexus es. Hoc solo nomine cum caeteris ante ponendus.

EVSEBIVS. Caeterarum dotium aestimator est Deus, nos ea sequimur quae videmus. Sophroni adhaere corpori tuo. Tu Theophile et Eulali, dextram mensae latus occupate. Chrysoglotus et Theodidactus occupabunt laeuum. Vranius et Nephalius, quod superest. Ego hunc angulum tuebor. (77v)

TIMOTHEVS. Non patiemur. Hospiti debetur primus locus.

EVSEBIVS. Tota domus haec mea est, simulque vestra, quod si mihi permittitur ius in regno meo, is locus debetur hospiti, quemqunque sibi delegerit. Nunc vtinam Christus ille exhilarator omnium, et sine quo nihil vere suaue est, dignetur

huic nostro interesse conuiuio, suaque praesentia exhilarare animos nostros.

TIMOTHEVS. Spero dignabitur. Sed vbi sedebit, iam omnibus locis occupatis?

EVSEBIVS. Vtinam ille se miscaet omnibus et patinis et poculis, vt nihil illum non sapiat, sed potissimum illabatur animis nostris. Id quo magis dignetur, et nos tanti hospitis reddamur capaciores, si molestum non est, auscultabitis paululum e sacra lectione; sed ita, vt interim nihilo cicius admoueatis manus ouis et lactutis, si libet.

TIMOTHEVS. Id faciemus libenter, sed auscultabimus libentius.

EUSEBIVS. Is mos mihi multis nominibus videtur amplectendus, quod hac ratione videntur inanes fabulae, praebeaturque materia confabulationis frugiferae. Multum enim ab illis dissentio, qui putant non esse laetum conuiuium, nisi quod scateat ineptis ac lasciuis fabulis, quod prestrepat obscoenis
78r cantiun/culis.Vera hilaritas nascitur e pura synceraque conscientia; atque sermones vere laeti sunt, quos semper et dixisse iuuet, aut audisse, et semper delectat meminisse, non quorum mox pudeat, quique conscientiam poenitudine discrucient.

TIMOTHEVS. Vtinam ista tam perpenderemus omnes, quam sunt vera.

EVSEBIVS. Haec praeter quam quod certam et insignem habent vtilitatem, etiam iucunda fiunt vbi vel mensem vnum asseueris.

TIMOTHEVS. Nihil igitur consultius, quam optimis assuescere.

EVSEBIVS. Recita puer distincte, et clare.

PVER. "Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud. Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus. Facere misericordiam et iudicium, magis placet Domino, quam victimae".

EVSEBIVS. Sit hoc satis. Praestat enim pauca auide discere, quam multa cum taedio deuorare.

TIMOTHEVS. Praestat sane, sed non hic tantum. Plinius scripsit Officia Ciceronis nunquam de manibus deponenda et sunt sane digna, quae cum ab omnibus, tum praecipue ab ijs, qui destinati sunt administrandae respublicae ad verbum ediscan

---

30 domini
33 domino
39 resp.

tur, mea quidem sententia; sed hunc Prouerbiorum libellum semper dignum arbitratus sum, qui semper nobis circunferatur.

EVSEBIVS. Quoniam sciebam prandium fore dilutum, et insi
(78v) pidum, idcirco / hanc procuraui nobis condituram.

TIMOTHEVS. Nihil hic est non lautissimum, et tamen si nihil esset praeter betas absque pipere, vino et aceto, talis lectio condiret omnia.

EVSEBIVS. Mihi tamen plus adderet gratiae, si quod audio, penitus intelligam. Atque vtinam adesset aliquis vere theologus, qui ista non intelligeret solum, verum etiam saperet. Nobis idiotis nescio, an fas sit hisce de rebus confabulari.

TIMOTHEVS. Ego vero puto vel nautis esse fas, modo absit definiendi temeritas. Fortasse et Christus, qui pollicitus est sese adfuturum, vbique duo conuenirent de ipso tractantes, aspirabit nobis tam multis.

EVSEBIVS. Quid si igitur partiamur inter nos nouem, tres sententias?

CONVIVAE. Non displicet, modo a conuiuator incipiat ordo.

EVSEBIVS. Non detractarem prouinciam, sed vereor, ne hic vos peius accipiam, quam cibis accipio. Age necubi videar difficilis conuiuator, omissis varijs coniecturis, quae in hunc locum congerunt interpretes; mihi videtur hic esse sensus moralis, alios mortales posse flecti monitis, incripationibus, legibus, ac minis, regis animum; quoniam neminem metuit, si repugnes, magis imitari. Et idcirco quoties principes vehementer contendunt aliquid, suo animo relinquendus, non quod
79r semper velint optima, sed quod illorum stultia, mali-/ciaue Deus nonnunquam abutatur ad emendandos eos, qui deliquerunt. Quemadmodum vetuit resisti Nabuchodonosor, quod illius ministerio decreuisset castigare populum suum. Fortassis illud est quod ait Iob: "Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi". Atque huc fortasse pertinet, quod ait Dauid deplorans peccatum suum: "Tibi soli peccaui, et malum coram te feci." Non quod reges non peccent ingenti populi malo, sed quod non habent hominem, cuius autoritate condemnentur, cum Dei iudicium nemo, quamlibet potens, possit effugere.

TIMOTHEVS. Non displicet interpretatio. Sed qui sibi volunt diuisiones aquarum?

EVSEBIVS. Adhibita est similitudo quae rem explanet. Violenta res et impotens est regis animus concitatus, nec huc,

---

1 prouerbiorum

aut illuc duci potest sed impetu suo fertur, velut oestro diuino percitus, quemadmodum mare sese spargit in terras, ac subinde cursum mutat, contemptis agris, aedificijs, et quicquid obstat. Alicubi se condit sub terras, cuius impetum si coneris inhibere aut alio deflectere, nihil agas. Idem accidit in magnis fluminibus, veluti fabulae quoque narrant de Acheloo. Minus autem mali capitur, si commode obsequundes, quam si violenter repugnes.

TIMOTHEVS. Nihil igitur remedij aduersus malorum regum impotentiam? /

(79v) EVSEBIVS. Fortasse primum fuerit, leonem in ciuitatem non recipere. Proximum, sic autoritate senatus, magistratuum acciuium, moderate potentiam illius, vt non facile erumpat in tyrannidem. Sed omnium potissimum, dum adhuc puer est, et se principem esse nescit, sanctis praeceptis formare pectus illius. Prosunt et preces ac monita, sed blanda ac tempestiua. Extrema ancora est, votis fatigare Deum, vt regis animum inclinet ad ea, quae Christiano rege digna sunt.

TIMOTHEVS. Quid ais idiota? Si baccalaureus essem theologiae, minime puderet istius interpretationis.

EVSEBIVS. An vera sit, nescio, mihi satis est, quod sensus non sit impius, aut haereticus. Morem gessi voluntati vestrae. Nunc vt decet in conuiuijs, vicissim audire cupio.

TIMOTHEVS. Si quid defertis hic quoque canis, mihi videtur hoc dictum et ad abstrusiorem sententiam accommodari posse.

EVSEBIVS. Credo, et audire cupio.

TIMOTHEVS. Rex intelligi potest vir perfectus, qui domitis carnis affectibus solo diuini spiritus impetu ducitur. Porro si quid sit huiusmodi, non decet profecto humanis quibusdam legibus quae externa quaedam praecipiunt in ordinem cogi. Quemadmodum in coenobijs Anachoritae olim suo ipsorum arbitrio permittebantur. Et hodie in monasterijs, illis quorum pietas

80r iam satis spec/tata est, quorunque virtutes habentur illustres, his de rebus externis constitutiones prudente relaxantur. Caeterum quemadmodum in coenobijs, ac monasterijs nemo quamlibet perfectus, hoc sibi iuris sumet, ne sit caeteris offendiculo. Ita sane vel ipse Paulus, ne praebeat fratri temerarij iudicij ansam, carnes non comedet in aeternum. Expendant igitur praefecti spiritus charismata, pium duxerint non contemptum iri

---

1 coestro

30ss cogere, sed suo domino, cuius spiritu agitur, relinquendus est: nec iudicandus est ex hisce rebus, quibus imbecillitas imperfectorum utcunque prouehitur ad ueram pietatem: sed si quid secus facit, dicendum est (1533,p.132) IF mut. (ASD,p.244)

affectus spirituales vbi examinarint non esse simulatos, et adeo esse, suo Domino permittant, et dicant cum Paulus "Dominus assumpsit illum, Domino suo stat, aut cadit." Item illud: "Spiritualis homo omnia dijudicat"; ipse vero a nemine iudicatur. Talibus igitur nemo praescribat, sed Dominus, qui praescripsit terminos mari et amnibus, habet cor sui regis in manu sua, quocunque voluerit, inflectit illud.

EVSEBIVS. Tu vero, Timothee, non solum canos habes capillos, sed pectus etiam habes eruditionis canicie venerabile. Atque vtinam inter Christianos quos omneis oportebat esse reges, huiusmodi plures reperirentur hoc digni cognomine. Sed iam satis est ouatum et holeribus praesulum. Iubete haec tolli et apponi quod superest.

TIMOTHEVS. Nobis affatim satis factum est hac ouatione,
(80v) etiam si nihil praeterea successerit, / vel supplicationis vel triumphi.

EVSEBIVS. Verum quoniam aspirante Christo, sicut opinor, successit res in prima sententia, velim, vt vmbra tua nobis enarret alteram, quae mihi videtur aliquanto abscurior.

SOPHRONIVS. Si boni voletis consulere quicquid dixero, sedulo dicam quod mihi videtur. Alioqui qui fieri potest, vt rebus obscuris lucem adferat vmbra?

EVSEBIVS. Equidem recipio futurum omnium nomine, et tales vmbrae lucem suam habent aptiorem oculis nostris.

SOPHRONIVS. Idem docere videtur quod Paulus. Diuersis vitae rationibus contenditur ad pietatem. Alij placet sacerdotium, alij coelibatus, alij coniugium, alij secessus, alij respublica pro varietate corporum et ingeniorum. Rursus alius vescitur quibuslibet, alius distinguit inter cibum et cibum, alius iudicat inter diem et diem, alius iudicat omnem diem. In his Paulus vult vnumquemque suo frui affectu citra contumeliam alterius. Nec oportet quaequam ex huiusmodi iudicare, sed iudicium deferre Deo, qui expendit corda. Fit enim saepe numero, vt vescens gratior sit Deo, quam non vescens; et diem festum violans accepitur sit Deo, quam is qui videtur obseruare. Et matrimonium huius gratius sit oculis Dei, quam multorum coelibatus. Dixi vmbra.

81r EVSEBIVS. Vtinam mihi saepe contingat cum talibus / vmbris

---

2 domino
3 domino
5 dominus
28 Res

[colloqui. Rem, ni fallor, non acu, quod] aiunt, sed lingua tetigisti. Sed adest, qui coelebs vixit, non de numero beatorum, qui se crastrauerunt propter regnum Dei, sed hic castratus est vi, quo magis placeret ventri, donec et hunc escas destruxerit Deus. Capus est ex corte nostra. Elixis magis delęctor. Ius est non inelegans, quod in eo natat, lactucas sunt selectissimae. Sumat sibi quisque, quod gratum est animo. Sed ne quid vos fallam succedet huic assi nonnihil, mox bellaria. Deinde fabulae catastrophe.

TIMOTHEVS. Sed interim excludimus vxorem e conuiuio.

EVSEBIVS. Vbi vos venietis comitati vestris, accumbet et mea. Nunc quid aliud esset quam muta persona, et illa suauius garrit mulier inter mulieres, et nos liberius philosophamur. Alioqui periculum sit, ne nobis accidat, quod accidit Socrati, cui quum essent conuiuae philosophi, quibus magis placent huiusmodi fabulae, quam cibus, et in longum proferretur disputatio, Xanthipe commota, mensam subuertit.

TIMOTHEVS. Nihil minus a tua metuendum arbitror. Est enim mulier moribus placidissimis.

EVSEBIVS. Mihi certe talis est, vt commutare non cupiam, etiam si liceat, atque hoc nomine mihi vel praecipue videor fortunatus. Nec enim mihi placet eorum sententia, qui fortunatum putant, vxorem habuisse nunquam; magis arridet, quod (81v) ait sapiens Hebraeus, ei bonam / sortem obtigisse, cui obtigit vxor bona.

TIMOTHEVS. Saepe nostro vitio sunt vxores, vel quia tales deligimus, vel quia tales reddimus, vel quia non, vt oportet, formamus et instituimus.

EVSEBIVS. Vera praedicas, sed interim expecto tertiae sententiae enarrationem, et iam mihi dicturire videtur θεόπνευστος Theophilus.

THEOPHILVS. Imo mihi animus erat in patinis. Dicam tamen, quando licet impune.

EVSEBIVS. Etiam cum gratia licebit errare, vel sic praebebis occasionem inueniendi.

THEOPHILVS. Mihi videtur eadem sententia, quam protulit Dominus apud Oseae prophetam, ca. 6: "Misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta", cuius viuus et efficax interpretes est Dominus Iesus in Euangelio

---

1 vmbris colloqui rem, vt aiunt non acu additum est in erratis, sed inepte
37 dominus
39 dominus

Matthaei 9. Quum enim conuiuium agitaret in domo Leui, qui erat publicanus, isque multos sui ordinis, suique quaestus homines inuitasset ad conuiuium, Pharisei, qui tumebant religione legis, quum ea praecepta negligerent, vnde tota lex pendebat et prophetae, quo disciplinorum animos alienarent a Iesu, rogabant illos, quur Dominus admisceret se conuiuio peccatorum, a quorum consortio abstinebant Iudaei, qui volebant haberi sanctiores, et si quando contigisset cum eiusmodi congredi, reuersi domum abluebant corpus. Quumque discipuli rudes
82r adhuc, non haberent quod responderent, Domi-/nus et pro se,et pro discipulis respondit: "Non est opus, inquit, medico valentibus, sed male habentibus. Euntes autem discite, quid est 'Misericordiam volo et non sacrificium! Non enim veni vocare iustos, sed peccatores".

EVSEBIVS. Pulchre tu quidem collatione locorum rem explicas, id quod in diuinis literis praecipuum est; sed discere velim quid appellat sacrificium, quid misericordiam. Nam qui consistit, vt auersetur sacrificia Deus, quae sibi tot praeceptis iusserat exhiberi?

THEOPHILVS. Quomodo Deus aduersitur sacrificia, docet ipse nos apud Esaiam cap. I. Sunt enim quaedam praescripta Iudaeis in lege, quae significant magis sanctimoniam, quam praestant, quod genus sunt, dies festi, sabatismi, ieiunia, sacrifica. Et sunt quae semper praestanda sint, quae suapte natura bona sunt, non quia iussa. Iudaeos autem auersatur Deus, non quod obseruarent legis ritus, sed quod his stulte tumidi, negligerent ea, quae Deus maxime vult praestari a nobis, ac madentes auaritia, superbia, rapinis, odio, liuore, caeterisqus vitijs, existimabant Deum ipsis multum debere, quod diebus festis versarentur in templo, quod immolarent victimas, quod abstinerent a cibis vetitis, quod illi nonnunquam ieiunarent. Vmbras amplectebantur, rem negligebant. Quod autem ait: "Misericordiam volo, et non sacrificium",
(82v) opinor ex / idiomate sermonis Hebraei dictum, pro eo quod erat, "misericordiam volo potius quam sacrificium"; quemadmodum, velut interpretatur Solomon, quum ait: "Facere misericordiam et iudicium, magis placent Domino, quam victimae". Porro omne officium, quod impenditur subleuando proximo,

---

1 Matth.9.
6 dominus
10 dominus
21 Esa cap.1.
34 Haebraei
37 domino

scriptura misericordiam vocat et eleemosynam, quae ipsa nomen duxit a miserando. Victimas appellari puto, quicquid pertinet ad ceremonias corporales; (...) quod genus sunt delectus ciborum, vestitus praescriptus, ieiunum, precum (...) pensum, quies diei festi, quae Christiani Deo offerimus, quasi nos ipsi sacrificemus. Quae tanto sunt victimis Iudaicis potiores, quanto praestat vmbrae corpus. Haec omnia non sunt Christiano negligenda, quando et tempori seruiendum est, et maiorum institutis. Fiunt tamen Deo ingrata, si quis oberuationibus huiusmodi confisus, negligat misericordiam, quoties fratris necessitas exigit officium charitatis. Habet speciem sanctimoniae etiam colloquia vitare malorum. Sed hoc cessare debet, quoties aliud suadet charitas proximi. Obedientiam est quiescere diebus festis, sed impium sit obreligionem diei sinere fratrem perire. Itaque seruare diem dominicum, victima est, vt ita loquar; reconciliari fratri, misericordia est.
83r Porro iudicium / quanquam potes ad potentes referri, qui frequenter vi opprimunt imbecilles, tamen mihi videtur non absurdum, si respondeat illi, quod est apud Oseae: "et scientiam Dei plus quam holocausta". Non seruat legem, qui non seruat iuxta mentem Dei. Iudaei subleuabant asinum in foueam collapsum sabbatis, et Christum clumniabantur, qui seruaret totum hominem in sabbato. Hic erat praeposterum iudiciorum, aberat scientia Dei, nesciabant enim, quod ita propter illa. Sed haec impudenter dicere viderer, nisi vestro iussu dicerem. Malim ex alijs rectiora discere.

EVSEBIVS. Ista mihi videntur adeo dicta impudenter, vt existimem Dominum Iesum loqui per organum oris tui. Sed interim dum largiter pascimus animos nostros, ne negligantur collegae.

THEOPHILVS. Quinam?

EVSEBIVS. Corpora nostra, nonne collegae sunt animorum? Hoc enim malim quam instrumenta, vel domicilia, vel sepulchra.

THEOPHILVS. Hoc nimirum est affatim refici, vbi totus homo reficitur.

EVSEBIVS. Video vos segniter attingere. Quare si videtur iubebo proferri assa, ne pro lauto conuiuio, longum praebeam. Videris huius prandioli summam. Armus est ouillus, sed exquisi

---

3 et aliquid habet affine Iudaismo (1533,p.136) IF om. (ASD,p.24
4 veluti (1533,p.136) IF om. (ASD,p.247)
5ss Haec enim ut pro tempore non sunt omnino negligenda, ita deo fiunt ingrata (1533,p.136) IF mut. (ASD,p.247)
28 dominum

tus, capus et perdices quatuor. Has solas a mercatu sumpsi, reliqua suppeditat hoc praediolum.

(83v) TIMOTHEVS. Epi-/cureum prandium video, ne dicam Sybariticum.

EVSEBIVS. Imo vix Carmeliticum. Sed quale est, boni consuletis. Animus certe purus est, si parum lautum est conuiuium.

TIMOTHEVS. Adeo non est muta tua domus, vt non solum parietem, sed et cyathus loquatur aliquid.

EVSEBIVS. Quid tibi loquitur?

TIMOTHEVS. Nemo nisi a seipso laeditur.

EVSEBIVS. Cyathus patrocinatur vino. Nam vulgus febrim, aut capitis grauedinem e potu contractam, imputare solet vino, cum ipsi sibi malum accerserint immodice bibendo.

SOPHRONIVS. Meus Graece loquitur ἐν οἴνῳ ἀλήθεια.

EVSEBIVS. Admonet non esse tutum sacerdotibus aut regum famulis indulgere vino, quod vinum fere transferat in linguam, quicquid latebat in corde.

SOPOHRONIVS. Apud Aegyptios olim nefas erat sacerdotibus bibere vinum, quum nondum illis mortales sua committerent arcana.

EVSEBIVS. Nunc licet quidem omnibus bibere vinum, an expediat nescio. Eulali, quid libelli profers e crumena? Perquam elegans videtur, nam foris etiam totus aureus est.

EVLALIVS. Sed idem intus plus quam gemmeus est. Sunt Epistolae Paulinae, quas vt vnicas delicias meas semper mecum circumfero, quas ideo profero, quod ex occasione sermonis tui venit in mentem locus quiddam, qui me nuper dius torsit, nec adhuc satis sibi facit animus. Is est in epistolae prioris ad
84r Corinthios cap. 6 / "Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.
Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestatem". Primum si Stoicis credimus, nihil est vtile, quod non idem honestum. Quomodo igitur Paulus distinguit id quod licet, ab eo quod expedit? Certe scortari aut inebriari nqn licet, quomodo igitur licent omnia? Quod si Paulus de certo genere rerum loquitur, quarum omnium vult esse licentiam, non possum satis ex ipso loci tenore diuinare, quodnam sit illud genus. Ex ijs, quae mox huic loco subijciuntur, conijcere licet, eum loqui de ciborum delectu. Quidam enim abstinebant ab idolothytis, quidam a cibis per Mosen interdictis. Et de idolothytis agit

---

18 nephas
24 epistolae

cap. 8. Rursus cap. 10 velut explicans huius loci sententiam, ait: "Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, omnia mihi licent, sed non omnia aedificant. Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius. Omne quod in macellum venit, manducate". Hoc quod hic subijcit Paulus, congruere videtur cum eo quod supra dixerat: "Esca ventri, et venter escis, et hunc et has destruet Deus". Quod autem respexit hic etiam ad Iudaicorum ciborum delectum, indicat clausula decimi capitis "Sine offensione estote Iudaeis et gentibus et Ecclesiae Dei; sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi vtile est, sed quod multis vt salui fiant". Nam quod ait "gentibus" (84v) pertinere videtur ad idolothytum; quod ait / "Iudaeis", referri videtur ad delectum ciborum; quod ait "Ecclesiae Dei", pertinet ad infirmos, ex vtraque collectos. Licet igitur vesci quibuslibet cibis, et omnia munda mundis, sed incidit casus, vt non expediat. Quod omnia licent, libertatis est Euangelicae, sed charitas vbique spectat, quid conducat ad salutem proximi, eoque frequenter abstinet et a licitis, malens obsecundare commodo proximi, quam sua vti libertate. Sed hic mihi geminus obstrepit scrupulus, primum quod in sermonis contextu nihil praecedet aut sequatur, quod cum hoc sensu cohaereat. Nam obiurgarat Corinthios, quod essent seditiosi, quod scortationibus, adulterijs, atque etiam incestis impuri, quod litigarent apud iudices impios. Cum his qui cohaeret "omnia mihi licent, sed non omnia expediunt?". Et in his quae sequuntur, redit ad causam impudicitiae, quam repetierat et ante, intermisso negotio litium. "Corpus autem, inquit, non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori". Verum hunc quoque scrupulum possum vtcumque discutere, quod paulo superius in catalogo vitiorum meminisset et idolatriae: "Nolite errare, neque fornicari, neque idolis seruientes, neque adulteri". Porro esus idolothytorum vergebat ad speciem idololatriae. Et (85r) ideo mox subdit: "Esca ventri, et venter escis", / significans pro necessitate corporis, pro tempore licere, vesci quibuslibet nisi aliud suaderit charitas proximi, sed impudicitiam semper et vbique detestandam esse. Quod vescitur necessitatis est, quae tolletur in resurrectione mortuorum. Quod libidinamur, maliciae est. Sed alterum scrupulum non queo dissoluere, quomodo ad haec quadret illud. "Sed ego sub nullius redigar potestatem". Ait enim sibi potestatem esse omnium, se tamen

---

7 deus
9 ecclesiae
13 ecclesiae dei
28 domino et dominus

in nullius potestate fore. Si is dicitur esse in potestate aliena, qui ne offendat, abstinet, idem capite ix de se praedicat: "Cum liber essem ab omnibus, omnium me seruum feci, vt omnes lucribacerem". Hoc opinor, offensus scrupulo sanctus Ambrosius, putat hunc esse germanum apostoli sensum, vt viam praestruat illi, quod agit cap. nono, sibi quoque potestatem esse faciendi, quod caeteri faciebant, vel apostoli, vel pseudoapostoli, sumendi victum ab his, quibus praedicabat Euangelium. Sed ab hoc, tametsi licebat, temperabat, quod sic expediret Corinthijs, quos de tam multis et insignibus vitijs obiurgabat. Porro quisquis accipit, fit quodammodo obnoxius ei a quo accipit, et aliquid decedit de vigore autoritatis. Siquidem qui accipit, minus libere obiurgat; et qui dedit, non
(85v) perinde fert obiurgari, ab eo cui benefacit. In hoc igi/tur Paulus abstinuit ab ijs quae licebant, vt consuleret apostolicae libertati, quam in hoc volebat nulli esse obnoxiam, vt liberius ac maiore cum autoritate reprehenderet illorum vitia. Mihi sane non displicet Ambrosiana sententia. Attamen si quis mallet hunc locum ad cibos accommodare, mea sententia, quod ait Paulus: "Sed ego sub nullius adigar potestatem", sic accipi posset. Tametsi nonnunquam abstineam a cibis immolatieijs, aut lege mosaica vetitis, vt consulam saluti proximi, ac profectui Euangelico, tamen animus meus liber est, qui scit sibi licere vesci cibis quibuslibet pro necessitate corpusculi. At pseudoapostoli conabantur hoc persuadere, quosdam cibos per se impuros esse, nec abstinendum per occasionem, sed semper ab his temperandum, tamquam natura malis, nec aliter quam abstinemus ab homicidio, et adulterio. Hoc quibus erat persuasum, redacti erant sub alienam potestatem, et exciderant ab Euangelica libertate. Solus quod quidem meminerim, Theophylactus sententiam inducit ab his omnibus diuersam: licet vesci quibuslibet cibis, sed non expedit immodice.Nam ex luxu nascitur impudicitia. Hic sensus quamquam impius non est, tamen mihi non videtur huius loci germanus esse. Ostendi
86r quae me torqueant, vestrae charitatis erit, / me ex his scrupulis eximere.

EVSEBIVS. Nae tu probe tuo respondes nomini. Qui sic nouit proponere quaestiones, non opus habet alio, qui dissoluat. Sic enim proposuisti dubitationem tuam, vt ego dubitare desierim. Tametsi Paulus in ea epistola, quoniam multa simul de-

---

16 Apostolicae

creuit agere, saepe ab vno argumento in aliud deuoluitur, et rursum quod intermiserat, repetit.

CHRYSOGLOTVS. Nisi vererer, ne vos mea loquacitate auocem a capiendo cibo, et si crederem fas esse, tam sacris colloquijs admiscere quicquam ex prophanis autoribus, proponerem et ipse quiddam quod hodie legentem me non torsit, sed vnice delectauit.

EVSEBIVS. Imo prophanum dici non debet, quicquid pium est, et ad bonos mores conducens. Sacris quidem literis vbique prima debetur autoritas; sed tamen ego nonnunquam offendo quaedam vel dicta a veteribus, vel scripta ab Ethnicis, etiam poetis, tam caste, tam sancte, tam diuinitus, vt mihi non possim persuadere, quin pectus illorum, cum illa scriberent, numen aliquod bonum agitauerit. Et fortasse latius se fundit Christi quam nos interpretamur. Et multi sunt in consortio sanctorum, qui non sunt apud nos in catalogo. ‡ De illis loquor nunc qui ante lucem Euangelij floruerunt, quique cum legem non haberent faciebant tamen quae essent legis.‡ Fateor affectum / (86v) meum apud amicos. Non possum legere librum Ciceronis de Amicitia, de Officijs, de Tusculanis quaestionibus, de Senectute quin aliquoties exosculer codicem, ac venerer sanctissimum illud pectus, et cum illa scriberet afflatum caelesti numine. ‡ Nulla enim veritas est, non quae a veritatis spiritu emanarit.‡ Contra cum quosdam recentiores lego scribentes de Re Publica, de oeconomicis, de moribus disputant sane acrius, et scrupulosius; sed mouent frigidius. Cicero vero et Plato, et docent, et afficiunt. Quare ne verere, quicquid isthuc est pro

---

16-18 IF add.
19-20 de Senectute, de Amicitia, de Officijs, de Tusculanis quaestionibus IF mut. (1533,p.142) (ASD,p.251)
23-24 IF add.
24ss Contra quum hos quosdam recentiores lego de Repub. oenomica, aut ethica praecipientes, Deum immortalem, quam frigent prae illis, imo quam non uidentur sentire quod scribunt, ut ego citius patiar perire totum Scotum cum aliquot sui similibus, quam libros unius Ciceronis aut Plutarchi: non quod illos in totum damnem, sed quod ex his sentiam me reddi meliorem, quum ex illorum lectione surgam, nescio quomodo, frigidius affectus erga urtitutem, sed irritator ad contentionem. (1533,p.142) IF mut. (ASD,p.251)

ponere.

CHRYSOGLOTVS. Cum plerique libri M. Tullij, quos scripsit de philosophia, diuinitatis quiddam spirare videntur, tum illis quem senex scripsit de Senectute, plane mihi videtur κύκνειον ᾆσμα, quemadmodum Graecis in prouerbio. Eum relegi atque haec verba, quoniam prae caeteris arridebant edidici: "Quod si quis deus mihi largiatur, vt ex hac aetate repuerascerem, et in cunis vagiam, valde recusem; nec vero velim, quasi decurso spatio, a calce ad carceres reuocari. Quid enim habet haec vita commodi, quid non potius laboris? Sed non habeat sane, habet certe tamen aut satietatem, aut molestiam. Non libet enim mihi deplorare vitam, quod multi et hi docti, saepe fecerunt. Nec me vixisse poenitet, quo-
87r niam ita / vixi, vt frustra me natum non existimem. Et ex vita ista discedo, tanquam ex hospitio non tanquam e domo. Commorandi enim natura diuersorium nobis, non habitandi dedit. O praeclarum illum diem, quum ad illud animorum concilium, coetumque proficiscar, et quum ex hac turba et colluuione discedam". Hactenus Cato. Quid ab homine Christiano dici potuit sanctius? Vtinam talia essent inuicem quorundam Christianorum colloquia, quale fuit illud ethnici colloquium cum ethnicis adolescentibus.

EVSEBIVS. Iam aliquis causabitur colloquium esse confictum a Cicerone.

CHRYSOGLOTVS. Isthuc mea non magni refert, siue hoc laudis tribuatur Catoni, qui talia senserit dixeritque, siue Ciceroni, cuius animus sententias tam diuinas cogitatione complexus sit, cuius calamus res egregias pari facundia depinxerit. Quanquam equidem arbitror et Catonem, etiamsi non dixit eadem, tamen similia dicere solitum in colloquijs. Nec enim tam impudens erat M. Tullius, vt alium Catonem finxerit, quam fuerit, et in dialogo parum meminerit decori, quod in primis spectandum est in hoc scripti genere, praesertim quum eius viri memoria recens adhuc haeret animis eius aetatis hominum.

THEODIDACTVS. Vehementer probabile est, quod narras. Sed
(87v) dicam, quid mihi ve/nerit in mentem, te recitante. Saepenumero mecum admiratus sum, cum omnes optent longaeuitatem, et mortem exhorreant, tamen vix quemquam compererim tam felicem, non dico sene, sed profectioris aetatis hominem, quin rogatus

---

4 de senectute
20-21 colloquia Monachorum omnia, uel cum sacris uirginibus IF mut. (1533,p.143)(ASD,p.252)

an si detur velit repuerascere, vsurus per omnia ijsdem bonis ac malis, quae illi iam contigissent in vita, responderit idem quod Cato dicit, praesertim si recolat animo quicquid annis retroactis seu triste, seu laetum obtigisset. Nam frequenter et suauium rerum recordatio, vel cum pudore, vel cum conscientiae molestia coniuncta est, vt animus ab his etiam recolendis non minus abhorreat quam a tristibus. Id opinor nobis indicarunt sapientissimi poetae, qui scribunt tum demum animas capi desiderio corporum relictorum, postea quam ex amne Lethaeo longa biberint obliuia.

VRANIVS. Est isthuc profecto dignum admiratione, et mihi quoque compertum in compertum in nonnullis. Verum illud quam mihi blandiebatur: "Nec me vixisse poenitet". At quotusquisque Christianorum sic moderatur vitam suam, vt huius senis vocem sibi possit vsurpare? Vulgus hominum existimat se non frustra vixisse, si per fas, nefasque congestas diuitias relinquant morientes. At Cato ideo non putat se frustra natum, quod in-
88r tegrum et sanctum ciuem praestiterit rei-/publicae quod incorruptum magistratum, quod posteritati quoque virtutis et industriae suae monumenta reliquerit. Iam illo quid dici potuit diuinius! "Discedo tanquam ex hospitio, non tanquam e domo". Hospitio tantisper vti licet, donec hospes iubet exire. E domo sua nullus facile pellitur. Et tamen hinc tuoque saepenumero propellit vel ruina, vel incendium, vel alius casus quispiam. Vt horum nihil accidat tamen senio collabens aedificium admonet esse demigrandum.

NEPHALIVS. Non minus elegans est, quod apud Platonem loquitur Socrates: animam humanam in hoc corpore velut in praesidio positam esse, vnde fas non sit decedere iniussu imperatoris, nec diutius in eo commorari, quam visum sit ei, qui collocauit. Illud significantius est in Platone, quod pro domo dixerit praesidium. Siquidem in domo tantum commoramur in praesidio destinati sumus functioni, quam nobis delegauit Imperator noster, non abludens a nostris literis, quae vitam hominis nunc militiam, nunc certamen esse dicunt.

VRANIVS. At mihi quidem oratio Catonis pulchre congruere videtur cum oratione Pauli, qui scribens Corinthijs, coelestem mansionem, quam expectamus post hanc vitam, οἰκίαν vocat, et οἰκητήριον , hoc est domum siue domicilium. Caeterum hoc

---

18 reipub.
20 qui emendatum est in erratis.

(88v) corpusculum appellat tabernaculum, Graece σκῆνος . "Nam / et qui sumus, inquit, in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati".

NEPHALIVS. Nec abludit a sermone Petri: "Iustum autem, inquit, arbitror,quamdiu sim in hoc tabernaculo, suscitare vos in commotione; certus, quod velox est depositio tabernaculi mei". Quid autem aliud clamat nobis Christus, quam vt sic viuamus ac vigilemus, tanquam illico morituri; sic incumbamus honestis rebus, tanquam semper victuri? Iam illud cum audimus: "O praeclarum diem": nonne videmur audire Paulum ipsum loquentem: "Cupio dissolui, et esse cum Christo"?

CHRYSOGLOTVS. Quam felices sunt, qui tali animo mortem expectant. Sed in oratione Catonis, quanquam praeclara est, tamen fiduciam aliquis taxare posset, vt ab arrogantia profectam, quam multum oportet abesse ab homine Christiano. Proinde mihi nihil vnquam legisse videor apud ethnicos, quod aptius quadret in hominem vere Christianum, quam quod Socrates paulo post bibiturus cicutam, dixit Critoni: "An opera, inquit, nostra sit probaturus deus, nescio. Certe sedulo conati sumus, vt illi placeremus. Est mihi tamen bona spes, quod ille conatus nostros sit boni consulturus". Vir ille sic diffidit factis suis, vt tamen ob animi propensam voluntatem obtemperandi voluntati diuinae bonam spem conceperit fore, vt / 89r deus pro sua bonitate boni consulturus esset, quod studuisset bene viuere.

NEPHALIVS. Profecto mirandus animus in eo, qui Christus ac sacras literas non nouerat. Proinde cum huiusmodi quidam lego de talibus viris, vix mihi tempero, quin dicam: sancte Socrates, ora pro nobis; certe si veteres illi idola non coluissent, et gloriam incorruptibilis Dei, imagine corruptibilis hominis, volucrum quadrupedum, ac serpentum non mutassent; sique vt de Socratis sententia, ita de caecerorum in extrema rerum omnium linea constaret, et Maronis et Flacci animae bene ominaret. At ego quot vidi Christianos quam frigide morientes. Quidam fidunt his rebus, quibus non est fidendum, quidam ob conscientiam scelerum et scrupulos, quibus indocti quidam obstrepunt morituro, pene desperantes exhalant animam. (...)

---

18 Deus
23 Deus
27 Sancte
28-33 CH. At ipse mihi saepenumero non tempero, quin bene omi
per sanctae animae Maronis et Flacci. NE.(1533,p.146)
IF mut.(ASD,p.254)
37 CH. Nec mirum eos sic mori, qui per omnem uitam tantum phi-

EVSEBIVS. Pie tu quidem ista vereque concionaris, sed interim nullus admouet manum cibis. Caueat quisque ne se fallat. Ego praedixi, nihil expectandum praeter secundas mensas, easque rusticanas, ne quis sibi promittat Phasides aues, at attagenas, aut attica bellaria. Haec amoueto, puer, et quod restat apponito. Videtis non copiae, sed inopiae nostrae cornu. Hic est prouentus hortulorum, quos vidistis. Ne parcite, si quid arridet.

(89v) TIMOTHEVS. Tanta varietas est, vel ipso recree/mur aspectu.

EVSEBIVS. Atqui ne plane contemnatis frugalitatem meam, haec patina exhilarasset Hilarionem monachum Euangelicum, comitatum vel centum monachis illius seculi. Paulo vero atque Antonio, vel menstruus commeatus esse potuisset.

TIMOTHEVS. Imo nec Petrus ille princeps Apostolorum fastidisset opinor, quum apud Simonem coriarium diuersaretur.

---

losophati sunt in ceremonijs.
NE. Quid isthuc uerbi est?
CH. Dicam, sed illud etiam atque etiam praefatus, me non damnare, imo uehementer probare sacramenta et ritus ecclesiae, sed quosdam uel improbos, uel superstitiosos, uel, ut mollissime dicam, simplices et indoctos, qui docent populum hisce rebus fidere, praetermissis his quae nos uere reddunt Christianos.
NE. Nondum satis intelligo, quorsum eas.
CH. Faxo ut intelligas. Si uulgus Christianorum spectes, nonne prora et puppis uitae illis in ceremonijs est? In baptismo quanta religione repraesentantur prisci ritus ecclesiae? Commoratur infans extra fores templi, peragitur exorcismus, peragitur catechismus, suscipiuntur uota, abiuratur satanas cum pompis et uoluptatibus suis: tandem ungitur, consignatur, salitur, tingitur: datur negocium susceptoribus, ut puerum curent instituendum. Illi dato numero redimunt libertatem. Et iam puer Christianus dicitur, et est aliquo modo. Mox rursus ungitur, tandem discit confiteri, sumit Eucharistiam, consuescit quiescere diebus festis, audire sacrum, ieiunare nonnnunquam, abstinere a carnibus. Et haec si seruat, habetur absolute Christianus. Ducit uxorem, accedit aliud sacramentum: initiatur sacris, rursus ungitur et consecratur, mutatur uestis, dicuntur preces. Atque haec quidem omnia quod fiunt probo: sed quod haec fiunt magis ex consuetudine quam ex animo, non probo: quod nihil aliud adhibetur ad Christianismum uehementer improbo. Siquidem magna pars hominum dum his fidit, nihilo secius interim perfas nefasque congerit opes, seruit irae, seruit libidini, seruit liuori, seruit ambitioni: sic tandem uenitur ad mortem.Hic rursus ceremoniae paratae. Adhibetur confessio semel atque iterum, additur unctio, datur Eucharistia, adsunt cerei sacri, adest crux, adest aqua sacra, adhibentur indulgentiae, expromitur aut illic etiam emitur morienti diploma Pontificis, ordinantur parentalia magnifice celebranda, fit rursus stipulatio solemnis, adest qui clamet ad aurem morientis, imo nonnunquam occidit ante tempus, si contingat, ut saepe fit, uocalior, aut bene potus. Haec ut recte adhibentur,

EUSEBIVS. Imo nec Paulus opinor, cum coactus egestate sutoriam nocturnis horis exerceret.

TIMOTHEVS. Debemus benignitati diuinae. Sed malim esurire cum Petro ac Paulo, modo quod deesset corporis alimoniae, abundaret in delicias animi.

EUSEBIVS. Imo discamus a Paulo"et abundare, et penuriam pati". Quum deerit, gratias agamus Iesu Christo, qui nobis suppeditet et frugalitatis et patientiae materiam. Quum supererit, gratias agamus illius munificentiae, qui nos sua liberalitate prouocet ad amorem sui, ac modice parcemus fruentes ijs, quae largiter praebuit diuina benignitas, pauperum memores simus, quibus Deus adesse voluit, quod nobis superest, vt vtriusque per alteros sit occasio virtutis. Siquidem nobis largitur, vnde subuenientes egestati fraternae, misericordiam recreati, gratias agant Deo pro bona mente nostra, nosque precibus suis
90r illi commendent. / Et recte venit in mentem. Haus, puer, dic vxori, vt ex assis quae supererant, mittat Gudulae nostrae. Est vicina quaedam grauida, tenui fortuna, sed animo beatissima. Maritus nuper decessit, homo profusus, et ignauus, qui nihil vxori reliquit, praeter liberorum gregem.

TIMOTHEVS. Christus iussit dare omni petenti, id si facerem, intra mensem ipsi mihi mendicandum esset.

EVSEBIVS. Opinor Christum sentire de his, qui petunt necessaria. Nam qui petunt, imo qui flagitant, vel extorquent potius magnas summas, quibus extruant coenationes Lucullianas, aut quod peius est, quibus alant luxum ac libidinem suam, ijs negare quod petunt, eleemosyna est; imo rapina est, largiri male vsuris, quod debebatur praesenti necessitati proximi. (...)

---

praesertim quae nobis tradidit ecclesiastica consuetudo: ita sunt alia quaedam reconditiora, quae nobis hoc praestant, ut cum alacritate spiritus, ut cum Christiana fiducia migremus hinc. (1533, p.146-148) IF om. (ASD,p. 254-255)

3 Sed ego malim (1533,p.148) IF mut. (ASD,p. 256)
5 dilicias
29 Vnde mihi uidentur uix excusari posse a peccato capitali, qui sumptibus immodicis aut extruunt, aut ornant monasteria seu templa, quum interim tot uiua Christi templa fame pericli tentur, nuditate horreant, rerumque necessarium inopia discrutientur. Quum essem apud Britannos, uidi tumbam diui Thomas gemmis innumeris summique precij onustam, praeter alia miracula diuitiarum. Ego malim ista quae superflua sunt, elargiri in usus pauperum, quam seruare satrapis aliquando semel omnia direpturis, ac tumbam ornare frondibus ac flosculis, id opinor gratius esset illi sanctissimo uiro. Quum essem apud Insubres, uidi monasterium quoddam ordinis Cartusiani non ita

TIMOTHEVS. An non putas recte collocari, quod datur monasterijs?

EVSEBIVS. Et his darem nonnihil, si diues essem, sed darem ad necessitatem, non ad luxum, tum his, inter quos sentirem vigere studium verae religionis.

TIMOTHEVS. Multi iudicant non admodum belle collocari, quod datur istis mendicis publicis.

EVSEBIVS. Et istis nonnihil dandum est aliquando, sed cum delectu. At mihi consultum videatur, si singulae ciuitates, suos alerent, nec ferrentur errones, huc et illuc circuncursantes, praesertim validi quibus opus suppeditandum sen
(90v) tio potius quam / pecuniam.

TIMOTHEVS. Quibus igitur potissimum dandum censes, quantum et quatenus?

EUSEBIVS. Hoc mihi ad vnguem describere difficillimum sit. Primum animum adesse oportet, qui cupiat omnibus subuenire. Deinde pro mea tenuitate quod possum impartio, quoties sese offert occasio, praesertim his quorum et paupertas, et integritas mihi nota est. Hortor et alios beneficientiam, si me defecerit facultates.

---

procul a Papia. In eo templum est intus ac foris, ab imo usque ad summam candido marmore constructum, et fere quicquid inest rerum, marmoreum est, uelut altaria, columnae, tumbae. Quorsum autem attinebat tantum pecuniarum effundere, ut pauci monachi solitarij canerent in templo marmoreo, quibus ipsis templum hoc oneri est, non usui, quod frequenter infestentur ab hospitibus, qui non ob aliud eo se conferunt, nisi ut spectent templum illud marmoreum. Atque illic cognoui, quod stultius est, illis legata in singulos annos tria milia ducatorum in structuram monasterij. Et sunt, qui putent esse nephas, eam pecuniam in pios usus auertere,praeter mentem testatoris: maluntque demoliri quod instaurent, quam non aedificare. Haec quoniam insignia sunt, uisum est commemorare, quanquam sunt passim in templis nostris exempla permulta similia. Haec mihi uidetur ambitio, non eleemosyna. Diuites ambiunt sibi monumentum in templis, in quibus olim nec diuis locus erat. Curant se sculpendos ac pingendos, additis etiam nominibus ac beneficij titulo. Atque hisce rebus bonam templi partem occupant, olim opinor postulari, ut ipsorum cadauera in ipsis reponantur altaribus. Dicet aliquis, An horum munificentiam existimas reijciendam? Nequaquam, si templo dei dignum sit, quod offerunt. Sed ego si sacerdos aut episcopus essem, hortarer crassos illos aulicos, aut negociatores, ut uellent sua peccata redimere apud Deum, ista clanculum effunderent in subsidium eorum, qui uere pauperes sunt. Isti putant perire pecuniam, quae sic frustulatim et clanculum in praesentem egestatem tenuium subleuandum dissipatur, cuius nullum extet apud posteros monumentum. Ego puto nullam melius collocari ea, quam ipse Christus sibi uult imputari, certissimus debitor. (1533,p.149-151) IF om.(ASD,p.257-258)

15 difficilimum

TIMOTHEVS. Sed permittisne nobis hic in tuo regno libere loqui?

EVSEBIVS. Imo liberius quam si domi vestrae sitis.

TIMOTHEVS. Non probas in templis sumptus immodicos, et has aedes multo minoris aedificare poteras.

EVSEBIVS. Equidem arbitror has intra mundiciem consistere, aut si mauis elegantiam, certe absunt a luxu, ni fallor. Aedificant magnificentius, qui mendicato viuunt. Et tamen hi ipsi horti mei, quales quales sunt, vectigal pendunt egenis. Et quotidie sumptibus aliquid detraho, in me meosque frugalior, quo possim esse in pauperes munificentior.

TIMOTHEVS. Si istum animum obtinerent omnes, permulti melius haberent, quos nunc egestas grauat indignos, et ex aduerso multi minus essent obesi, digni quos egestas doceat sobrietatem ac modestiam.

EVSEBIVS. Fortasse sic res habet, sed vultisne, vt haec insipida bellaria re quapiam suaui condiamus?

91r TIMOTHEVS. Plus satis est / deliciarum.

EVSEBIVS. At ego hinc depromam, quod ne saturi quidem fastidiatis.

TIMOTHEVS. Quid est?

EVSEBIVS. Codex est Euangeliorum, vt quod lautissimum habeo, vobis depromam in fine conuiuij. Recita, puer, ab eo loco, vbi proxime destitisti.

PVER. "Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odio habebit, et alterum diliget, aut vnum sustinebit et alterum contemnet. Non potestis Deo seruire et mommonae. Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animae vestrae quid manducetis, neque corpori quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plusquam vestimentum?"

EVSEBIVS. Redde codicem. In hoc loco mihi Iesus Christus videtur bis idem dixisse. Etenim si pro eo quod prius dixit "odio habebit", mox ponit "contemnet", et pro eo quod prius posuerat "diliget", mox vertit "sustinebit", commutatis personis, existit eadem sententia.

TIMOTHEVS. Non satis assequor quid velis.

EVSEBIVS. Demonstremus igitur ratione mathematica, si videtur. In priore parte pro vno pone A, pro altero B. Rursus in posteriore pro vno pone B, pro altero A, verso ordine. Aut enim A odio habebit et B diliget, aut B sustinebit et A contemnet. Nonne hic palam est, A bis odio haberi, et B bis diligi?

TIMOTHEVS. Perspicuum est.

EVSEBIVS. Atqui haec coniunctio, aut praesertim repetita,
(91v) hanc emphasim / sententiae contrariae, aut certe diuersae. Alioqui nonne absurde diceretur: Aut Petrus me vincet, et ego cedam, aut ego cedam, et Petrus me vincet?

TIMOTHEVS. Lepidum, ita me Deus amet, sophisma.

EVSEBIVS. At tum demum mihi videbitur lepidum, si hoc ex vobis didicero.

TIMOTHEVS. Animus somniat, ac parturit mihi nescio quid, si iubetis, quicquid est proferam in medium; vos eritis vel oniropoli vel obstetrices.

EVSEBIVS. Quanquam vulgo mali omnis habetur somniorum meminisse in conuiuio, et parum sit verecundum, coram tot viris foetum eniti, tamen nos istud somnium, siue mauis partum animi qui libenter excipiemus.

TIMOTHEVS. Mihi videtur in hoc sermone res commutari potius quam persona. Et hanc vocem 'vnum' non referri ad A et B, sed vtraque pars refertur ad vtrumlibet, vt vtrumcunque delegeris, ei iam opponatur, quod significatur per alterum. Quasi dicas: Aut excludes A, et admittes B, aut admittes A, et excludes B. Hic videtis manente persona, rem esse translatam. Atque hoc ita est de A, vtnihil referat, si idem enuncies de B, hoc pacto: aut B excludas et amittas A, vt admittis B et excludis A.

EVSEBIVS. Sane argute te quidem problema nobis explicasti, neque quisquam mathematicus melius depinxisset in puluere.

92r SOPHRONIVS. Illud me magis mouet, quod hic prohibet esse solicitos decrastino, quum Paulus ipse laborarit manibus victus parandi causa, atque idem acriter increpet ociosos et ex alieno viuere gaudentes, admonens vt laborent, ac manibus operentur, quod bonum est, vt sit vnde tribuant aliquid necessitatem patienti. An non pij sanctique labores sunt, quibus maritus tenuis alit vxorem sibi charissimam, dulcesque liberos?

TIMOTHEVS. Ista quaestio mea sententia varijs modis dissolui potest. Primum, vt ad illa tempora potissimum pertineat. Apostolis ob Euangelij praedicationem late vagantibus, eximenda erat solicitudo victus vndecunque suppeditandi, quibus non

---

17 **uocem** unum et unum non (1533,p.153) IF mut. (ASD,p.259)

vacabat opera manuaria cibum quaerere, praesertim cum nullam artem scirent, praeter piscationem. Nunc alia ratio temporum est, et ocium amplectimur omnes, laborem fugimus. Altera dissoluendi ratio est: Christus non interdixit industriam, sed solicitudinem. Et solicitudinem intellegit iuxta vulgarem hominum affectum, qui nulla re magis anxij sunt, quam de parando victu, vt omnibus rebus omissis, hoc solum agant, huic vni curae sint addicti. Id propemodum indicat ipse Dominus, cum negat eundem duobus dominis seruire posse. Seruit enim qui
(92v) toto pectore addictus est. / Praecipuam igitur curam vult esse Euangelij propagandi, non solam. Ait enim: "Primum quaerite regnum Dei, et haec adijcientur vobis". Non dicit solum quaerite, sed primum quaerite. Caeterum in voce 'crastini' puto hyperbolem esse, quum significet in longinquum, qui mos est auaris huius mundi, vt posteris etiam anxie parent et quaerant.

EVSEBIVS. Accipimus tuam interpretationem. Sed quid sibi vult, quod ait: "Ne soliciti sitis animae vestrae, quid edatis"? Corpus veste tegitur. At non edit anima.

TIMOTHEVS. 'Animam', vt opinor, hic 'vitam' appellat. Ea periclitatur, si cibum subduxeris. Non item, si vestem detraxeris, quae magis datur pudori, quam necessitati. Et si quem affligit nuditas, non statim occidit. At inedia certissima mors est.

EVLALIVS. Non satis video, quomodo cohaereat cum hac sententia, quod adiecit: "Nonne anima plus est, quam esca? et corpus plus quam vestimentum?" Nam si vita magni precij est tanto magis aduigilandum ne pereat. Hoc argumentum non adimit nobis solicitudinem, sed auget.

EUSEBIVS. At non hoc sensit Christus, quod interpretatis sed hoc argumento nobis addit fiduciam de patre. Si pater benignus gratis et de suo dedit id quod carius est, etiam adij-
93r ciet id quod vilius est. Qui dedit animam, non ne/gabit alimoniam. Qui dedit corpus, adijciet aliunde vestem. Illius igitur benignitate freti, non est quod discrutiemur solicitudine curaque rerum infimarum. Quid igitur superest, nisi vt vtentes hoc mundo tanquam non vtamur, totam curam ac studium nostrum transferamus in amorem coelestium, atque reiecto mammona, imo toto Satana cum omnibus suis praestigijs, vni Domino toto et alacri pectore seruiamus, qui non destituet filios suos. Sed interim nullus attingit bellaria. His certe cum gaudio vesci

---

9 dominus
31-32 adijcit
33 alicunde (1533,p.155) IF mut. (ASD,p.261)

licet, quae non magna cura nobis domi proueniunt.

TIMOTHEVS. Abunde satis factum est corpusculo.

EVSEBIVS. Vellem quidem et animo.

TIMOTHEVS. Atque vberius etiam animo.

EVSEBIVS. Haec igitur tolle, puer, ac labrum apponè. Lauemus amici, vt si quid forte commissum est in hoc conuiuio, purgati canamus hymnum Deo. Perficiam, si videtur, quod cepe ram ex Chrysostomo.

TIMOTHEVS. Rogamus.

EVSEBIVS. "Gloria tibi, Domine, gloria tibi sancte, gloria tibi rex, quoniam dedisti nobis escas, implesque gaudio et laetitia in Spiritu Sancto, vt inueniamur in conspectu tuo acceptabiles, nec pudefiamus, quando reddes vnicuique secundum opera sua".

PVER. Amen.

TIMOTHEVS. Profecto pius et elegans est hymnus.

(93v) EVSEBIVS. Hunc diuus Chrysostomus non de/dignatur etiam interpretari.

TIMOTHEVS. Quonam loco?

EVSEBIVS. In Matthaeum homilia 56.

TIMOTHEVS. Non omittam, quin hodie legam. Sed illud vnum interim ex te cupio discere, cur ter optamus Christo gloriam, idque triplici cognomine, Domini, sancti et regis?

EVSEBIVS. Quoniam illi debetur omnis gloria, sed nobis triplici nomine potissimum est glorificandus, quod suo sacrosancto sanguine redemerit nos a tyrannide diaboli, sibique asseuerit, vnde et Dominum illum vocamus. Deinde, quod non contentus gratis condonasse nobis omnia peccata, per spiritum suum contulit nobis et iustitiam suam, vt sectemur ea, quae sunt sanctimoniae. Atque ob id sanctum eum vocamus, quod sit sanctificator omnium. Postremo, quod ab eodem speramus praemium regni coelistis, vbi ille iam sedet ad dexteram Dei patris atque hinc nobis rex dicitur. Atque hanc totam felicitatem illius erga nos gratuitae bonitati debemus, quod pro domino vel tyranno potius diabolo, dominum habemus Iesum Christum pro immundicia et sordibus peccatorum, innocentiam ac sanctimoniam, pro gehenna, gaudia vitae coelestis.

---

10 domine
11 imple nos (1533,p.156) IF mut. (ASD,p.261)
12 spiritu sancto
23 domini

TIMOTHEVS. Pia profecto sententia.

EUSEBIVS. Quoniam nunc primum vos hic accepi conuiuio, non
94r demittam vos absque xenijs sed talibus, qualis fuit / apparatus. Heus puer, profer apophoreta nostra. Siue sortiri placet, siue sibi quisque malit deligere, minimum refert, eiusdem fere precij sunt omnia, hoc est, nullius. Non enim sunt sortes Heliogabali, vt huic obueniant equi centum, illi totidem muscae. Sunt libelli quatuor, horologia duo, lucerna, et theca cum calamis Memphiticis. Haec arbitror magis conuenire vobis, quam opobalsamum aut dentrificum, aut speculum, si vos noui satis.

TIMOTHEVS. Adeo bella sunt omnia, vt nobis difficilis sit electio. Ipse magis pro tuo arbitratu distribuito, sic gratius etiam quicquid obtigerit.

EUSEBIVS. Hic libellus in membranis habet Prouerbia Salomonis, sapientiam docet et auro pictus est, quod aurum habeat sapientiae symbolum. Hoc dabitur cano nostro, vt iuxta doctrinam Euangelicam, habenti sapientiam detur sapientia, et exuberet.

TIMOTHEVS. Certe curabitur, vt minus egeam.

EUSEBIVS. Sophronio congruet horologium huc ex extrema Dalmatia profectum, vt vel sic commendem munusculum meum. Noui enim quam ille sit parcus temporis quam nullam omnino portionem rei praeciosissimae sinat abire sine fructu.

SOPHRONIVS. Imo pigrum admones diligentiae.

EUSEBIVS. Hic libellus habet in membranis Euangelium secundum Matthaeum, gemma tegi merebatur, nisi nullum esset illi scrinium aut theca charior, quam pectus hominis. Illic igitur
(94v) recondito, Theophilo, / quo magis hoc sis, quod diceris.

THEOPHILVS. Efficiam ne prorsus male collocasse videaris tuum munus.

EUSEBIVS. Hic sunt epistolae Pauli, quas tu libenter tecum circunfers, Eulali, qui Paulum semper habere soleas in ore, nec haberes in ore, nisi esset in pectore. Post hac commodius erit etiam in manibus, oculisque.

EVLALIVS. Istud non est dare munus, sed dare consilium. Porro bono consilio nullum est munus preciosius.

EUSEBIVS. Lucernulla conueniet Chrysoglotto agnostae insa

---

2 conuiuo
14 prouerbia
15-16 aurum habeat sapientiae symbolum. Hoc dabitur additum est in erratis

tiabili, et vt M. Tullius inquit, librorum helluoni maximo.

CHRYSOGLOTTVS. Bis habeo gratiam. Primum pro munere, non vulgariter eleganti, deinde quod somniculosum admones vigilantiae.

EUSEBIVS.Theca calamaria debetur Thaeodidacto, felicissime πολυγράφῳ . Atque calamos ego felicissimos esse iudico, quibus celebrabitur gloria Domini nostri Iesu Christi, tali praesertim artifice.

THEODIDACTVS. Vtinam et pectus suppeditare possis, quemadmodum suppeditas instrumenta.

EVSEBIVS. Hic codex habet aliquot Plutarchi libellos de moribus, sed selectos, et a quodam Graecae literaturae peritissimo non inscite descriptos, in quibus tantum reperio sanctimoniae, vt mihi prodigio simile videatur, in pectus hominis ethnici tam Euangelicas potuisse venire cogitationes. Hic da-
95r bitur Vranio iuueni et φιλέλληνι /. Superest horologium. Id cedat nostro Nephalio, parcissimo temporis dispensatori.

NEPHALIVS. Habemus gratiam non solum munusculis, verum etiam pro testimonijs. Nam isthuc non tam est distribuere xenia quam elogia.

EVSEBIVS. Imo ego vobis habeo gratiam duplici nomine. Primum quod nostram exilitatem boni consulitis. Deinde, quod eruditis iuxta ac pijs sermonibus refecistis animum meum. Ego vos quomodo acceptos dimittam nescio. Certe ego vos relinquam melior ac doctior. Scio vobis non esse cordi fistulas aut moriones, ac multo minus aleam. Quare si videtur, fallemus horulam spectandis reliquis regiae meae miraculis.

TIMOTHEVS. Istud eramus abs te flagitaturi.

EUSEBIVS. Apud bonae fidei promissorem non est opus flagitatore. Hanc aulam aestiuam opinor vos iam satis contemplatos. Habet triplicem prospectum, et quoquo versum defectis oculos, occurrit viror hortorum gratissimus. Vitreis fenestris volubilibus, si videatur, licet excludere coelum, si nebulis aut ventis sit incommodius; licet et densis valuis foris admotis ac tenuibus intus excludere solem si quid offendat aestus. Hic cum prandeo, videor in horto prandere, non in domo. Nam et parietes virentes suos habent inspersos flosculos;
(95v) sunt et picturae non inuenustae. Hic Christus supre-/mam coenam

---

7 domini

agitat cum electis discipulis. Hic natalicia celebrat Herodes funesto conuiuio. Hic Euangelicus ille diues epulatur splendide, mox descensurus ad inferos. Lazarus repellitur a foribus, mox excipiendus sinu Abrahae.

TIMOTHEVS. Hoc argumentum non satis agnoscimus.

EVSEBIVS. Cleopatra est cum Antonio luxu decertans. Iam vnionem ebibit, alteri manum admonuit detractura. Hic pugnant Lapithae. Hic Alexander magnus hasta tansuerberat Clitum. Haec exempla nos admonent sobrietatis in conuiuio, et a crapula luxuque deterrent. Nunc adeamus bibliothecam, non illam quidem multis instructam libris, sed exquisitis.

TIMOTHEVS. Locus hic plane diuinitatem quandam prae se fert, adeo nitent omnia.

EUSEBIVS. Hic videte praecipuam partem opum mearum. Nam in mensam nihil vidistis, nisi vitreum ac staneum, nec est in tota domo vas vllum argenteum praeter vnum poculum inauratum, ob amorem eius qui dono dedit, religiose seruo. Haec sphaera pensilis totum orbem ponit ob oculos. Hic in parietibus singulae regiones fusiore spatio depictae sunt. In reliquis parietibus videtis insignium autorum imagines. Nam omneis depingere fuerat infinitum.Christus primum habet locum, porrecta manu sedens in monte. Capiti imminet pater, dicens: "Ipsum audite". Spiritus Sanctus expansis alis multa luce comple/ctitur illum. 96r

TIMOTHEVS. Opus,ita me Deus bene amet, Apelle dignum.

EVSEBIVS. Adiunctum est bibliothecae museion quoddam angustum, sed elegans quod sumota tabula ostendit foculum, si quid offenderit frigus. In aestate videtur solidus paries.

TIMOTHEVS. Hic mihi gemmea videntur omnia. Est et mira odoris gratia.

EVSEBIVS. Hoc mihi praecipue studio est, vt niteat domus et bene oleat. Vtraque res minimo constat. Habet bibliotheca suum ambulacrum pensile spectans in hortum, et huic adhaeret sacellum.

TIMOTHEVS. Locus numine dignus.

EVSEBIVS. Nunc adeamus illa tria ambulacra, quae imminent his, quae vidistis ad hortum domesticum spectantia. In his superioribus vtroque profectus est, sed per fenestras, quod possunt occludi, praesertim in his parietibus, qui non spectant

---

23 sanctus
26 Bibliothecae museon

hortum interiorem, quo domus sit tutior. Hic ad laeuam, quia plus est lucis et paries raris fenestris interruptus, ordine devicta est tota vita Iesu ex narratione quatuor Euangelistarum, vsque admissum Spiritum Sanctum, et primam praedicationem apostolorum ex Actis. Additae sunt et locis notae, vt agnoscat spectator iuxta quod stagnum, aut in quo monte res gesta sit. Additi sunt tituli, paucis verbis subnotantes totum argumentum, velut illud quod dicitur a Iesu: "Volo, mundare". Ex aduerso respondent figurae, et vaticinia Veteris Testamenti, / praesertim e prophetis et Psalmis, qui nihil aliud (96v) habent quam Christi vitam et apostolorum, aliter narratam. Hic nonnunquam obambulo mecum fabulans, et animo contemplans illud ineffabili consilium Dei, quo per filium suum restituere voluit genus humanum. Nonnunquam adest vxor comes, aut amicus quispiam, qui rebus pijs delectetur.

TIMOTHEVS. In hac domo cui posset obrepere taedium?

EVSEBIVS. Nulli qui didicerit secum viuere. In summa ora picturae, velut extra ordinem, addita sunt capita Pontificum Romanorum cum suis titulis. Ex aduerso capita Caesarum ob memoriam historiae. In vtroque cornu prominet pensile cubiculum, vbi liceat interquiescere, et vnde spectare licet pomarium et auiculas nostras. Hic in extremo angulo prati videtis aliud aedificium, vbi coenamus nonnunquam aestiuis mensibus, et vbi curatur, si quem forte e familiaribus corripuerit morbus contagium formidabilis.

TIMOTHEVS. Quidam regant huiusmodi morbos esse vitandos.

EUSEBIVS. Cur ergo vitant foueam aut venenum? An hoc minus timent,qnia non vident? Nec basilisci venenum videtur, quod afflat oculis. Vbi res poscat, non dubitem pro necessarijs venire in vitae discrimen. Sine causa subire vitae periculum temeritas est; alios in vitae periculum / adducere, crudelitas. (97r) Sunt et alia quaedam non iniucunda spectatu. Ea mandabo vxori, vt ostendat. Manere hic vel totum triduum et hanc domum putate esse vestram. Pascite oculos, pascite animos. Nam me negotia quaedam alio vocant. Est equitandum in pagos aliquot vicinos.

TIMOTHEVS. Ob rem pecuniariam?

EUSEBIVS. Ego tales amicos non relinquerem pecuniae gratia.

---

4 spiritum sanctum
9-10 veteris testamenti
10 prophetis et psalmis
32 iniocunda

TIMOTHEVS. Fortassis venatio parata est alicubi.

EVSEBIVS. Plane venatio est, sed aliud venor quam apros aut ceruos.

TIMOTHEVS. Quid igitur?

EUSEBIVS. Dicam. In vno pago decumbit amicus quidam non sine periculo vitae. Nam corpori metuit medicus. Ego magis metuo animae illius. Nam mihi videtur parum recte compositus ad emigrandum, sicut dignum est Christiano. Huic adero meis hortatibus, vt siue moriatur, siue reualescat, homo ipsius fiat. In altero dissidium acer natum est inter duos, non malos quidem illos, sed tamen peruicacis ingenij viros. Quod si exasperetur vereor ne plures secum trahat in consortium simultatis. Adnitar totis viribus, vt hos redigam in gratiam. Nam vt ipse sum veteri necessitudine iunctus. Haec sunt quae venor. Quod si venatio successerit ex animi sententia, simul hic celebrabimus ἐπινίκιαν.

TIMOTHEVS. Pia venatio; precamur tibi pro Delia Christus aspiret.

(97v) EUSEBIVS. Hanc prae/dam ego malim, quam obuenire mihi haereditate bis mille ducatos.

TIMOTHEVS. Mox rediturus?

EVSEBIVS. Non, nisi tentatis omnibus. Quare certum tempus non possum praescribere. Vos interim meis perinde ac vestris fruamini et valete.

TIMOTHEVS. Dominus Iesus te feliciter deducat ac reducat.

‡Conuiuij religiosi finis‡

LB 689-692
ASD 267-273

POMPILIVS, BRASSICANVS
DE INCOMPARABILE HEROE IOANNE REVCHLINO

POMPILIVS. Vnde nobis petasatus?

BRASSICANVS. E Thubinga.

POMPILIVS. Nihilne isthic rei nouae?

BRASSICANVS. Equidem demiror vsque adeo mortales omneis teneri siti quadam rerum nouarum. Ego Louanij Camelum quendam audiui concionantem, fugiendum quicquid esset nouum.

POMPILIVS. Vocem Camelo dignam. Dignus erat homo, si tamen homo fuit, qui nunquam mutet veteres calceos, aut putre
98r subligar, / semper vescatur putribus ouis, nec aliud bibat, quam vappam.

---

9 ipsus
12 exaspetur
26 ⊥F add.
38 vapam

BRASSICANVS. At idem,ne sis inscius, non vsque adeo delectatur rebus veteribus, vt malit ius pridianum quam recens.

POMPILIVS. Sed omisso Camelo, dic si quid adfers noui.

BRASSICANVS. Adfero quidem, sed, vt ille aiebat, malum.

POMPILIVS. Atqui isthuc ipsum olim erit vetus. Ita fieri necesse est, vt si omnia vetera sint bona, omnia noua mala, quaecunque nunc bona sunt, fuerint olim mala, et quae nunc sunt mala, sint olim futura bona.

BRASSICANVS. Ita videtur iuxta decretum Cameli. Imo consequitur, vt qui olim dulescens fuit malus fatuus, quia recens, idem nunc sit bonus fatuus, quia senuit.

POMPILIVS. Sed age prome quicquid est.

BRASSICANVS. Egregius ille trilinguis eruditionis phoenix Ioannes Reuchlinus vita defunctus est.

POMPILIVS. Rem certam narras?

BRASSICANVS. Certiorem quam vellem.

POMPILIVS. Sed quid isthuc mali, relicta posteris honestissimi nominis immortali memoria ab huius vitae malis demigrare in consortium beatorum?

BRASSICANVS. Quis isthuc tibi indicauit?

POMPILIVS. Res pisa. Nec enim potest aliter mori qui sic vixit.

BRASSICANVS. At magis etiam isthuc diceres, si scias, quod ego.

POMPILIVS. Quidnam, obsecro?

BRASSICANVS. Non est fas referre.

POMPILIVS. Quam ob rem?

BRASSICANVS. Quia qui credidit, stipulatus est arcani silentium. /

(98v) POMPILIVS. Eadem lege committe et mihi. Recipio tibi silentium optima fide.

BRASSICANVS. Quanquam ista fides me iam saepenumero fefellit, tamen age committam, praesertim quum res sit eius generis, vt expediat etiam esse notam bonis omnibus. Est Thubingae quidam instituti Franciscani, vir omnibus habitus eximiae sanctimoniae, praeterquam ipsi.

POMPILIVS. Magnum dicis argumentum verae sanctimoniae.

BRASSICANVS. Agnosceres hominem, et fatereris verum, si nomen ederem.

POMPILIVS. Quid si diuinem?

---

40 aederem

BRASSICANVS. Licet.

POMPILIVS. Admoue aurem.

BRASSICANVS. Quid opus, quum simus soli?

POMPILIVS. Ita mos est.

BRASSICANVS. Is ipse est.

POMPILIVS. Est homo certissimae fidei. Mihi Sibyllae folium erit, quicquid ille dixerit.

BRASSICANVS. Audi igitur totum dialogum bona fide. Aegrotabant noster Reuchlinus, satis quidem periculose, sed ita vt bona spes esset fore, vt reualesceret, vir dignus qui nunquam senesceret, aegrotaret, aut moreretur. Mane visebam meum Franciscanum, vt animi mei molestiam oratione sua leniret. Nam aegrotabam vna cum aegrotante amico, quem amabam vt patrem

POMPILIVS. Phy, quis illum vsquam non amauit, nisi vir pessimus?

BRASSICANVS. Hic Franciscanus meus: Brassicane, inquit, emoue penitus ex animo moerorem omnem. Reuchlinus noster desijt aegrotare. Quid, inquam, / an subito reualuit? 99r Nam ante biduum non admodum laeta promittebant medici. Tum ille: Reualuit, inquit, sed ita, vt posthac non sit illi formidanda valetudo aduersa. Noli flere (nam videbat erumpentes lachrymas) priusquam audias rem omnem. Sex dies sunt, quod hominem non inuiseram, sed tamen quotidianis precibus illius salutem Domino commendabam. Hodierna nocte, quum mea matutinis hymnis in strato composuissem, blandus quidam minimeque grauis somnus obsepsit.

POMPILIVS. Nescio quid leti mihi presagit animus.

FRANCISCANVS. Non est tibi laeua mens. Visus sum mihi consistere ad ponticulum quendam, per quem transitus erat in pratum quoddam longe amoenissimum. Adeo blandiebatur oculis graminum et frondium plusquam smaragdinus viror, sic arridebant incredibili colorum varietate flosculorum stellulae, sic spirabant omnia, vt quod erat pratorum citra riuum quo dirimebatur felicissimus ille campus, nec viuere, nec virere videretur, sed mortua, inamoenia, putidaque omnia. Atque interim dum totus sum in eo spectaculo commodum praeterierat Reuchlinus.

---

17 Brasicane
24-25 domino
28 BR. Nescio

Praeteriens Hebraice precatus est pacem. Iam medium pontis transierat priusquam sentirem, parantem accurrere, respiciens vetuit: Nondum fas,inquit. Quinto ab hinc anno nos sequeris.
(99v) Interim / eorum quae aguntur, testis ac spectator assisto.

BRASSICANVS. Hic ego: nudus erat, inquam, Reuchlinus, an vestitus, solus an comitatus?

FRANSCANVS. Vestium nihil habebat, praeter vnam candidissimam, damascenam esse dixisses, candore mire lucido; pone sequebatur puer incredibili specie alatus. Suspicabar illius esse genium bonum.

POMPILIVS. Sed nullusne comitabatur genius malus?

BRASSICANVS. Imo aliquot, vt Franciscanus ille arbitrabatur. Procul, inquit, a tergo sequebantur aues aliquot, pennis caetera nigris, nisi quod explicatu alarum giluas verius, quam candidas plumas ostenderent. Picae, inquit, videri poterant colore et voce, nisi quod singulae sedecim picas aequarent magnitudine corporis, nihilo minores vulturibus, cristam gestantes vertice, rostris et vnguibus aduncis, ventre prominente. Harpyae videri poterant, si tres modo fuissent.

POMPILIVS. Quid moliebantur istae furiae?

BRASSICANVS. Procul, inquit, obstrebant heroi Reuchlino, et impetiturae videbantur si licuisset.

POMPILIVS. Qui minus licuit?

BRASSICANVS. Quia versus Reuchlinus obiecta manus crucis imaginem exprimens: Abite, inquit, quo dignum est, malae pestes. Satis sit vobis negotium facessere mortalibus. In me iam immortalibus adscriptum, nihil habet iuris vestra dementia.
100r Vix ea dixerat, inquit Franciscanus, mox abierant foe/dissimae volucres, sed relicto foetore, ad quem collatum oletum videri possetsansucinum, aut foliatum. Deierabat se citius, vel ad inferos descensurum quam sustineret iterum afflati tali thymiamate.

POMPILIVS. Male sit illis pestibus.

BRASSICANVS. Sed audi caetera quae narrauit mihi Franciscanus. Dum haec intentus contemplor, inquit, iam ponti vicinus erat diuus Hieronymus, qui Reuchlinum hisce verbis compellabat:Salue collega sanctissime, Datum est mihi negotium, vt te

---

1 praecatus
8 Damascenam; pene
28obierat

exceptum deducam in consortium coelitum, quod tuis sanctissimis laboribus destinauit diuina benignitas. Simulque vestem protulit, qua Reuchlinum induit. Tum ego: Dic, inquam, mihi, quo cultu,qua specie videbatur Hieronymus? Eratne tam senilis, quam illum pingunt, aut cucullam habebat, aut galerum ac pallium cardinalicium, aut leonem comitem? Ad haec ille: Nihil, inquit, istiusmodi. Species erat amoena hae sic aetatem testabatur, vt nihil haberet squaloris, dignitatis plurimum. Quorsum autem illic opus erat comite leone, quem illi pictores adiunxerunt? Vestem gerebat ad talos vsque demissam, crystallum diceres pellucidum. Eiusdem erat formae, quam Reuchlino tradidit. Tota vndique picta erat linguis triplici colorum varietate. Quaedam pyropum prae se ferebant, nonnullae smaragdum, tertiae saphirum ./ (100v) Pellucebant omnia, nec mediocrem gratiam addebat ordo.

POMPILIVS. Conijcio id fuisse insigne trium linguarum, quas calluerunt.

BRASSICANVS. Non est dubium. Nam et fimbriae trium linguarum literis, triplici colore distinctis, visebantur inscriptae.

POMPILIVS. Num incomitatus aderat Hieronymus?

BRASSICANVS. Incomitatus, inquis? Totus ille campus obsidebatur myriadibus geniorum, nec aliter oppleuerant aerem totum, quam videmus in solis radijs volitare minuta corpuscula, quae vocant ἄτομα , si tamen a re tam humili huc ducenda est comparatio. Neque coelum videre licuisset, neque campum, nisi pellucerent omnia.

POMPILIVS. Euge Reuchlino gratulor. Quid deinde factum est?

BRASSICANVS. Hieronymus, inquit, honoris gratia complexus dextrum Reuchlinum deduxit in medium pratum. Ibi collis erat in medio prominens. In huius vertice vterque alterum blando osculo complexus est. Atque interea vasto hiatu coelum superne diduxit sese, maiestatem quandam inenarrabilem exhibens, sic vt ad eam speciem caetera pene sorderent, quae tamen antea videbantur esse mirifica.

POMPILIVS. Non possis aliquam imaginem nobis depingere?

BRASSICANVS. Qui possim ego qui non vidi? Is qui vidit,

---

6 Cardinalitium
23 Geniorum

negauit se vllis vocibus vel somnium rei posse depingere.
101r Tantum hoc aiebat, se vel milies mori pa/ratum, si liceat iterum eo spectaculo quamlibet exiguo momento frui.

POMPILIVS. Qui tandem?

BRASSICANVS. Ex hiatu coeli demissa est ingens columna igne pellucido, sed amoeno, per eam in complexu duas sanctissimae animae subuectae sunt in coelum, choris angelicis tanta melodia delinientibus omnia, vt Franciscanus neget se vnquam eius voluptatis meminisse posse, quin erumpant lachrymae. Sequuta est mira fragantia. Vbi somnua reliquit hominem (si tamen ille somnus dicendus est) erat dementi similis, non credebat esse in cellula sua. Requirebat pontem ac pratum suum, nec aliud loqui, nec aliud cogitare poterat. Seniores eius collegae vbi senserunt rem non esse fabulosam (nam compertum est eadem hora terris excessisse Reuchlinum, qua visio viro illi sanctissimo apparuit) concordibus animis egerunt gratias Deo, qui benefacta piorum praemijs amplissimis remuneratur.

POMPILIVS. Quid igitur superest, nisi vt sanctissimi viri nomen inscribatur calendario sanctorum literis aureis prope diuum Hieronymum? Certe in meo larario stabit aureus inter diuos selectos, aut si suppetat facultas, gemmeus ponetur in bibliotheca Hieronymo proximus.

19ss calendario sanctorum?
BR. Id ego facturus eram, etiam si nihil tale uidisset Franciscanus: et quidem aureis literis proxime diuum Hieronymum.
PO. Emoriar nisi idem facturus sum in codice meo.
BR. Quin et in meo larario stabit aureus inter diuos selectos.
PO. Stabit et in meo uel gemmeus, si suppetat animo facultas.
BR. Ponetur in bibliotheca Hieronymo proximus.
PO. Addetur et meas.
BR. Imo si grati uolent esse, idem facient omnes, qui colunt et amant linguas ac bonas literas, praesertim sacras.
PO. Dignus est uidelicet. Sed nihil te mouet ille scrupulus, quod nondum relatus est in numerum diuorum autoritate Romani pontificis?
BR. Quis canonizauit (sic etiam uocant) diuum Hieronymum? quis Paulum? quis virginem matrem? Vtrorum memoria sanctior apud pios omnes, horum quos insignis pietas, quos ingenij uitaeque monumenta commendant affectibus omnium: an Catarinae Senensis, quam in diuarum numerum retulisse fertur Pius, eius nominis secundus, in gratiam ordinis et urbis?
PO. Vera praedicas. Ille demum uerus cultus est, qui sponte coelo dignis meritis defunctorum exhibetur, quorum beneficia perpetuo sentiuntur.
BR. Quid igitur, putas tu huius uiri mortem deplorandam? Diu uixit, si quid ea res facit ad felicitatem hominis. Reliquit nunquam intermoritura uirtutis suae monumenta. Benefactis consecrauit nomen suum immortalitati. Nunc exemptus malis, coelo

BRASSICANVS. Isthuc non licet priuata autoritate. Nemo enim inter diuos habendus est, quem non referat pontificis
(101v) maiestas. Idque / rectene interdum colamus in terris eos, quorum animae apud inferos cruciantur? Mariam, Paulum caeterosque antiquitatis diuos, quorum exemplo fiunt recentiores, vel ipsum Euangelium, vt ita dicam, canonizauit, vel publica Ecclesiae persuasio, cui tantum tribuit Augustinus, vt Euangelio non crederet, nisi propter Ecclesiam. Hoc ipsum imitantur hodie Petri successores, dum tanta cum diligentia diuorum faciunt apotheosin.

POMPILIVS. Fateor vera praedicas. Haec tamen tribuantur meis affectibus. Certe bona spes est, Capnionem viuere cum Christo. Erat vir bonus, ac de studijs optime meritus. Quo nomine non potuit non habere patronum diuum Hieronymum, qui tantopere linguarum studia prouexit in melius. Quare mihi temperare non possum, quin precatiunculam aliquam concinem; qua, vt moris est, sanctissimi herois memoriam celebrem, et meum apud Deum aduocatum statuam.

BRASSICANVS. Hoc dicis quod isti collectum appellant.

POMPILIVS. Scilicet.

BRASSICANVS. Hoc item non licet. Nec tam multum tuis affectibus in Reuchlinum tribuas. Bene sperare de hominum manibus pie licet; asseuerare autem alterutram partem non est ita libe

---

fruitur, et cum Hieronymo confabulatur.
PO. At multa passus est in uita.
BR. Sed plura passus est diuus Hieronymus. Felicitas est, ob bona pati a malis.
PO. Fateor certe, ob optima a pessimis multa perpessus est Hieronymus.
BR. Quod olim fecit satanas per scribas et phariseos in dominum Iesum, hoc et nunc facit per pharisaicos quosdam in optimos quosque uiros, ac de genere mortalium suis uigilijs bene merentes. Nunc ille metit optimam messem pro semente, quam fecit. Interim nostrae partes erunt, illius memoriam habere sacrosanctam, illius nomen ferre laudibus, ac subinde illum salutare uerbis huiusmodi. O sancta anima, sis felix linguis, sis felix linguarum cultoribus, faueto linguis sanctis, perdito malas linguas, infectas ueneno gehennae.
PO. Ita faciam, ac sedulo praedicabo caeteris ut idem faciant. At non dubito multos futuros, qui precatiunculam aliquam desiderent, quandoquidem hoc receptum, qua sanctissimi herois memoriam celebrent.
BR. Hoc dicis, quod isti collectam appellant?
PO. Scilicet.
BR. Hanc paraueram et ante mortem. (1533,p.168-170) IF mut. (ASD, p.272-273)

3 interri seos
16 precartiunculam
18 deum

rum. Collectam istam dicamus et pro nobis et pro Reuchlino. Nam hoc quod narrasti hactenus, somnium est, et si hominis
102r quidem / pij, est tamen somnium. Et fieri sane potest, vt si quid ad huc sordium inclyti viri anima retinet purgatorio igni
5 defecandum, nostris suffragijs Deus condonet, qui est benedictus in secula.

POMPILIVS. Pareo recta monenti.

BRASSICANVS. Recita igitur.

POMPILIVS. Amator humani generis Deus, qui donum linguarum quo quondam apostolos tuos ad Euangelij praedicationem,
10 per Spiritum Sanctum caelitus instruxeras, per Ioannem Reuchlinum mundo renouasti; ‡ da eidem famulo tuo Deus, iam inter angelorum linguas versari; da et nobis ‡ vt omnibus linguis omnes vbique praedicent gloriam filij tui Iesu, vt confundas
15 linguas pseudapostolorum, qui coniurati substruunt impiam turrim Babel, tuam gloriam obscurare conantes, dum tuam student attollere; quum vni tibi debeatur omnis gloria cum Iesu filio tuo, Domino nostro, et Spiritu Sancto in aeterna secula, Amen.

20 POMPILIVS. Elegans, profecto et pia precatio; dispeream nisi mihi quotidie dicetur. Et hunc occursum mihi felicem duco, qui rem tam laetam ex te didicerim.

BRASSICANVS. Isto gaudio diu fruere, ac vale.

POMPILIVS. Vale tu quoque.

25 BRASSICANVS. Valebo, sed non coquus.

LB
692-697
ASD
277-288

PROCI ET PVELLAE

PAMPHILVS. Salue crudelis, salue ferrea, salue adamantina.

MARIA. Salue tandem et tu Pamphile, quoties et quantum
30 voles, et quocunque libet nomine. Sed interim mihi, videris
(102v) oblitus nominis mei, / Maria vocor.

PAMPHILVS. At Martiam dici oportuit.

MARIA. Quid ita quaeso? Quid mihi cum Marte?

PAMPHILVS. Quia quemadmodum illi deo pro ludo est homi-
35 nes interficere, ita et tibi, nisi quod tu crudelior occidis etiam amantem.

---

5 sufflagijs
11 Sanctum
12-13 IF add.
30 volles
35 crudilior

MARIA. Bona verba. Vbinam strages ista mortalium, quos ego occidi? Vbi sanguis interfectorum?

PAMPHILVS. Vnum cadauer vides examine, si modo vides.

MARIA. Quid ego audio? Mortus loqueris et obambulas? Vtinam mihi nunquam occurrant vmbrae formidabiliores.

PAMPHILVS. Ludis tu quidem tamen interim miserum examinas, et crudelius occidis, quam si confoderes telo. Nunc longo cruciatu excarniscor miser.

MARIA. Eho dic, quot grauidae ad tuum occursum abortierunt?

PAMPHILVS. Atqui pallor arguit exanguem, magis quam vllas sit vmbra.

MARIA. Atqui iste pallor tinctus est viola, sic palles, vt cesarium maturescens, aut vua purpuracens.

PAMPHILVS. Satis procaciter rides miserum.

MARIA. Atqui si mihi non credis admoue speculum.

PAMPHILVS. Non optarim aliud speculum, nec arbitror esse clarius vllum quam in quo nunc me contemplor.

MARIA. Quod speculum mihi narras?

PAMPHILVS. Oculos tuos.

MARIA. Argutator, vt semper tui similis es. Sed vnde doces esse examinem te? An cibum capiunt vmbrae?

PAMPHILVS. Capiunt, sed insipidum, qualem ego.

MARIA./ Quibus igitur vescuntur?

103r PAMPHILVS. Maluis, porris, et lupinis.

MARIA. Atqui tu non obstines e capis et perdicibus.

PAMPHILVS. Verum, sed interim nihilo plus sapiunt palato meo, quam si maluis vescerer, aut betis absque pipere vino et aceto.

MARIA. O te miserum, et tu interim obesulus es. An et loquuntur examines?

PAMPHILVS. Sic vt ego, voce perquam exili.

MARIA. Atque nuper cum audirem te conuiciantem riuali tuo, vox non erat admodum exilis. Sed obsecro te, num etiam ambulant vmbrae? num vestituntur, num dormiunt?

PAMPHILVS. Etiam coenunt, sed tuo more.

MARIA. Nae tu suauis nugator es?

PAMPHILVS. Sed quid dices, si argumentis Achilleis euincam, et me esse mortuum, et te esse homicidam?

MARIA. Absit omen, Pamphile, sed aggredere sophisma.

PAMPHILVS. Primum illud mihi donabis, opinor, mortem nihil aliud esse, quam abductionem animae a corpore.

MARIA. Largior.

PAMPHILVS. Sed ita, vt ne reposcas quod dederis.

MARIA. Non fiet.

PAMPHILVS. Tum, haud insciaberis, eum qui alteri adimit animam, homicidiam esse.

MARIA. Accedo.

PAMPHILVS. Concedes et illud, quod a grauissimis autoribus dictum, tot saeculorum suffragijs comprobatum est, animam hominis non illic esse vbi animat, sed vbi amat.

MARIA. Istuc explana crassius, non enim satis assequor, quid velis.

(103v) PAMPHILVS. Et hoc sum infelicior, / quod istud non aeque sentis, atque ego.

MARIA. Fac vt sentiam.

PAMPHILVS. Eadem opera fac, vt sentiat adamas.

MARIA. Equidem puella sum, non lapis.

PAMPHILVS. Verum sed adamante durior.

MARIA. Sed perge colligere.

PAMPHILVS. Qui corripiuntur afflatu diuino, ne audiunt, nec vident, nec olfaciunt, nec sentiunt, etiamsi occidas.

MARIA. Audiui sane.

PAMPHILVS. Quid coniectas esse in causa?

MARIA. Dic tu, philosophe.

PAMPHILVS. Nimirum quoniam animus quodammodo in caelis est, vbi habet quod vehementer amat. Hinc fit vt vitae organa admirabili quadam ratione intermittat et abesse videatur.

MARIA. Qui tum postea?

PAMPHILVS. Quid tum, dura? Illud consequitur, et me esse mortuum et te homicidam.

MARIA. Vbi est igitur anima tua?

PAMPHILVS. Illic vbi amat.

MARIA. Quis autem ademit tibi animam? Quid suspiras? Dic libere, dices impune.

PAMPHILVS. Crudelissima quaedam puella, quam ego tamen ne mortuus quidem odisse possum.

MARIA. Humanum ingenium. Sed cur illi vicissim non adimis suam animam, par pari, quod aiunt, referens?

PAMPHILVS. Nihil me felicius, siquidem liceat facere permutationem, sic vt illius animus vicissim demigret in pectus meum, quemadmodum meus animus totus demigrauit in corpus illius.

MARIA. At licetne mihi tecum vicissim paulisper sophistam

agere?

PAMPHILVS. Sophistriam.

104r MARIA. Num / fieri potest, vt idem corpus sit animatum, et examine?

PAMPHILVS. Non eodem quidem tempore.

MARIA. Quum abest anima, tum mortuum est corpus?

PAMPHILVS. Est.

MARIA. Nec animat, nisi quum adest?

PAMPHILVS. Esto sane.

MARIA. Quid sit igitur, vt cum ibi sit vbi amat, animet tamen corpus, vnde demigrauit? Quod si animat, etiam cum amat alibi quomodo vocatur examine corpus quod animatum est?

PAMPHILVS. Argutare tu quidem satis sophistice, sed me talibus pedicis non capies. Anima quae moderatur vtcunque corpus animantis, improprie dicitur anima, cum reuera sint tenues quaedam animae reliquae, non aliter quam odor rosarum manet in manu, etiam rosa submota.

MARIA. Difficile est, vt video, vulpem captare laqueo. Sed illud responde: Nonne agit, qui occidit?

PAMPHILVS. Maxime.

MARIA. Et patitur, qui occiditur?

PAMPHILVS. Scilicet.

MARIA. Qui fit igitur, vt cum qui amat, agat quae amatur patiatur, occidere dicatur, quae amatur, cum amans potius occidat seipsum?

PAMPHILVS. Imo contra qui amat, patitur; quae amatur, agit.

MARIA. Isthuc nunquam euinces apud Areopagitas grammaticos.

PAMPHILVS. At euincam apud Amphictyones dialectos.

MARIA. Verum ne graueris et illud respondere, volens amas, an nolens?

PAMPHILVS. Volens. /

(104v) MARIA. Cum igitur liberum sit non amare, videtur homicida sui quisquis amat, praeterque ius accusat puellam.

PAMPHILVS. Atqui puella non ideo occidit, quod amatur, sed quod non amat mutuum. Occidit autem quisquis seruare potest, nec seruat.

MARIA. Quid si iuuenis amet inconcessa, hoc est vxorem alienam, aut virginem Vestalem? num illa amabit mutuum vt seruet mantem?

PAMPHILVS. Sed hic iuuenis amat, quod amare fas piumque

est, atque etiam aequum et bonum, et tamen occiditur. Quod si leue est homicidij crimen, et veneficij ream peragram.

MARIA. Isthuc prohibeant superi. An Circen quampiam ex me facies?

PAMPHILVS. Aliquid et ipsa crudelius. Nam porcus aut vrsus esse malim, quam id quod nunc sum, examinis.

MARIA. Quo tandem veneficij genere perdo homines?

PAMPHILVS. Fascino.

MARIA. An igitur vis, vt posthac abs te deflectam noxios oculos?

PAMPHILVS. Bona verba. Imo magis afflecte.

MARIA. Si mihi sunt oculi fascinatores, qui fit, vt non contabescant et caeteri, quos obtueor? Itaque suspicor, fascinum istud esse in tuis oculis, non in meis.

PAMPHILVS. Non sat tibi erat iugulare Pamphilum, ni insultes insuper?

MARIA. O lepidum mortuum. Sed quando parabuntur exequiae?

PAMPHILVS. Opinione tua celerius, ni tu succurras.

MARIA. Egon' rem tantam possum?

105r PAMPHILVS. Potes vel mortuum ad vitam / mihi reuocare, id que minimo negotio.

MARIA. Si quis mihi porrigat panacen.

PAMPHILVS. Nihil opus herbis, tantum redama. Quid autem facilius, imo quid aequius? Non aliter absolueris ab homicidij crimine.

MARIA. Apud quod tribunal peragar rea? Areopagitarum?

PAMPHILVS. Non, sed tribunal Veneris.

MARIA. Aiunt deam esse placabilem.

PAMPHILVS. Imo nullius ira perinde formidabilis.

MARIA. Habet fulmen?

PAMPHILVS. Non.

MARIA. Habet tridentem?

PAMPHILVS. Nequaquam.

MARIA. Habet hastam?

PAMPHILVS. Minime, sed est dea maris.

MARIA. Non nauigo.

PAMPHILVS. Sed habet puerum.

MARIA . Non est formidabilis aetas.

PAMPHILVS. Vindicem ac pernicacem.

MARIA. Quid is mihi faciet?

PAMPHILVS. Quid faciet? Prohibeant omnes superi. Nolim

enim illi male ominari, cui bene volo.

MARIA. Tamen effare, nulla mihi superstitio est.

PAMPHILVS. Dicam ergo. Si hunc spreueris amantem, non omnino mutuo indignum amore, nisi fallor, ille fortasse iussu matris imminet tibi pessimo veneno tinctum iaculum, vt in sordidum aliquem depercas, qui te tamen non redamet.

MARIA. Supplicium narras abominandum. Ego sane vel mori praeoptarim, quem perdite amare deformem, nec amare mutuo respondetem.

PAMPHILVS. Atqui nuper huius mali fuit exemplum insigniter aeditum in pu/ellam quandam. (105v)

MARIA. Vbi locorum?

PAMPHILVS. Aureliae.

MARIA. Quot anni sunt?

PAMPHILVS. Quot anni? Vix sunt menses decem.

MARIA. Puellae quod erat nomen? Quid haeres?

PAMPHILVS. Nihil noui tanquam te.

MARIA. Quin igitur aedis nomen?

PAMPHILVS. Quia non placet omne. Vtinam alio quouis nomine dicta fuisset. Idem habebat nomen quod tu.

MARIA. Pater quis erat?

PAMPHILVS. Viuit adhuc inter iureconsultos praecipui nominis, re splendida.

MARIA. Adde nomen.

PAMPHILVS. Mauricius.

MARIA. Cognomen.

PAMPHILVS. Aglaius.

MARIA. Viuitne mater?

PAMPHILVS. Nuper reliquit superos.

MARIA. Quo morbo perijt?

PAMPHILVS. Quo morbo rogas? moerore. Et pater tametsi vir cum primis fortis, periclitabatur.

MARIA. Licet nescire matris quoque nomen?

PAMPHILVS. Maxime; Sophronam nemo non nouit. Sed qui sibi vult ista percontatio? An ne putas apologum comminisci?

MARIA. Egon' de te suspicare hoc? Haec suspitio pronior est in sexum nostrum. Sed narra quid acciderit puellae.

PAMPHILVS. Puella erat honesto loco nata, vt dixi, re lauta, forma perquam eleganti, quid multis? digna principe marito. Huius nuptias ambiebat procus quidam, illi non dissimilis.

---

11 impuellam

MARIA. Quo nomine?

PAMPHILVS. Hei mihi, offendor nomine. Pamphilus et ille dictus est. Illa nihil non tentantem pertinacissime spreuit. 106r Iuuenis / dolore contabuit. Nec ita multo post, illa deperire coepit in quendam, simium verius quam hominem.

MARIA. Quid ais?

PAMPHILVS. Adeo perdite, vt satis dici non queat.

MARIA. Tam elegans puella, tam deformem?

PAMPHILVS. Vertice acuminato, raro capillitio, eoque lacero et impexo, furfure ac lendibue oppleto, pleraque cranij cutem nudauerat alopecia, oculis refugis, naribus simis ac sursum hiantibus, ore sparso, dentibus putridis, balbutiente lingua, mento scabioso, scapulas deformabat gibbus, venter prominulus, crura vara.

MARIA. Thersiten quempiam mihi depingis.

PAMPHILVS. Imo aiunt illi non fuisse nisi vnam auriculam.

MARIA. Altera perierat illi fortasse in bello.

PAMPHILVS. Imo in pace.

MARIA. Quis hoc ausus?

PAMPHILVS. Dionysus carnifex.

MARIA. Fortasse formae infelicitatem pensabat res ampla domi?

PAMPHILVS. Imo decoxerat, ac plus quam animam debebat. Cum hoc marito tam insignis puella nunc degit aetatem, ac subinde vapulat.

MARIA. Rem miseram narras.

PAMPHILVS. Sed veram. Sic visum est Nemesi iuuenis spreti contumeliam vlcisci.

MARIA. Ego citus optarim extingui fulmine, quam talem ferre maritum.

PAMPHILVS. Ergo ne prouoca Nemesi et amantem redama.

(106v) MARIA. Siquidem isthuc satis est, / redamo.

PAMPHILVS. Sed optarim istum amorem esse perpetuum ac proprium. Coniugem ambio, non amicam.

MARIA. Neque me id fugit, sed diu deliberandum est in eo, quod semel coeptum, rescindi non potest.

PAMPHILVS. Apud me, quidem nimio deliberatum est

MARIA. Videmautem, ne tibi imponat amor, non optimus consultor. Nam caecum esse ferunt.

PAMPHILVS. Sed oculatus est, qui ex iudicio nascitur. Non ideo mihi talis videris, quod amem te, sed ideo te amo, quod

amem te, sed ideo te amo, quod talem te conspexerim.

MARIA. At vide, ne non satis me respectam habeas. Si calceum induisse, tum demum sentires, qua parte te vrgeret.

PAMPHILVS. Iacienda est alea, quanquam ego multis augurijs colligo rem melius cessuram.

MARIA. Etiam augur es?

PAMPHILVS. Sum.

MARIA. Quibus igitur augurijs colligis? An volauit noctua?

PAMPHILVS. Illa volat stultis.

MARIA. An dextris aduolauit iugum columbarum?

PAMPHILVS. Nihil istiusmodi. Sed mihi iam annis aliquot perspecta est probitas tuorum parentum; ea primum auis est non pessima, e bonis prognatam esse. Neque me clam est, quam salubribus monitis, quam sanctis exemplis apud hos sis institu
ta. Et plus est bene nasci. Habes alterum augurium. Ad haec meis maioribus, non omnino malis, ni fallor, iam olim tuis
107r amicitia non vulgaris in/tercedit, quin et nos internos a te
neris, quod aiunt, vnguiculis noti sumus, nec male conuenit genijs nostris. Iam aetas inter nos, res, dignitas, nobilitas inter vtriusque parentes, pene paria sunt. Demum quod est in amicitia praecipuum, tui mores, mihi videntur non pessime quadrare ad meum ingenium. Potest enim per se praeclarum esse, quot tamen non sit aptum. Quam mei vicissim tuo congruant, nescio. Hac videlicet aues, mea lux, mihi promittunt fore inter nos felix, perpetuum, ac laetum iucundumque connubium, modo ne tuus animus mali ominis cantionem nobis occinat.

MARIA. Quam cantilenam optas?

PAMPHILVS. Ego praecinam, sum tuus: tu succine, sum tua.

MARIA. Breuis quidem cantiuncula, sed longum habet epiphonema.

PAMPHILVS. Quid refert quam longum, modo laetum?

MARIA. Adeo mihi es inuisus, vt nolim te committere, cuius in posterum poeniteat.

PAMPHILVS. Desine male ominari.

MARIA. Fortassis alia tibi videbor vbi morbus aut aetas formam immutauerit.

PAMPHILVS. Nec hoc corpus, o bona, semper erit aeque succulentum, sed ego non contemplor tanquam istud vndique florens et elegans domicilium, hospitem magis adamo.

MARIA. Quem hospitem?

PAMPHILVS. Animum istum tuum, cuius decor semper cum ae

tate crescet.

(107v) MARIA. Nae tu plus quam Lyn/ceus es, si istum perspicis per tot tectoria.

PAMPHILVS. Animum animo perspicio. Ad haec, in communibus, liberis subinde repubescemus.

MARIA. Sed interim perit virginitas.

PAMPHILVS. ‡ Non sunt omnes futurae virgines, alioqui esset mundus hominis aetatem duraturus. Nec te tu hactenus alicui monasterio consecrasti. Quare si te mihi malo coniugem, quam virginem nihil impium audeo. ‡ Perit, inquis, virginitas. Verum. Sed eho: dic mihi, si tibi esset elegans pomarium, optares illic vnquam gigni praeter flores? an malles de lapsis floribus videre arbores maturis pomis grauidas?

MARIA. Vt argutatur.

PAMPHILVS. Saltem illud responde, vtrum est elegantius spectaculum, vitis humi iacens et computrescens, an amplema palum aut vlmum, eamque purpureis vuis degrauans?

MARIA. Responde tu mihi vicissim, vtrum spectaculum amoenius, rosa nitens, et lactea in suo frutice, an decerpta digitis ac paulatim marcescens?

PAMPHILVS. Ego rosam existimo feliciorem, quae marcescit in hominis manu, delectans interim et oculos et nares, quam quae senescit in frutice. Nam et illic futurum erat, vt marces-
108r ceret; quemadmodum felicius est vinum, quod bibitur ante/quam acescat. Quanquam non statim marcescit flos puellae si nupserit. Imo video multas, quae ante nuptias pallebant, languebant, ac velut extabescerent, ex congressu viri sic enituisse, vt tum demum florere coeperint.

MARIA. Attamen fauorabilis ac plausibilis apud omneis est virginitas.

PAMPHLIVS. Elegans quidem res puella virgo, sed quid prodigiosius anu virgine?

‡ MARIA. Tales habet Christus multas cui sunt perpulchrae.

PAMPHILVS. Nos in corpore sumus, et de corpore loquimur, ne sponsas nostras praeferimus Christi sponsis. Virgo tamen ὑπέρμος etiamsi Venus ipsa sit non inueniet sibi maritum. Si mater tua hac fuisset sententia, nisi illi ‡ defluxisset flos ille, nos istum flosculum non haberemus. Quod si,

---

2 Ne
7-10 IF add.
32 virginem emendatum est in erratis.
33-37 IF add.

vt spero, non sterile fuerit nostrum coniugium, pro vna virgine, multas dabimus.

MARIA. Attamen aiunt, rem Deo gratissimam esse castitatem.

PAMPHILVS. Et ideo castam puellam mihi cupio nubere, vt cum illa caste viuam. Magis erit animorum quam corporum coniugium. Gignemus reipublicae, gignemus Christo. (...)

MARIA. At dulcis est libertas.

PAMPHILVS. Imo grauius est sarcina virginitas. Ego tibi (108v) rex ero, tu mihi regina. Imperabimus familiae nostro / arbitratu. An tibi videtur ista esse seruitus?

MARIA. Vulgus coniugium capistrum vocat.

PAMPHILVS. Sed ipsi vero capistro digni sunt, qui sic vocant. Dic mihi quaeso: An non animus tuus est alligatus corpori?

MARIA. Videtur.

PAMPHILVS. Non aliter, quam auicula caueae. Et tamen consule illum, an cupiat esse liber. Negabit opinor. Quam ob rem? Quia libenter est alligatus.

---

6 Quantulam aberit hoc matrimonium a uirginitate? Et fortasse olim sic conuiuemus, quemadmodum uixit Maria Ioseph. Sed interim discemus uirginitatem. Non enim statim peruenitur ad summum.
MA. Quid ego audio? Violanda uirginitas, ut discatur?
PA. Quid ni? Quemadmodum paulatim bibendo uinum parcius, discimus esse absemij. Vter tibi uidetur temperantior, quid in medijs delitijs accumbens abstinet, an qui semotus ab his quae prouocant intemperantiam?
MA. Arbitror eum fortius temperantem, quem parata copia non potest corrumpere.
PA. Vtri uerius debetur laus castitatis, eine qui semet execat, an qui membris integris, tamen abstinet a Venere?
MA. Equidem posteriori, meo calculo tribuerim laudem castitatis; priori dementiam.
PA. Atqui uoto astricti abiurant matrimonium, nonne quodammodo execant sese?
MA. Videtur.
PA. Iam non est uirtus non coire.
MA. An non est?
PA. Sic accipe. Si per se uirtus esset, non coire, uitium esset coire. Nunc incidit ut uitium sit, non coire, coire uirtus.
MA. Quando hoc incidit?
PA. Quoties ab uxore ius suum petit paritus, praesertim si prolis amore quaerit complexum.
MA. Quid si lasciuiat, non est fas negari?
PA. Fas est monere, uel rogare potius blandius, ut temperet, pernegare instantis fas non est. Quanquam hac quidem in parte raras audio querelas maritorum de suis uxoribus. (1533,p.179-180) IF om. (ASD,p.285-286)

MARIA. Res est vtrinque modica.

PAMPHILVS. Tanto tutior. Eam tu domi augebis parcimonia, quae non sine causa dicta est magnum vectigal, ego foris industria.

MARIA. Innumeras curas secum adferunt liberi.

PAMPHILVS. Sed ijdem innumeras voluptates, ac saepenumero multo cum foenore reponunt parentibus officium.

MARIA. Misera quaedam res est orbitas.

PAMPHILVS. An nunc orba non es? Quid autem opus in re dubia male ominari? Dic mihi vtrum malles, nunquam nasci, an nasci moritura?

MARIA. Equidem malim nasci moritura.

PAMPHILVS. Sic miserior est orbitas, quae prolem nec habuit, nec habitura est; quemadmodum feliciores sunt, qui vixerunt, quam qui nec nati sunt, nec nascentur vnquam.

MARIA. Qui sunt isti, qui non sunt, nec erunt?

PAMPHILVS. Quanquam qui recuset ferre casus humanus, quibus omnes aeque sumus obnoxij, siue plebei simus, siue reges, is e vita migret oportet. Et tamen / quicquid acciderit, 109r tu non feres nisi dimidium, ego maiorem portionem in me transferam. Ita si quid acciderit laeti, gemina fiet voluptas; si quod mali, societas adimet dimidium aegritudinis. Mihi vero, si fata vocent, dulce fuerit vel immori tuis complexibus.

MARIA. Facilius ferunt homines, quod iuxta communes naturae leges accidit, sed video, quanto plus molestiarum adferunt nonnullis parentibus liberorum mores, quam mortes.

PAMPHILVS. Istius rei ne quid accidat, maxima ex parte in nobis situmest.

MARIA. Qui sic?

PAMPHILVS. Quoniam fere boni nascuntur ex bonis, quod ad indolem attinet; neque enim e columbis nascuntur milui. Dabimus igitur operam vt ipsi boni simus. Deinde curabimus liberos nostros ab ipso statim lacte sanctis praeceptis, et opinionibus imbuendos. Plurimum refert, quid infundas rudi testulae. Ad haec curabimus, vt domi habeant exemplum vitae, quod imitentur.

MARIA. Difficile est quod narras.

PAMPHILVS. Nec mirum, quia pulchrum est, atque ob hoc ipsum tu quoque difficilis es. At tanto studijs acrioribus huc enitemur.

MARIA. Habebis sequacem materiam, tu vide vt me formes,

fingasque.

PAMPHILVS. Sed interim pronuncia tria verba.

MARIA. Nihil facilius, sed verba simul atque semel euola-
(109v) rint, non reuolant. Dabo con/silium vtrique commodius. Ages
cum tuis ac meis parentibus, vt vtrorumque voluntate transi-
gatur.

PAMPHILVS. Ambire me iubes, tu potes tribus verbis rem certam reddere.

MARIA. An possim nescio, mei iuris non sum. Nec sine maiorum autoritate olim coibant coniugia. Verum vtcunque est arbitror auspicatus fore nostrum coniugium, si parentum autoritate coeat. Et vestrum est ambire, nobis decorum non est. Gaude enim rapi virginitas, etiamsi nonnunquam vehementius amemus.

PAMPHILVS. Non pigebit ambire, modo ne frustretur tuum vnius suffragium.

MARIA. Non frustrabitur, bono animo esto, mi Pamphile.

PAMPHILVS. Tu mihi hic religiosior es quam vellem.

MARIA. Imo tu tuum ipsius suffragium apud te prius expende. Nec affectum istum tuum adhibe in consilium, sed rationem. Quod affectus decernit, temporarium est; quod autem dictat ratio, perpetuo solet placere.

PAMPHILVS. Nae tu pulchre philosopharis; itaque parere certum est tuis consilijs.

MARIA. Non poenituerit obsequij. Sed heus tu, incidit scrupulus, qui meum animum male habet.

PAMPHILVS. Valeant scrupuli.

MARIA. Vin' me nubere mortuo?

PAMPHILVS. Nequaquam, sed reuixero.

MARIA. Amouisti scrupulum. Bene vale, mi Pamphile.

PAMPHILVS. Isthuc tu cura.

110r MARIA. Precor tibi laetam noctem. / Quid suspiras?

PAMPHILVS. Laetam noctem, ais? Vtinam largiaris quod precaris.

MARIA. Ne quid praepropere, adhuc tua messis in herba est.

PAMPHILVS. Nihilne tui mecum auferam?

MARIA. Hunc pastillum, qui tibi cor exhilaret.

PAMPHILVS. Adde saltem osculum.

MARIA. Cupio tibi virginitatem integram et illibatam tradere.

PAMPHILVS. An osculum aliquid decerpit virginitati?

MARIA. Vis igitur, vt alijs quoque largiar oscula?

PAMPHILVS. Nequaquam, mihi seruari volo mea oscula.

MARIA. Tibi seruo. Quanquam est aliud, quur in presentia nec ausim dare oscula.

PAMPHILVS. Quid isthuc?

MARIA. Ais tuum animum pene totum demigrasse in corpus meum, in tuo quam minimum superesse. Vereor itaque ne in osculo hoc ipsum quod in te superest, transiliat in me, tuque iam totus fias exanimis. Accipe igitur dextram, mutui amoris symbolum, ac bene vale. Tu gnauiter rem gere. Ego interim Christum comprecabor, vt quod agitur vtrique nostrum velit esse felix ac faustum.

LB
697-701
ASD
289-297

EVBVLI ET CATARINAE

EVBVLVS. Gaudeo tandem finitam esse coenam, vt liceat hac frui deambulatione, qua nihil amoenius.

CATARINA. Et me iam tedebat sessionis.

EVBVLVS. Quam vernat, quam arridet vndique mundus. Haec nimirum est illius adolescentia. /

(110v) CATARINA. Sic est.

EVBVLVS. At cur tuum ver non aeque arridet?

CATARINA. Quam ob rem?

EVBVLVS. Quia subtristis es.

CATARINA. An videor alio vultu quam soleo?

EVBVLVS. Vis ostendam te tibi?

CATARINA. Maxime.

EVBVLVS. Vides hanc rosam, sub imminentem noctem, folijs contractionibus?

CATARINA. Video. Quid tum postea?

EVBVLVS. Talis est vultus tuus.

CATARINA. Bella collatio.

EVBVLVS. Si mihi parum credis, in hoc fonticulo contemplare teipsam. Quid sibi tandem volebant, et inter coenandum, ista tam crebra suspiria?

CATARINA. Desine percontari, quod tua non refert scire.

EVBVLVS. Imo mea refert maxime, qui non possum esse hila-

---

10 grauiter

ris, nisi te quoque videam hilarem. Ecce autem iterum suspirium, hui quam ex imo pectore ductum.

CATARINA. Est quod angat animum, sed effari non est tutum.

EVBVLVS. Mihi non dices, qui te chariorem habeo sorore propria? Mea Catarina, ne verere, quicquid est rei, tuto depones his auribus.

CATARINA. Vt tuto dicam, vereor ne frustra dicam non auxiliaturo.

EVBVLVS. Qui scis? Si non re ipsa, fortassis consilio, consolandoque iuuero.

CATARINA. Non possum eloqui.

EVBVLVS. Quid isthuc est rei? Odisti me?

CATARINA. Sic odi, vt mihi minus charus sit meus germanus. Et tamen animus non fert, vt eloquar.

EVBVLVS. Fateberis igitur, si diuinaro? Quid tergiuersaris? / Promitte, alioqui non omittam vrgere. 111r

CATARINA, Age, promitto.

EVBVLVS. Primum ego non video, quid tibi desit ad summam felicitatem.

CATARINA. Vtinam vera praedicares.

EVBVLVS. Primum adest ipse flos aetatis. Nam, nisi fallor, agis annum iam decimum septimum.

CATARINA. Sic est.

EVBVLVS. Nondum igitur, opinor, discrutiat te metus senectae.

CATARINA. Nihil minus.

EVBVLVS. Adest forma nulla parte non felix, est et istud praecipuum Dei domum.

CATARINA. De forma qualis est, nec glorior nec queror.

EVBVLVS. Tum color et habitudo corporis indicat te esse prospera valetudine, nisi quid est morbi occultioris.

CATARINA. Nihil istiusmodi gratia Deo.

EVBVLVS. Fama est integra.

CATARINA. Ita confido.

EVBVLVS. Adest ingenium isto dignum corpore, felicissimum, et quale mihi optem ad liberales disciplinas.

CATARINA. Si quod est, Dei manus est.

EVBVLVS. Nec deest morum, amabilis gratia, quam in felicissimis etiam formis non raro desideramus.

CATARINA. Optarim equidem mores me dignos.

EVBVLVS. Multorum animos deijcit generis infelicitas. Tibi parentes sunt et bene nati, et probi, et re lauta, et tui

amantissimi.

CATARINA. Hinc nihil queror.

EVBVLVS. Quid multis? Ego mihi ex omnibus puellis, quas habet haec regio, non delegerim aliam sponsam,quam tu, si
(111v) quod sidus mihi prosperum / affulgeret.

CATARINA. Nec ego mihi deligerem alium sponsum, si placeret vllum coniugium.

EVBVLVS. Et tamen magnum quiddam esse debet, quod sic discruciat animum tuum.

CATARINA. Est dominio non leue.

EVBVLVS. Non aegre feres si diuinem?

CATARINA. Iam pollicita sum.

EVBVLVS. Expertus noui, quanta crux sit amor. Age fatere nunc, promisisti.

CATARINA. Amor est in causa, sed non eius generis cuius tu suspicare.

EVBVLVS. Quod genus tu mihi narras?

CATARINA. Diuina.

EVBVLVS. Equidem consumpsi omnem diuinationem meam. Et tamen non omittam hanc manum, donec extorsero quid sit.

CATARINA. Tu violentus es.

EVBVLVS. Depone in sinum meum, quicquid isthuc est curae.

CATARINA. Quando sic vrges, dicam. Iam inde a teneris annis me mirus quidam affectus habebat.

EVBVLVS. Quis,obsecro?

CATARINA. Vt adiungerer collegio sacrarum virginum.

EVBVLVS. Vt fieres monacha?

CATARINA. Sic habet.

EVBVLVS. Hem, pro thesauro carbones. ‡ Spe decidi, maluissem te vxorem quam monacham. ‡

CATARINA. Quid ais, Eubule?

EVBVLVS. Nihil mea lux, tussiebam. Sed perge dicere.

CATARINA. Huic animo meo semper pertinacissime restitere parentes.

EVBVLVS. Audio.

CATARINA. Ego contra precibus, blandicijs, lachrymis
112r oppugnabam paren/tum pietatem.

29-30 IF add.

EVBVLVS. Res mira.

CATARINA. Tandem cum ego nullum facerem finem orandum, obsecrandi, obtestandi, lachrymandi, polliciti sunt, vbi peruenissem ad annum decimum septimum sese obtemperaturos voluntati meae, si modo tum idem perstaret animus. Venit is annus. Manet idem animus, parentes tamen contra promissum pernegant; hoc est quod discrutiat animum meum. Aperui morbum meum, tu nunc medicum age, si quid potes.

EVBVLVS. Primum illud dabo consilium, suauissima virgo, vt modereris affectibus tuis, et si id non continget quod vis, id velis quod possis.

CATARINA. Emoriar, nisi quod volo assequar.

EVBVLVS. Et vnde concepisti istum affectum?

CATARINA. Olim admodum puella ducta sum in quoddam virginum collegium, circunducebamur, ostendebantur omnia, placebant virgines vultibus nitentibus, videbantur angelae, in templo nitebant omnia, atque etiam fragrabant, nitebant horti cultissimi. Quid multis? Nihil non arridebat, quocunque vertebam oculos. Accedebant ad hoc blandissima virginum colloquia. Vnam atque alteram illic reperi, quicum olim infantula lusitare consueui. Ex eo tempore crepit animus ardere eius vitae desiderio.

EVBVLVS. Heu nimium te mouent, quae sensui propiora sunt./ (112v) Placebant vultus, nitebant horti, videbantur angeli. Ista momento temporis mutantur in aliam faciem, et honestate vitae quaedam inducitur mortis imago, qua deturpantur pulchra, peruigilio videlicet, inaedia, pedore carceris, disciplina obedientia, et alijs hoc genus quae ita sequuntur religiosos, vt vmbra corpus.

CATARINA. Isthaec religiosos, maxime decent. Nec minus profecto pulchrae illae mihi videbantur verberum vestigijs, pallore, et macie in Christo confectae, quam heroinae istae quae in aula, cerusa, purpurisso, et stibio picturantur, bellula impostura et mentientis quae sint, et miserorum hominum oculos oblinentes. O quanto praestaret viuere in Christo sim

---

23ss EV. Non sum improbaturus sacrarum uirginum institutum, quanquam non omnia conducunt omnibus, sed habita tui genij ratione, quem mihi uideor ex uultu, moribusque tuis collegisse, suaserim, ut nubas marito tui simili, tuaeque domi nouum instituas collegium, cuius maritus agat patrem, tu matrem. (1533,p.186) IF mut. (ASD,p.292)

plicius.

EVBVLVS. Neque hoc probo, neque sacrarum virginum institutum damno; habita tamen genij tui ratione, nam ex stellis istis secundis vultu, fronte, oculis genium tuum colligo, sua serim vt nubas marito tui simili, tuaeque domi nouum instituas collegium, cuius maritus agat patrem, tu matrem.

CATARINA. Emoriar citius, quam virginitatis propositum deseram.

EVBVLVS. Res est egregia virginitas, si pura est, sed nihil necesse est, vt hac gratia dedas te in collegium, vnde non possis postea eximi. Licet apud parentes virginitatem tueri tuam.

CATARINA. Licet, at non perinde tuto.

113r EVBVLVS. / Imo tutius. Olim nusquam virgines honestius, quam apud parentes, nec alium habebant patrem quam episcopum.

CATARINA. Quid olim fieret, nescio; fortassis ita expediebat factum. Non me latet, vel in medijs vitijs locum esse virtuti et multas tyrannorum saeuitia lupanari expositas, permansisse virgines. Non deserit Deus suos. Quare et domi etiam apud parentes locum esse virginitati non inficior. Quod tamen id tutius dixeris, tibi haud subscribo. Res est enim vitrea

---

14 ss EV. Imo ut ego arbitror, aliquanto tutius, quam apud illos crassos, semper cibo distentos monachos. Nec enim castrati sunt, ne tu sis insciens. Patres uocantur, ac frequenter efficiunt, ut hoc nomen uere competat in ipsos. Olim nusquam uirgines honestius uiuebant, quam apud parentes, nec alium habebant patrem, quam episcopus. Sed obsecro dic mihi, quod tibi collegium ex omnibus delegisti, cui te addicas in seruitutem?
CA. Chrysercium.
EV. Agnosco, aedibus paternis uicinum.
CA. Recte.
EV. Atqui pulchre noui totum hoc sodalitium, dignum uero ob quod patrem ac matrem, et cognatam tibi honestamque familiam repudies. Nam ille patriarcha iampridem et aetate, et uino,et natura delirus est, nec illi quicquam iam sapit praeter uinum. Habet duos sodales se dignos, Ioannem et Iodocum: quorum Ioannes, ut fortasse uir malus non est, ita nihil habet uiri, praeter barbam, eruditionis ne pilum quidem, prudentiae non multo plus. Iodocus adeo stupidus est, ut nisi sacra commendaretur, obambularet, publicitus in cuculla fatui cum auriculis ac tin tinnabulis.
CA. Mihi uidentur uiri boni.
EV. Melius istos noui quam tu, mea Catarina. Isti fortasse sunt tibi patroni apud parentes, ut efficiant te proselytam suam.
CA. Iodocus maxime fauet.
EV. O fautorem, sed fac isthic nunc esse uiros doctos ac bonos, cras erunt indocti ac mali, et quicunque obtigerint, tibi erunt ferendi. (1533,p.186-187) IF mut.(ASD,p.292-293)
15 Episcopum

virginitas, vel <fragilis> frangitur, si non vndique perspexeris.

EVBVLVS. Age, obsecro dic mihi, quod tibi collegium ex omnibus delegisti, cui te addicas in seruitutem?

CATARINA. Imo in ipsissimam libertatem. Extra vrbem est cellarum nomine percelebre.

EVBVLVS. Agnosco. Verum Diuini Spiritus domicilium. Noui praepositae lenitatem, et germanum Christianae pietatis candorem. Dignum profecto ob quem patrem et matrem et vndique honestam familiam repudies. Habet etiam iampridem aetate, eruditione, natura, et sobrietate mirum, nec illi quicquam sapit praeter Christum. Haec et si ita sint, nescio tamen cur inuitis parentibus hoc facias, cur tantopere abhorreas a domo paterna.

CATARINA. Offendunt me in aedibus paternis crebra conui-
(113v) uia, nec semper virgi-/nea sunt, quae illic dicuntur inter coniugatos.Et aliquoties sit, vt osculum negare non possim.

EVBVLVS. Qui vitare studet, quicquid offendit, is e vita migret oportet. Ita sunt aures assuefaciendae, vt audiant omnia, nec tamen nisi bona transmittant in animum. Parentes, opinor, permittunt cubiculum peculiare.

CATARINA. Maxime.

EVBVLVS. Eo te subducas licebit, si quod conuiuium acciderit turbulentius, etcum illi potant ac nugantur, tu confabulare cum sponso tuo Christo, ora, psalle, gratias age. Non te inquinabit domus paterna, sed tu reddes eam puriorem.

CATARINA. Attamen tutius est esse in sodalitio virginum.

EVBVLVS. Non improbo castum sodalitium. Imo istud quod elegeras maxime demiror. Nolim tamen te male audituram si mu-

---

1 tralitro
7 diuini spiritus
28ss EV. Non improbo castum sodalitium, nolim tamen te falli falsa imaginatione. Vbi illic uersata fueris aliquandiu ubi proprius inspexeris, fortassis non perinde nitebant omnia, ut tibi quondam nitere uidebantur. Nec omnes uirgines sunt, mihi crede, quae uelum habent.
CA. Bona uerba.
EV. Imo bona uerba sunt, quae uera sunt. Nisi fortasse elogium, quod nos hactenus iudicauimus esse uirgini matri proprium, ad plures tansijt, ut dicantur et a partu uirgines.
CA. Abominor.
EV. Quin insuper, nec alioquin inter illas uirgines sunt monia uirginea.
CA. Non? Quam ob rem, obsecro?
EV. Quia plures inueniuntur quae mores aemulentur Sapphus, quam quae referant ingenium.
CA. Isthuc quid sit non satis intelligo.

taueris sententiam. Tam quemadmodum vnus, aut alter est omnium horarum homo, ita mens eadem omnibus horis non est.

CATARINA. Sat habeo si ipsa non quibus vis sum me creditura. Si collegium illud eligo, quod nec ipsa inuidia vituperet, nec decem momi sufficiant ad carpendum. Quod autem ad constantiam attinet, firmabit ille, qui Deus est et non mouetur. Desine itaque amplius tentare animum meum, qui tanto magis eo fertur, atque hinc colligo hunc spiritum a Deo proficis
114r ci, quod tot iam annis per/seuerat, et indies fit acrior.

EVBVLVS. Imo mihi hoc nomine suspectus est iste tuus spiritus, quod sic repugnant optimi parentes. Afflasset et illorum animos Deus, si pium esset, quod moliris. Sed istum spiritum hausisti ex illis nitoribus, quos admodum puella vidisti ex blandis virginum alloquijs,ex affectu erga veteres sodales, ex cultu sacro, ex ceremonijs sane quam speciosis, ex hortatibus quorundam monachorum, qui pie quidem sed parum interdum prudenter omne genus hominum alliciunt ad religionem, cum vox illa Euangelij altius intonet: qui potest capere, capiat.

CATARINA. Temerario nomine eos imprudentes dixeris, qui cupiunt omnes esse perfectos, cum et Paulus omnes sui similes efficere in votis habeat. Quod autem de parentibus dixisti: in hoc negotio pium est contemnere patrem et matrem; solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Per calcatum in limine patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euolabo.

EVBVLVS. Haec Hieronymi verba traxere in monasteria.

CATARINA. O felices illos qui tanto duce sapiunt. Praestat errare cum Hieronymo et Augustino, quam verum dicere cum istis perfidis, qui persuasam tot seculis in Ecclesia catholica opinionem. Sic arietant, sic demoliri conantur. Tu h eus si

---

EV. Atque ideo haec uerba facio, ne quando intelligas mea Catarina.
CA. Attamen animus eo fertur,(1533,p.187-188)IFmut (ASD,p.293-94)
15ss ex improbis hortatibus stultorum monachorum, et qui in hoc te uenantur, ut largius potent. Sciunt patrem esse liberalem ac benignum, aut illum habebunt conuiuam, sed hac lege, ut secum adferat uinum, quod ipsi potabunt apud illum. Quare tibi fuerim autor ne quid noui tentes inuitis parentibus, in quorum potestate nos deus esse uoluit.
CA. In hoc negotio pium est contemnere patrem et matrem. (1533, p.188) IF mut. (ASD,p.294)
18 Math., 19, 12
19 inuotis
28 ecclesia

(114v) sapis, tempera / melius tuis affectibus, et dum me tibi cupis, vide ne te Christo perdas.

EVBVLVS. Vera quidem mones, et vtilia.Ego et me tibi, et te mihi, et vtrumque Christo seruatum velim.Non praefero nuptias virginitati, malim tamen te mihi matrem quam virginem. Praesertim ex parentum tuorum autoritate, et Ecclesiae instituto;Christi causa pium est alicubi negligere patrem et matrem; nec enim pie faciat, qui Christianus patrem ethnicum, cuius omne vitae praesidium pendeat a filio, deserat sinatque perire fame. Si nondum esses professa Christum in baptismo et parentes vetarent te baptizare, pie faceres, si Christum praeferres impijs parentibus. Aut si nunc parentes adigerent ad impietatem aut turpidinem, contemnenda esset illorum autoritas. Sed qui hoc ad collegium? Et domi Christum habes. Natura dictat, Deus approbat, Paulus hortatur, leges humanae sanciunt, vt filij obediant parentibus, et tu te subduces ab autoritate parentum optimorum, vt pro vero patre, te dedas factitio, et pro vera matre, tibi asciscas alienam aut potius, vt pro parentibus tibi dominos ac dominas asciscas? Nam parentibus ita es obnoxia, vt tamen te liberam esse velint. Vnde et liberi vocantur filij familias, quod absint
115r a conditione seruorum. Nunc tu te pro li/bera tendis vltro seruam reddere. Christiana clementia maxima ex parte submouit omnem illam veterum seruitutem, nisi quod in paucis regionibus adhuc resident vestigia. At inuentum est sub praetextu religionis, nouum seruitatis genus. (...) Nihil ibi licebit, nisi ex praescripto; quicquid obuenerit tibi illis acrescet; si quo pedem moueris, retraheris e fuga, perinde quasi parentem veneno ne caueris. Quoque sit euidentior seruitus, commutant vestem, quam dedere parentes, et ad exemplum priscum eorum, qui olim seruos essent mercati, commutant nomen in baptismo inditum, ac pro Petro, siue Ioanne, vocant Franciscum, aut Dominicum, aut Thomam. Petrus dedit nomen Christo, et Dominico initiandus vocatur Thomas. Si militaris seruus abijciat vestem a domino datam, videtur abdicasse dominum; et nos aplaudimus illi, qui vestem accipit, quam Christus omnium dominus non dedit, et ob hanc mutatam grauius punitur, quam si

---

23 redere
26 ut nunc sane in plerisque monasterijs uiuitur (1533,p.189) IF om. (ASD,p.295)

centies abijciat vestem Imperatoris ac domini sui, quae est mentis innocentia.

CATARINA. Quod toties seruitutem vocas religionem, non probo, nisi ea figura qua dici solet, seruire Deo regnare est. O felicem seruitutem, quae verae ac genuinae libertatis fons
(115v) perennis est. Qui potest esse seruitus, vbi ipsissima vi-/get spiritus libertus? Neque ea est parentum in liberos potestas, vt eximat perfectionis arbitrium. Non proficere deficere est. Qui potest ad apostolatus fastigium conscendere, stultus est, si ob parentum illecrebras contentus sis communi Christianorum conditione. Neque factitij parentes religionis perfecti. Imo tanto verius illi parentes agunt, quanto praestantius est, animum gignere quam corpus. Erunt fortassis nonnulli, domini verius, quam parentes; sed in ea re nihil decedit religioni, quando et Christi collegium suum habuit Iudam. Est sane perfrictae frontis vitia hominum liberalibus artibus aut institutis impingere Medicinam, aut Oratoriam traducere, quod medicus venenum porrexerit, orator non semel rem publicam euerterit. Iam quae de mutata veste etnomine cauillaris, indigna sunt tua ista indole, qua magis mihi placebas, quam corporis elegantia. Non est in his sita vera religio. Nescio quo naturae impetu nouum institutum noua quaedam sequantur. Nam quemadmodum gentes, aetates, sectas, sexum et professionem vestis distinguit, ita sane et religiosos. Neque nomen aut vestem imperatoris abijcimus, qui religioni initiamur, sed tanquam iterum nati perficimus priorem in Christo vocationem /
116r damusque operam, quantum in nobis est, vt vndique professionem nostram reddamus magis insignem; non frigidis ceremonijs, ut tu frigidius dicebas, sed morum compositione, vitae integritate, veste etiam, et incessu vt nulla ex parte cessemus.

3ss CA. Atqui hoc ipsum aiunt eximij meriti, si quis se sponte dedit in hanc seruitatem.
EV. Ista uero doctrina pharisaica est. Paulus contra docet, ut qui liber uocatus sit, ne uelit fieri seruus, sed potius operam det, ut fiat liber. Atque hoc infelicior est seruitus, quod pluribus dominis tibi seruiendum sit, quod plerumque stultis et improbis, quod incertis, ac subinde nouis. Illud mihi responde, Emancipant te leges a iure parentum? (1533,p.189)
IF mut. (ASD,p.295)
8 dificere
13 ginere quem
17 oratoriam
18 R.P.
19 omine emendatum est in erratis

EVBVLVS. Belle tu quidem omnia, sed nondum eximis scrupulum, quod id inuitis parentibus facias. Quare, age, illud mihi responde. Emanciparunt te leges a iure parentum?

CATARINA. Nequaquam.

EVBVLVS. Licetne igitur tibi emere aut vendere fundum inuitis parentibus?

CATARINA. Minime.

EVBVLVS. Vnde igitur tibi ius, vt teipsam dedas nescio quibus, inuitis parentibus? An non tu illis charissima, maximeque propria es possessio?

CATARINA. In negotio pietatis cessant naturae leges.

EVBVLVS. Negotium pietatis agitur in baptismo. Hic tantum agitur de veste mutanda, deque genere vitae, quod per se neque bonum est, neque malum? Iam illud mihi considera, quantum commoditatum simul amittas cum libertate. Nunc tibi liberum est in tuo cubiculo legere, orare, psallere, quantum et quando gratum est animo tuo. Quod si taedet cubiculi, licet audire cantiones ecclesiasticas, adesse sacris, audire sacras conciones, et si quam videris matronam, aut virginem egregie probam, ex eius colloquio fieri meliorem; si quem virum in-
(116v) signi probitate praeditum/ex eo discere, quod te reddat meliorem. Licebit et concionatorem deligere, qui purissime Christum doceat. Has res omneis, ex quibus praecipuus est profectus ad veram pietatem, amittis semel addita collegio. (...)

‡ CATARINA. Adhuc pergis insanire arbitratus nihil aliud esse religionem quam vestem sacram? Vitae institutum ais nec bonum nec malum. O vocem sacrilegam, si ex animo prodijt. Scio equidem te sutdio contra dicendi isthaec dicere, et sentire longe aliter. Quinam potest nix non esse alba, aut corutus non niger, aut malum esse bonum, quae frontibus aduersis pugnant? Si vita perfecta religio est, si ad exemplar nascentis Ecclesiae formatur, si ad apostolicam perfectionem accedit, quinam potest neque bonum neque malum vitae institutum esse, optimum cum sit? Ad haec quam inepta tu agebas similitudine, quasi idem sit fundum vendere sine autoritate patris, et animum Deo consecrare. Fundus in patris bonis est, et quia nondum sum emancipata meus non est; animus meus est, quem ideo non genuit pater vt magis seruiret Deo. Quonam modo igitur iniqua sum, quae

---

24 CA. Sed interim non ero monacha (1533,p.190) IF om. (ASD,p.296)
25ss IF add.

reddo vnicuique quod suum est? Si liceret anima tantum in religionem ingredi, corpus domi parentibus relinquerem, animam
117r Christo traderem; sed quando aliter esse non po-/test, aufero a parentibus corpus, quod etiam Dei est, vt aliquando coronetur cum anima. Non sunt, heus, ea egestate parentes mei vt fame essent perituri, nisi illis victum suppeditatem. Corporis tantum mei praesentia delectabantur. Sentio periclitari animam ob nescio quas paternas delicias; malo me praesentem exhibere Deo, quam parentum oculis, qui et nunc iam senio caligant, et paulo post dormient in Christo. Denique suauius auribus meis hoc nomen monacha quam vxor, aut vmbratilis virgo domi apud parentes agens.‡

EVBVLVS. Adhuc te mouent nomina rem ipsam perpendito. Illi iactant obedientiam. Num ea laus tibi deerit, si obedias parentibus tuis, quibus Deus iubet obediri? Si episcopo tuo, et pastori tuo? Num paupertatis, cum in parentum manibus sunt omnia? Quanquam olim in sacris virginibus praecipue laudabatur a sanctis viris liberalitas in pauperes, eam praestare non poterant, si nihil possidebant. Porro castitati tuae nihil decedet etiamsi viuas apud parentes. Quid igitur superest? Velum, linea vestis, ex intima versa in extimam, ceremoniae quaedam, quae nihil faciunt ad pietatem, neque quemquam commendant oculis Christi, qui spectat animi puritatem. (...)
(117v) Quum non sis emancipata a iure / parentum, quum tibi ius non sit vendendi vestem aut agrum, quomodo tibi ius facis dedendi te in seruitutem alienam?

CATARINA. Ius parentum non impetit ingressum religionis.

EVBVLVS. In baptismo nonne professa es religionem?

CATARINA. Sum.

EVBVLVS. Nonne religiosi sunt, quicunque sequuntur praecepta Christi?

CATARINA. Maxime.

EVBVLVS. Quae est igitur ista noua religio, quae facit irritum, quod et naturae lex sanxit et vetus lex docuit, et Euangelica lex comprobauit, et apostolica doctrina confirmauit? Isthuc decretum non est a Deo proditum, sed in monachorum senatu repertum.

---

4 dei
7 deflectabantur emendatum est in erratis
15 deus
23 CA. Noua praedicas.
EV. Sed uerissima. (1533,p.191) IF om. (ASD,p.296)
37 repertu

CATARINA. Adhuc redis ad vomitum. Monachorum senatui tribuis, quae ex ipsis sacris literis prodita sunt, quae sumis Ecclesia consilijs sacrosanctis patrum decretis. Aquam si aquae admisceas non tollis ingenium aquae, sed auges potius et adiuuas. Neque aliud sane est religioni initiari, quod ipsam religionem Christianam aduiuare, dare operam vt per secessum mundi tumultum fugias. Qui patris obedientiam contemnit, vt magis obediat Deo, qui locum tutiorem et honestiorem castitati eligit, sapit profecto in Christo, qui vera sapientia est. Quare, age, quaeso te: Qui me tuis argumentis ac blanditijs pellicere non potuisti in casses tuos, incide tu vicissim in meos. Esto angelus qui homo es. Cole virginitatem mecum qui / meam perdere volebas. Vtinam eueniat tibi 118r examini mei sententia. Tu meum amabas corpus, ego tuum dili-

---

lss Sic definiunt quidam matrimonium esse ratum, quod inscijs, aut etiam inuitis parentibus inter puerum et puellam per uerba de praesenti, sic enim illi loquuntur contractum est. Atqui istud dogma nec naturae sensus approbat, nec ueterum leges, nec Moses ipse, nec euangelica aut apostolica doctrina.
CA. An igitur putas mihi non esse fas nubere Christo, nisi comprobantibus parentibus?
EV. Iam, inquam, nupsisti Christo, et illi nupsimus omnes.Quae bis nubit eidem uiro? Tantum agitur de loco, de ueste, de ceremonijs. Ob has res non arbitror esse contemnendum ius parentum. Et uidendum est, ne dum paras nubere Christo, nubas alijs.
CA. At isti praedicant nihil esse sanctius, quam hic contemnere parentes.
EV. Ab istis igitur doctoribus exige, ut proferant aliquem e sacris libris locum, qui hoc doceat: quod si non poterunt, iubeto eos bibere calicem uini Belnensis: hoc poterunt. Ab impijs parentibus ad Christum coniugere pietatis est. Sed a pijs ad monachismum, hoc est, quod non raro usu uenit, a probis ad improbos, quae rogo pietas est? Quanquam et olim ad Christum a paganismo conuersus idolatris parentibus debeat obsequium, quatenus citra pietatis iacturam fieri poterat.
CA. Damnas igitur hoc totum uitae institutum?
EV. Nequaquam. Verum quemadmodum nemini suadere uelim, ut quae se in hoc uitae genus coniecerit, luctetur emergere: ita non dubitem hortari puellas omnes, praesertim indolis generosae, ne se temere eo praecipitent, unde post sese non possint explicare, praesertim cum in ipsis collegijs saepe grauius periclitetur uirginitas, ac domi praestare ualeas, quicquid ibi praestatur.
CA. Vrges tu quidem multis ac magnis argumentis, tamen hic affectus meus eximi non potest.
EV. Si non persuadeo,quod tamen optarim, saltem illud fac memineris, Eubulum monuisse. Interim meo in te amore precor, ut tuus iste affectus felicior sit meo consilio. (1533,p.191)
IF mut.(ASD,p.296-297)

2-3 sumus ecclesia

go animum.

EVBVLVS. Si sensero te perstare in sententia eris tu re vera eubula; acquiescam meliora monenti. Interim vale.

EVBVLVS, EVDVLIA

EVBVLVS. Iam annus est, quod dulcissima mea Catharina vestalis, non vestem vestae sed Bernardi induit fuitque, ni fallor, hesternus dies lapis eius Lydius. Vellem rescire alicunde, quinam habeat. En succedit ad votum: mulier illa ab illis est, et mihi alioqui familiaris. Salue Eudulia. Vt habet totum hoc cellarum collegium?

EVDVLIA. Valet, vt solet, bebe ac pie.

EVBVLVS. Estne iam de more institutum diui Bernardi professa Ioannis Catharina?

EVDVLIA. Maxime.

EVBVLVS. Age, quaeso te. Cane mihi hanc cygneam cantionem.

EVDVLIA. Cane tu si voles. Melius eueniat rebus meis.

EVBVLVS. Refer saltem.

EVDVLIA. Quid feream? Nota est illius virginis probitas, nota pietas, nota animi constantia. Videres angelum Lucis, ita se in Christum transfigurauit, dum in conceptis verbis iurat. Praeibat descripto praefecta; illa vero lubens sequebatur, laeto vultu oculus lachrymis suffusa nitenteis. Videbantur habere ante oculos sponsum, et cum illo colloqui. Vbi ventum (118v) est ad paupertatis votum, diceres diuitias / huius seculi carbones illi habitas; eo vultu contemptum rerum omnium significarat. Cum se adstrinxit obediehtiae, non posses non admirari modestissimos illos oculos, quibus abiectissimam animi sui modestiam vel caecis representasset. Iam cum castitatem stipularetur praesul, mihi crede, ita vocem temperauit, ita oculos deiecit in terram, et paulo post coniecit in coelum, vt animi penetralibus, quae nouum quam e fronte et oculis tanquam per vitrum inspiciuntur, cum ipsa angelorum puritate certare nobis videretur.

EVBVLVS. O felix certamen in quo victor est victi tro-

4ss Colloquium "Virgo poenitens" cum colloquio "Virgo constans" IF mutauit (LB, 701-702) (ASD,p.298-300)
7 hexternus
29 reprentasset
31 Paulo

phaeum. Nihil mihi narras non quod sit verisimile. Noui puellae indolem a primis, quod dicitur, vnguiculis.

EVDVLIA. Eubule, nosti forsan illam domi apud parentes vbi fingebat interdum vultum tempori subseruiens, at nunc cum tota sui compos est, cum tota pendet e celesti sponso, ad cuius dulcissimos amplexus festinat, dictu mirum, quam est in aliam naturam versa.

EVBVLVS. O felicem metamorphosin.

EVDVLIA. Certe non in laurum, vt Daphnes, sed in lapidem, vt Niobes.

EVBVLVS. Quid istuc verbi est?

EVDVLIA. Poenitentiae duritiem lapidem voco. Nescio, ita me Deus amet, vnde alit tenue illud corpusculum iam monogram-
119r mon. Nescio vnde suppetant perpetuae illae lachry-/marum scaturigines. Vidi non semel in cubiculo, cum illa nihil minus arbitraretur. Habet imaginem crucifixi eleganti penniculo expressam, ad cuius pedes, posita mensa cum scrinio scriptorio, iacebat sacer bibliorum codex. Iuxta Augustinus, Hieronymus et Bernardus. Versabatur illa inter has delicias interdum ridens, nonnunquam plorans, modo singultiens, aliquando tacita. Trahejat aliquoties imo et pectore suspiria; et flexis genibus sacrum codicem adorabat, et sanctos doctores exosculabatur. Dicam tandem vno verbo: nam alio cum mandatis vado, huius nostri coenobij, quod habet multas virgines sanctissimas prora et puppis in tua Catharina est. Vale.

EVBVLVS. Heus, quaeso te, Eudalia, vbi primum meam inuiseris Catharinam, dixeris illi, quaerat de nobis apud diuum Antonium, veram franciscanae religionis ideam suisque precibus parem animi constantiam impetret ab illo sponso suo quem summo iure mihi praetulit.

EVDVLIA. Isthuc est sapere; vale iterum in Christo.

2-708
D
1-313

EVLALIA, XANTHIPPE.

EVLALIA. Salue multum exoptatissima mihi Xanthippe.

XANTHIPPE. Salue tantudem mihi charissima Eulalia. Videre mihi solito formosior.

EVLALIA. Itane statim me scommate excipis?

119v) XANTHIPPE. Non profecto, / sed ita mihi videris.

EVLALIA. Fortasse noua vestis commendat formam.

---

3 forsam
17 scriuio

XANTHIPPE. Recte coniectas. Nihil iam diu vidi elegantius. Suspicor pannum esse Britannicum.

EVLALIA. Lana Britannica est, tinctura Veneta.

XANTHIPPE. Mollities byssum superat. Quam vero blandus purpurae color. Vnde tibi tam egregium munus?

EVLALIA. Vnde decet honestas matronas accipere, nisi a maritis suis?

XANTHIPPE. O te felicem, cui talis contigit sponsus. At ego vellem me nupsisse fungo, quum meo nuberem Nicolao.

EVLALIA. Quid ita, quaeso te? tam cito male conuenit inter vos?

XANTHIPPE. Nec vnquam conueniet cum tali. Vides quam sim pannosa, sic patitur vxorem suam incedere. Dispeream nisi saepe me prodire in publicum, cum video, quam cultae sint aliae, quae multo pauperioribus nupsere maritis.

EVLALIA. Matronarum ornatus non est in vestibus, aut reliquo corporis cultu, quemadmodum docet diuus Petrus apostolus (nam id audiui nuper in concione), sed in castis ac pudicis moribus, et in ornamentis animi. Meretrices coluntur oculis multorum;nos satis cultae sumus, si placeamus vni marito.

XANTHIPPE. Sed interim ille bonus vir, tam in vxorem parcus, strenue prodigit dotem, quam ex me non mediocrem accepit.

EULALIA. Quibus rebus?

XANTHIPPE. Quibus ipsi visum fuerit, vino, scortis, alea.

120r EVLALIA. / Bona verba.

XANTHIPPE. Atqui sic res habet. Deinde quum mihi temulentus ad multam noctem redit domum, diu expectatus, destertit noctem totam, nonnunquam et lectum conuomens, vt ne quid addam.

EVLALIA. St, teipsam dehonestas, cum dehonestas maritum.

XANTHIPPE. Emoriar nisi malim dormire cum scropha, quam cum tali marito.

EVLALIA. Non tu tum excipis illum iurgio.

XANTHIPPE. Ita vt dignus est, sentit me non esse mutam.

EVLALIA. Quid ille contra?

XANTHIPPE. Initio reclamabat suauissime, credens fore, vt me saeuis verbis protelaret.

EVLALIA. Nunquamne rixa incruduit vsque ad verbera?

XANTHIPPE. Semel duntaxat eo incaluerat vtrinque contentio, vt minimum res abfuerit a pugna.

---

29 Sice ipsam emendatum est in erratis

EVLALIA. Quid ego audio?

XANTHIPPE. Librabat fustem, saeuis interim clamoribus intonans, ac dira minitans.

EVLALIA. Non tibi metuebas tu?

XANTHIPPE. Imo vicissim ego corripiebam tripodem, si contigisset me digito, sensisset mihi non deesse manus.

EVLALIA. Nouum clypei genus. Deerat colus lanceae vice.

XANTHIPPE. Sensisset sibi cum viragine rem esse.

EVLALIA. Ah mea Xanthippe, non ita decet.

XANTHIPPE. Quid decet? Si ille me non habet pro vxore, nec illum habitura sum pro marito.

EVLALIA. At Paulus docet, vxores oportet subditas esse
(120v) viris cum omni reuerentia. / Et Petrus nobis exemplum proponit Saraе,quae maritum suum Abraham dominum appellabat.

XANTHIPPE. Audiui ista. Sed idem Paulus docet, vt viri diligant vxores suas, sicut Christus dilexit sponsam suam Ecclesiam. Meminerit ille officij sui, ego meminero mei.

EVLALIA. Sed tamen vbi res in eum statum deuenit, vt alteri cedendum sit, aequum est vxorem marito cedere.

XANTHIPPE. Si modo ille maritus est appellandus, qui me habet pro ancilla.

EVLALIA. Sed dic mihi, mea Xanthippe, post desijt minitare verbera?

XANTHIPPE. Desijt, et sapuit, alioqui vapulasset.

EVLALIA. Sed tu non desijsti rixari cum illo?

XANTHIPPE. Nec desinam.

EVLALIA. Quid ille interea?

XANTHIPPE. Quid? Nonnnunquam dormit, somnium hominis, interdum nihil aliud quam ridet. Aliquoties arripit testudinem, in qua vix tres habet fides, eam quantum potest pulsans, mihi vociferanti obstrepit.

EVLALIA. Ea res male vrit te?

XANTHIPPE. Sic, vt dici vix possit. Aliquando vix tempero a manibus.

EVLALIA. Mea Xanthippe, permittis mihi vt liberius loquar apud te?

XANTHIPPE. Permitto.

EVLALIA. Idem ius erit tibi apud me. Hoc certe postulat

---

6 degito
9 Ab mea

nostra necessitudo ab ipsis pene incunabulis inter nos inita.

XANTHIPPE. Vera narras, nec vlla sodalium vnquam charior fuit animo meo.

EVLALIA. Qualis qualis est tuus maritus, illud cogita,
121r non esse ius per-/lutandi. Olim immedicabilius dissidijs remedium erat diuortium. Nunc hoc in totum ademptum est. Vsque ad extremum vitae diem ille tutus sit maritus oportet, et tu illius vxor.

XANTHIPPE. Nescio cur durior est nostra conditio quam Iudaeorum.

EVLALIA. Sic visum est Christo; sic ex eius spiritu hausit Eccelsia, neque durius quicquam est.Sed quia charitatis lex magis exundat in Euangelio, quam in lege, noluit Christus diuortij technis imponi simplicioribus. Vincendum potius in bono malum, amoreque retinendi sunt coniuges, non libellorum formulis separandi. Quare nunc nihil superest nisi vt vterque ad alterius mores et ingenium, accommodando sese, concordiae studeatis.

XANTHIPPE. An ego possum illum refingere?

EVLALIA. Non minimum momenti est in vxoribus quales sint mariti.

XANTHIPPE. Pulchre conuenit tibi cum tuo?

EVLALIA. Nunc tranquilla omnia.

XANTHIPPE. Ergo turbarum nonnihil erat initio.

EVLALIA. Nihil vnquam tempestatis, sed tamen, vt fit inter homines, nonnunquam nubeculae quaedam oboriebantur, quae poterant gignere tempestatem, nisi commoditate morum fuisset occursum. Habet suos quisque mores, et est sua cuique sententia; et si verum fateri volumus, sunt sua cuique vitia, quae si vsquam, certe in matrimonio nouisse oportet, non odisse.

(121v) XANTHIPPE. / Recte mones.

EVLALIA. Fit autem frequenter, vt dissiliat beneuolentia mutua inter maritum et vxorem, antequam alter alteri satis notus sit. Id est in primis cauendum. Semel enim orta simultate aegre sarcitur gratia, praesertim si res ad atrocia conuitia processerit. Quae glutino committuntur, si statim concutias, facile distrahuntur; caetera vbi ficcato glutino semel

---

9-16 XA. Superi male faxint, qui ius hoc nobis ademerint.
EV. Bona verba, sic uisum est Christo.
XA. Vix credo.
EV. Sic habet. Nunc (1533,p.198) IF mut. (ASD,p.303)

26 aboriebantur

cohaeserint, nihil firmius. Proinde in initio nihil non faciendum, vt inter vxorem et laritum coalescat, confirmeturque beneuolentia. Id maxime fit obsequio, morumque commoditate. Nam beneuolentia, quae sola formae gratia conciliatur, ferme temporaria est.

XANTHIPPE. Sed narra nobis obsecro, quibus artibus petraxeris maritum ad tuos mores.

EVLALIA. Dicam in hoc, vt imiteris.

XANTHIPPE. Si queam.

EVLALIA. Facillimum erit, si velis, nec adhuc serum est. Nam et ille iuuenis est, et tu puella, ac nondum annus, opinor, expletus est a nupitjs.

XANTHIPPE. Vera paedicas.

EVLALIA. Dicam igitur, sed taciturae.

XANTHIPPE. Maxime.

EVLALIA. Illa prima mihi cura fuit vt in omnibus essem iucunda marito, ne quid esset, quod illius animum offenderet; obseruabam affectum ac sensum illius; obseruabam et tempora, et quibus rebus deliniretur, quibus irritaretur, quemadmodum
122r facere solent ij, qui / elephantos ac leones cicurant, aut similia animantia, quae vi cogi non possunt.

XANTHIPPE. Tale animal mihi domi est.

EVLALIA. Qui adeunt elephantos, non gestant vestem candidam; nec puniceam, qui tauros, quod his coloribus compertum sit ea animantia efferari. Quemadmodum et tigres tympanorum sonitu sic aguntur in rabiem, vt seipsas dilanient. Et qui tractant equos, habent voces, habent popismata, et palpum, aliaque quibus ferocientes mitigent. Quanto magis decet nos his artibus vti erga maritos, quibus cum nobis, velimus nolimus, per omnem vitam est tectum ac lectus communis?

XANTHIPPE. Perge quod coepisti.

EVLALIA. His animaduersis, attemperabam me illi, cauens ne quid offensas nasceretur.

XANTHIPPE. Quinam id poteras?

EVLALIA. Primum in cura rerum domesticarum, quae peculiaris est prouincia matronarum: aduigilabam, non solum cauens, ne quid esset praetermissum, verum etiam, vt omnia congruerent ad illius sensum, in rebus etiam minutissimis.

---

25 tygres emendatum est in erratis, sed inepte

XANTHIPPE. Quibus?

EVLALIA. Puta, si paritus hoc aut illo cibo peculiariter delectetur, si cibus placeat hoc aut illo modo coctus, si lectus hoc aut illo modo stratus.

XANTHIPPE. At quo pacto attemperares te ei, qui domi non esset, aut esset ebrius?

(122v) EVLALIA. / Mane, isthuc ibam. Si quando maritus videbatur admodum tristis, nec esset appellandi tempus, nequaquam ridebam ac nugabar, quemadmodum nonnullae mulieres solent, sed sumebam et ipsa vultum submoestum ac solicitum. Quemadmodum enim spectulum, si probum est, semper reddit imaginem intuentis, ita decet matrem familias ad affectum mariti congruere, ne sit alacris illo morente, aut hilaris illo commoto. Quod si quando commotior erat, aut blando sermone leniebam, aut silentio concedebam iracundiae, donec ea refrigerata, tempus se daret vel purgandi, vel admonendi. Idem faciebam, si quando plus equo potus redibat domum. Nec id temporis, nisi iucunda loquebar illi. Tantum blandicijs pertrahebam ad lectum.

XANTHIPPE: Infelix vero vxorum conditio, si iratis, ebrijs, et quicquid libet patrantibus maritis, tantum obsequentur.

EVLALIA. Quasi vero hoc non sit mutuum obsequium. Coguntur et illi multa ferre in moribus nostris. Est tamen tempus, quum in re seria fas est vxori monere virum, si quid est alicuius momenti, nam ad leuia praestat conuiuere.

XANTHIPPE. Quod tandem?

EVLALIA. Quum erit animo vacuo, nec commotus, nec solicitus, nec potus, tum absque testibus blande monendus, vel 123r rogandus potius, vt in hoc, aut / illo melius consulat rei, aut famae, aut valetudini suae. Atque haec ipsa admonitio, leporibus ac facetijs erit condienda. Nonnunquam praefatione ab illo stipulari soleo, ne mihi succenseret, si quid stulta mulier admonerem, quod ad illius honorem, aut valetudinem, aut salutem facere videretur. Vbi monuissem, quae volebam, amputaui sermonem illum, et ad alia iucundiora deflectabam. Est enim fere hoc nostrum vitium, mea Xanthippe, tu semel exorsae loqui, finem facere nequeamus.

XANTHIPPE. Aiunt.

EVLALIA. Illud in primis cauebam, ne praesentibus alijs maritum obiurgem aut, ne quid querelarum domo efferrem. Facilius sarcitur, si quid inter duos commissum est. Quod si quid extiterit eius generis, vt nec ferri possit, nec vxoris

admonitione sanari, ciuilius est, vt vxor querelam deferat ad parentes et cognatos mariti, et ita querelam temperet, ne videatur odisse maritum, sed vitium potius mariti. Nec tamen effutiat omnia, vt hic quoque tacitus agnoscat, et amet vxoris ciuilitatem.

XANTHIPPE. Philosopham esse oportet, quae ista praestet.

EVLALIA. Imo talibus factis maritos ad similem ciuilitatem inuitabimus.

XANTHIPPE. Sunt quos nulla ciuilitate corrigas.

EVLALIA. Equidem non arbitror, sed fac esse. Primum illud cogita, maritus ferendus est, qualis/qualis est. Praestabilius igitur est ferre, vel sui similem, vel paulo commodiorem factum nostra ciuilitate, quam nostra saeuitia peiorem in dies. Quid si proferam maritos, qui simili ciuilitate correxerunt sponsas suas? Quanto magis decet nos idem praestare aduersus maritos?

(123v)

XANTHIPPE. Narrabis igitur exemplum meo marito dissimillimum.

EVLALIA. Est mihi familiaritas cum homine quoddam nobile, docto, singularique morum dexteritate. Is duxerat puellam virginem, annos natam decem et septem, ruri in parentum aedibus perpetuo educatam, vt nobiles fere gaudent habitare ruri, ob venatum et aucupium. Rudem volebat ille, quo facilius illam ad suos mores fingere. Coepit eam instituere literis, ac musica, paulatimque assuefacere, vt redderet ea, quae audisset in concione, caeterisque rebus formare, quae post essent vsui futurae. Hac quoniam erant noua puellae, quae domi suae fuerat in summo ocio, et inter famulorum colloquia lususque educata, coeperunt esse taedio. Detractabat obsequium, et quum maritus vrgeret, illa sine fine flebat, nonnunquam et in terram abijciebat sese occipitium illidens solo, quasi mortem optans. Earum cum nullus fuisse finis, maritus dissimulato stomacho, inuitabat vxorem, ut animi relaxandi gratia vna

124r proficiscerentur rus / ad aedes soceri. Ibi lubens obtemperabat vxor. Eo quum ventum esset, maritus reliquit vxorem apud matrem et sorores. Ipse cum socero prodibat venatum. Ibi submotis testibus denarrat socero, se sperasse iucundam vitae sociam, nunc habere perpetuo lachrymantem ac sese discrutiantem, nec vllis monitis sanabilem, orat vt sibi adsit in me-

---

23 vollebat
38 haberi

dendo filiae mordo. Socer respondet se semel illi tradidisse filiam, quod si non obtemperaret verbis, vteretur suo iure, et verberibus eam emendaret. Quum gener: Noui, inquit, ius meum, sed malim eam tua vel arte, vel autoritate sanari, quam ad hoc extremum remedium venire. Socer pollicitus est se curaturum. Post vnum atque alterum diem captat tempus ac locum, vt solus esset cum filia. Ibi vultu ad seueritatem composito, incipit commemorare, quam illa esset infelici forma, quam non amabilius moribus, quam saepe metuisset, ne nullum illi posset inuenire maritum. Et tamen ego meo maximo labore, inquit, talem inueni tibi, qualem nulla non optaret sibi, quantumuis felix. Et tamen tu non agnoscens quid pro te fecerim, nec intelligens te talem habere maritum, qui nisi esset humanissimus, vix te dignaretur habere in ancillarum numero, rebellas illi. Ne longum faciam. Sic incanduit patris oratio, vt vix videretur (124v) manibus temperare. Est enim / vir ingenio mire vafro, qui citra personam omnem, posset quamuis agere coemodiam. Ibi puella partim metu, partim veritate commota, accidit patris genua, rogans vt praeteritorum vellet obliuisci, se in posterum memorem fore officij sui. Ignouit pater pollicitus se quoque fore patrem amantissimum, si quod polliceretur praestaret.

XANTHIPPE. Quid deinde?

EVLAVIA. Puella digressa a colloquio parentis, redit in cubiculum, offendit maritum solum, accidit illi ad genua, et ait: Marite, hactenus non noui neque te, neque meipsam, post hac videbis me aliam sponsam. Tantum obliuiscere superiorum. Hanc vocem maritus excepit osculo, et omnia pollicitus est, si illa persisteret eo animo.

XANTHIPPE. Quid? Perstitit?

EVLALIA. Vsque ad mortem, neque quicquam erat tam humile, quod illa non alacris ac volens obiret volente marito. Tantus amor inter eos natus est et confirmatus. Post annos aliquot, puella crebro sibi gratulata est, quod contigisset marito nubere, qui nisi contigisset, eram, inquit, omnium mulierum perdidissima.

XANTHIPPE. Talium maritorum non minus rara est copia, quam alborum coruorum.

EVLALIA. Iam si molestum non est, referam tibi quiddam,

---

11 nũ optaret

quod nuper accidit in hac ciuitate.

125r XANTHIPPE. Nihil est quod agam, et perquam / grata mihi est tua confabulatio.

EVLALIA. Est vir quidam non postremas nobilitatis. Is, vt solet hoc hominum genus, plerumque venabatur. Ruri incidit in puellam quandam pauperrimae mulierculae filiam. In eam coepit deperire, homo iam prouectioris aetatis. Atque huius gratia frequenter pernoctabat fore. Praetextus erat venatio. Vxor huius, mulier insigni probitate, nescio quid suspicans, perquestigauit furta mariti sui, et eo profecta, nescio quod, adijt casam illam rusticanam. Expiscata est de toto negotio, vbi dormiret, vnde biberet, quis esset apparatus conuiuij. Nihil erat ibi supellectilis, sed mera paupertas. Abit matrona domum, ac mox redijt, secum adducens lectum commodum, et apparatum, vasa aliquot argentea, addidit pecuniam, admonens vt si quanto rediret ille, tractarent eum ciuilius, dissimulans interim sese vxorem esse, ac sororem esse simulans. Post dies aliquot eo furtim maritus, videt auctam supellectilem, et apparatum lautiorem. Rogat vnde is nitor insolitus. Aiunt matronam quandam honestam illi cognatam haec aduexisse, ac mandasse, vt honestius posthac acciperetur. Ilico tetigit animum illius suspicio, vxoris hoc esse factum. Reuersus domum, rogat (125v) num illic fuisset, illa non negat. Rogauit et quo tandem / consilio misisset eo supellectilem. Mi vir, inquit, assuetus es vitae commodiori. Videbam illic te durius accipi, putabam esse officij mei,vt, quando ita tibi cordi est, lautius illic habereris.

XANTHIPPE. O matronam nimium bonam. Ego citius pro lecto substrauissem illi fasciculum vrticarum, aut tribulorum.

EVLALIA. Sed audi finam. Vir perspecta tanta probitate, tantaque mansuetudine coniugis suae, nunquam deinde vsus est furtiuo concubinatu, sed domi semet oblectauit cum sua. Scio tibi notum esse Gilbertum Batauum.

XANTHIPPE. Noui.

EVLALIA. Is vt scis, florenti aetate, duxit vxorem iam prouectiorem ac vergenti aetate.

XANTHIPPE. Dotem fortasse duxit, non vxorem.

EVLALIA. Sic est. Is fastidiens vxoris, adamabat mulierculam, cum qua se subinde oblectabat foris. Raro domi prandebat aut coenabat. Quid tu hic eras factura?

XANTHIPPE. Quid? Ego illi adamatae inuolassem in capillos, et maritum exeuntem ad illam perfudissem lotio, vt sic vunctus

iret ad conuiuium.

EVLALIA. At quanto haec prudentius? Inuitabat mulierculam domum suam. Comiter accipiebat. Ita maritum quoque sine veneficijs domum pertraxit. Et si quando foris coenabat cum illa, misit eo missum aliquem elegantiorem, iubens suauiter viuerent.

XANTHIPPE. Ego malim mori, quam esse lena mei mariti.

126r EVLALIA. / Verum interim rem ipsam expende. Nonne hoc multo satius erat, quamsi saeuitia sua prorsus alienasset maritum, ac totam aetatem in iurgijs exegisse.

XANTHIPPE. Fateor minus esse mali, sed ego non possem.

EVLALIA. Vnum adijciam, adque ita discedam ab exemplis. Hic vicinus noster, vir probus et integer, sed paulo iracundior, quodam die pulsauerat vxorem suam foeminam laudatissimam. Ea se recepit in intimum conclaue, atque illic lachrymas atque singultiens decoquebat animi aegritudinem. Aliquanto post per occasionem eodem ingressus est maritus. Reperit vxorem flentem. Quid, inquit, hic lachrymas ac singultis, puerorum more? Tum illa prudenter: Quid, inquit, an non hoc satius, vt hic deplorem malum meum, quam si in via vociferer, quemadmodum solent aliae mulieres? Hoc dicto vxorio fractus ac victus hominis animus, data dextra pollicitus est vxori, se posthac nunquam in illam coniecturum manus, nec fecit.

XANTHIPPE. Ego idem impetraui a meo diuersa ratione.

EVLALIA. Sed interim est inter vos bellum perpetuum.

XANTHIPPE. Quid igitur velles me facere?

EVLALIA. Primum mussanda est tibi omnis iniuria mariti, et animus illius officijs, comitate, mansuetudine, paulatim est conciliandus. Aut vinces tandem, aut certe commodiore vteris, quam nunc vteris.

(126v) XANTHIPPE. Ille ferocior est, / quam vt vllis officijs mansuescat.

EVLALIA. Eia, ne dixeris. Nulla est fera tam immanis, quin officijs cicuretur, ne disperes de homine. Fac periculum menses aliquot. Me accusa, nisi senseris consilium hoc tibi fuisse bono. Sunt etiam quaedam vitia, ad quae tibi conuiuendum est. Illud ante omnia tibi cauendum censeo, ne quid rixae moueas in cubiculo, aut in lecto, sed curandum est, vt illic omnia sint festiua ac iucunda. Etenim si is locus, qui dilucidis offensis, sartiendaeque gratiae consecratus est, lite aut aegritudine quapiam prophanetur, iam sublatum est omne remedium beneuolentiae reconciliandae. Sunt enim foeminae quaedam tam morosae, vt in ipso etiam coitu querantur ac rixentur,

eamque voluptatem, quae diluere solet ex animis virorum, si quid inerat molesti, morum fastidio reddant insuauem, pharmacum ipsum viciantes, cum licuisset mederi offensis.

XANTHIPPE. Istud mihi frequenter accidit.

EVLALIA. Atqui tametsi semper est cauendum vxori, ne quare molesta sit viro, tamen id maxime studere debet, vt in eo congressu se viro praebeat modis omnibus commodam et iucundam.

XANTHIPPE. Viro. Mihi cum belua res est.

EVLALIA. Mitte male loqui, fere nostra culpa viri mali sunt. Sed vt ad rem redeam: qui versantur in priscis fabulis
127r poetarum / narrant Venerem (eam faciunt deam connubij praesidem) habere cestum arte Vulcani confectum. In eo intextum esse quicquid est amatorij medicamenti, eo se cingit, quoties congressura est cum marito.

XANTHIPPE. Fabulam audio.

EVLALIA. Verum, sed audi quid tibi velit fabula.

XANTHIPPE. Dic.

EVLALIA. Illud docet, vxorem omnem curam adhibere oportet, vt in congressu connubiali iucunda sit marito, quo recalescat ac redintegretur amor ille maritalis, et discutiatur ex animo, si quid erat offensionis aut taedij.

XANTHIPPE. Sed vnde nobis cestus ille?

EVLALIA. Nihil opus veneficijs aut incantamentis. Nullum incatamentum efficatius, quam morum probitas cum suauitate coniuncta.

XANTHIPPE. Ego tali marito blandiri non possum.

EVLALIA. Ad hoc tua refert, vt desinat esse talis. Si Circes artibus posses maritum vertere in suem, aut vrsum, faceres?

XANTHIPPE. Nescio.

EVLALIA. Nescis? An malles habere suem maritum, quam hominem?

XANTHIPPE. Equidem malim hominem.

EVLALIA. Age, quid si Circes artibus posses ex tumulento reddere sobrium, ex prodigo frugalem, ex cessatore diligentem, nonne faceres?

XANTHIPPE. Plane facerem, sed vnde mihi istae artes?

EVLALIA. Atqui istas artes habes in te, si modo velis adhibere. Tuus, velis nolis, sit oportet. Quo meliorem eum
(127v) red/dideris, hoc magis consulueris tibi. Tu tantum oculos habes defixos in illius vitia, eaque tibi exaggerant odium, et hac ansa tantum arripis illum, qua teneri non potest. Illa

potius contemplare, quae bona sunt in illo, et hac ansa prehende illum, quae teneri potest. Antequam illi nuberes, tempus erat expendendi, quid haberet malorum. Oportebat enim non oculis solum, verum etiam manibus deligere. Nunc medendi tempus est, non accusandi.

XANTHIPPE. Quae mulier vnquam auribus coepit maritum?

EVLALIA. Oculis capit, quae nihil aliud spectat, quam corporis formam; auribus, quae diligenter obseruat, quid fama de illo praedicet.

XANTHIPPE. Pulchre mones, sed sero.

EVLALIA. At non serum est studere corrigendo marito. Ad eam rem conducet, si quid pignoris ex te natum fuerit viro.

XANTHIPPE. Iam natum est.

EVLALIA. Quando?

XANTHIPPE. Iam pridem.

EVLALIA. Quot menses sunt?

XANTHIPPE. Ferme septem.

EVLALIA. Quid ego audio? Tu nobis trimestris foetus iocum renouas?

XANTHIPPE. Nequaquam.

EVLALIA. Ita necesse est, si tempus a nuptiarum die supputas.

XANTHIPPE. Imo ante nuptias fuerat mihi cum eo colloquium.

EVLALIA. An ex colloquio nascuntur pueri?

XANTHIPPE. Forte solum nactus coepit alludere, titillans axillas et latera, quo me prouocet ad risum. Ego non ferens
128r titillationem, / me resupinabam in lectum, ille incumbens figebat oscula, nec satis scio, quid egerit praeterea. Certe paucis post diebus vterus coepit intumescere.

EVLALIA. I nunc et maritum contemne, qui si lusitans gignit liberos, quid faciet cum serio rem aget?

XANTHIPPE. Suspicor et nunc me grauidam esse.

EVLALIA. Euge, contigit felici fundo bonus cultor.

XANTHIPPE. Hac in parte plus praestat, quam vellem.

EVLALIA. Ista querela tibi cum paucis vxoribus est communis. Sed iam intercesserat pactum connubiale?

XANTHIPPE. Intercesserat.

EVLALIA. Leuius igitur peccatum est. Estne proles mascula?

XANTHIPPE. Est.

---

30 Tunc et

EVLALIA. Illa vos rediget in gratiam, si tu vel paululum temet accommodes. Quid alij praedicant de tuo marito, sodales, et quibuscum habet commertium foris?

XANTHIPPE. Praedicant eum esse moribus commodissimis, comem, liberalem, amicum amico.

EVLALIA. Et ista mihi bonam spem faciunt, illum fore qualem volumus.

XANTHIPPE. At mihi vni talis non est.

EVLALIA. Sed tu te illi praebeto, qualem dixi; meque pro Eulalia, voca Pseudolaliam, nisi tibi quoque talis esse coeperit. Quin et illud cogita, illum adhuc iuuenem esse, nondum opinor egressum annos viginti quatuor. Nondum nouit quid sit (128v) esse patrem familias. Iam non est tibi cogitandum / de diuortio.

XANTHIPPE. At frequenter cogitaui.

EVLALIA. Verum ea cogitatio si quando tibi inciderit mentem, primum reputa tecum, quam nihili res sit foemina, diuulsa a viro. Summum decus matronae est, morigeram esse suo coniugi. Ita natura comparatum est, ita voluit Deus, vt mulier tota pendeat a viro. Tantum cogita, id quod res est maritus est, alius non potest obtingere. Deinde veniat in mentem puellus ille duobus communis. Quid de illo statues? Auferes tecum? fraudabis maritum sua possessione. Relinques apud illum? spoliabis teipsam eo, quo nihil charius. Postremo dic mihi, habes ne quae tibi male velint?

XANTHIPPE. Habeo nouercam, germanam, praeterea socrum huic simillimam.

EVLALIA. Adeo tibi male volunt?

XANTHIPPE. Cuperent extinctam.

EVLALIA. Et istae tibi fac vt in mentem veniant. Quid enim illis possis facere gratius, quam si videant te diuulsam a marito, viduam, imo plus quam viduam viuere? Nam viduis licet alteri nubere.

XANTHIPPE. Equidem probo tuum consilium, sed taedet diutini laboris.

EVLALIA. At reputa quantum laborum sumpseris, prius quam hunc psittacum docueris quaedam humana verba sonare.

XANTIPPE. Plurimum profecto.

EVLALIA. Et piget operam sumere in fingendo marito, qui-

---

10 pseudolaliam
27 similimam
37 psitacum emendatum est in erratis

129r cum per-/petuo suauiter degas aetatem? Quantum laboris sumunt homines, vt equum sibi commodum reddant? Et nos pigebit adlaborare, vt maritis vtamur commodioribus?

XANTHIPPE. Quid faciam?

EVLALIA. Iam dixi. Cura vt domi niteant omnia, ne quid sit molestiae, quod illum exigat ex edibus. Tu te illi comem praebe, semper interim memor reuerentiae cuiusdam, quam vxor debet marito. Absit tristitia sed absit et petulantia. Nec putida sis, nec lasciua. Sit apparatus domi lautus. Nosti palatum mariti. Quod illi suauissimum est id coquito. Quin etiam ijs, quos illa amat, comem et affabilem te praebeto. Hos frequenter ad conuiuium voca. In conuiuio facito, vt laeta plenaque hilaritatis sint omnia. Denique si quando ille vino laetior pulsabit suam testudinem, tu voce accinito. Sic assuefacies maritum manere domi, et minues impensas. Sic enim cogitabit tandem: Nae ego insigniter insanio, qui foris magna rei famae que iactura, victitem cum scorto, quum domi habeam vxorem multo lepidiorem, meique amantiorem, apud quam nitidius ac lautius accipi liceat.

XANTHIPPE. An credis successurum, si tentem?

EVLALIA. Me vide. Ad me recipio. Interim et maritum tuum aggrediar, admonebo et illum sui officij.

(129v) XANTHIPPE. Laudo consilium. At vide, ne / quid huius rei subuoleat ipsi: miscere coelum terrae.

EVLALIA. Ne metue. Ita per ambages temperabo sermonem, vt ipse mihi narret, quid inter vos sit turbarum. Hoc facto, meo more tractabo blandissime, et vt spero tradam eum tibi commodiorem. De te per occasionem mentiar, quam amanter de illo sis loquuta.

XANTHIPPE. Christus bene fortunet, quod agimus.

EVLALIA. Aderit modo ne desis tibi.

LB 708-710
ASD 314-319

MILITIS ET CARTVSIANI

MILES. Salue, mi frater.

CARTVSIANVS. Salue et tu, germane charissime.

MILES. Vix te agnosco.

CARTVSIANVS. Adeone consenui intra bienum?

MILES. Non, sed caput rasum, noua vestis faciunt vt mihi

---

3 commedioirbus
9 aparatus
16 Ne emendatum est in erratis

videaris aliud quoddam animal.

CARTVSIANVS. Itane non agnosces vxorem tuam, si tibi occurreret induta noua veste?

MILES. Non, si tali.

CARTVSIANVS. At ego te probe agnosco, cui non solum vestis mutata est, verum etiam facies, totusque corporis habitus. Quot coloribus pictus es? Nulla auis aeque variat plumas suas. Tum quam omnia secta, quam nihil iuxta naturam, aut morem communem. Adde tonsum verticem, barbam semirasam, syluam quae supra labrum superius est perplexam, nec aliter hinc et hinc prominentem, quam solent in felibus pili longiores. Nec vna cicatrix foedauit vultum, vt Samius quispiam literatus
130r videri possis, / de quo iocus est prouerbij.

MILES. Sic decet redire e bello. Sed dic mihi, erat hic tanta bonorum medicorum inopia?

CARTVSIANVS. Quam ob rem?

MILES. Quia nulli commiseris sanandum cerebrum tuum, prius quam in hanc seruitutem te praecipitem dares.

CARTVSIANVS. Itane videor insanisse?

MILES. Maxime. Quid erat necesse hic te sepeliri ante tempus, quum esset vnde commode viueres in mundo?

CARTVSIANVS. An nunc non videor tibi in mundo viuere?

MILES. Non, per Iouem.

CARTVSIANVS. Dic quam ob rem.

MILES. Quia non licet ambulare, quo velis. Huic loco velut caueae includeris. Adde rasuram, vestem prodigiosam, solicitudinem, piscium perpetuum esum, vt mirer teipsum non verti in piscem.

CARTVSIANVS. Si verterentur homines in omnia quibus vescuntur, tum iam pridem porcus esses. Nam suilla soles delectari.

MILES. Non dubito quin iamdudum poeniteat te instituti; paucos enim comperio quos non capiat poenitudo.

CARTVSIANVS. Hoc illis vsu venit, qui se in hoc vitae genus veluti in puteum praecipitant. Ego descendi sensim et consulto, prius explorato meipso, perspectaque tota huius vitae ratione, iam annos natus viginti octo, qua aetate sibi quisque notus esse potest. Quod ad locum attinet, tu quoque loco angusto concluderis, si totius mundi consideres ampli-
(130v) tudinem. Nec refert, quam spaciosus sit / locus, modo nihil desit ad vitae commoditatem. Multi raro aut nunquam exeunt

ciuitatem, in qua nati sunt. Qui si vetarentur exire, magnopere sibi displicerent, et incesseret illis mira libido relinquendae ciuitatis. Hic affectus vulgaris est quo ego careo. Imaginor hic totum esse mundum et haec tabula mihi totum terrarum orbem representat, quem ego cogitatione iucundius simul et tutius perambulo, quam is qui nauigauit ad nouas insulas.

MILES. Hic tu propemodum dicis verum.

CARTVSIANVS. Rasuram damnare non potes, qui volens tondearis vtique commoditatis gratia. Mihi rasura, si nihil aliud certe reddit caput purius ac fortasse salubrius. Venetiae quam multi patricij totum etiam caput radunt? Quid autem habet prodigiosum vestis? Nonne tegit corpus? Ad duplicem vsum adhibetur vestis, vt depellatur iniuria coeli, eaque velet, quae pudor iubet tegi. An non hos vsus praebet haec vestis? Sed offendit color. Quis color magis decet omnes Christianos, quam is qui datus est omnibus in baptismo? Dictum est tibi quoque: accipe vestem candidam. Haec itaque vestis admonet me, quid promiserim in baptismo, nimirum innocentiae perpetuum studium. Porro solitudinem si vocas turbae fugam, hoc exemplum est non nostrum, sed veterum prophetarum, atque etiam philoso
131r pharum / ethnicorum, et quisbuscunque bonae mentis cura fuit; imo poetae, astrologi, ac similibus artibus dediti, quoties aliquid magni ac supra vulgus hominum moliuntur, secessum quaerere solent. Quur autem vocas hanc solitudinem? Vnius amiculi confabulatio pellit solitudinis taedium. Hic habeo sodales omnium rerum plus quam sedecim. Ad haec interuisunt amici, crebrius quam vellem, aut expedit, et tibi videor in solitudine viuere?

MILES. At non semper licet cum his confabulari.

CARTVSIANVS. Nec semper expedit. Atqui hoc iucundior est confabulatio, quod voluptatis gratiam augeat interrupta copia.

MILES. Non pessime coniectas. Nam mihi quoque suauiores sunt carnes reuoluto Pascha post Quadragesimam.

CARTVSIANVS. Nec interim tamen, quum maxime videor solus desunt mihi confabulones, longe festiuiores ac suauiores istis vulgaribus congerronibus.

MILES. Vbi sunt?

CARTVSIANVS. Vides hic codicem Euangelicum. In hoc mecum

---

20 veturum
24 solituninẽ
33 pascha post quadragesimam
38 euangelicum

fabulatur ille, qui olim additus facundus comes in via duobus discipulis profiscentibus in Emauntem, effecit vt non sentirent itineris laborem, sed sentirent dulcissimum cordis ardorem, inhiantes mellitis illius sermonibus. In hoc mihi loquitur Paulus, in hoc Esais, caeterique prophetae. Hic mecum con
(131v) fabulatur dul/cissimus ille Chrysostomus. Hic Basilius. Hic Augustinus. Hic Hieronymus. Hic Ciprianus, caeterique non minus eruditi, quam facundi doctores. An nosti vllos amoenos con fabulones, quos cum his conferas? An in tali sodalitio, quod mihi nunquam non adest, reputas obtepere posse solitudinis taedium?

MILES. Mihi frustra loquerentur non intellecturo.

CARTVSIANVS. Iam quid refert, quibus rebus hoc corpusculum alitur, cui minimo satisfacit, si iuxta naturam viuamus? Vter nostrum habitior, tu qui vesceris perdicibus, fasianis et capis, an ego, qui viuo piscibus?

MILES. Si tibi esset vxor, vt mihi est, manus haberes succi.

CARTVSIANVS. Et ideo sufficit quilibet cibus et quantumuis exiguus.

MILES. Sed interim agitas vitam Iudaicam.

CARTVSIANVS. Bona verba. Christianam potius vitam sequimur, quam vt assequamur, mundi tumulus fugimus.

MILES. In veste, cibo, preculis, caeterisque ceremonijs ponitis fiduciam, neglecto studio pietatis Euangelicae.

CARTVSIANVS. Nemo est qui istis totam religionis rationem tribuat. Externa sunt haec, non quae faciant religiosum, sed quae deceant. Ego istis, vt non confido, ita non contemno. In Euangelica pietate sacram ancoram pietatis facio, et in Christo colloco fiduciam. Reddidi tibi rationem mei consilij.

---

6 Chrysostumos
14 alatur (1533,p.214) IF mut. (ASD,p.316)
22-23 CA. Bona uerba. Christianam si non assequimur, certe sequimur.(1533,p. 214) IF mut. (ASD,p.316)
25 euangelicae
26-29 CA. Quid alij faciant, non est meum iudicare: ego his rebus nequaquam confido, minimumque tribuo, sed in animi puritate et in Christo colloco fiduciam.
MI. Cur igitur obseruas?
CA. Vt mihi pax sit cum fratribus meis, et ne cui quoquo modo sim offendiculo. Nolim autem offendere quenquam ob huiusmodi res leuiculas, quas nihil est negocij seruare. Vt sumus homines quacunque ueste tecti, minutissimarum etiam rerum similitudo aut dissimilitudo conciliat aut dirimit concordiam. Rasum caput, aut uestis color, per se quidem non commendat me deo. Sed quid diceret populus, si comam alerem, aut tuam istam uestem sumerem? (1533,p.214) IF mut et om. (ASD,p.316-317)

132r Nunc quaeso, vt mihi vicissim tui con/silij rationem reddas, dicasque vbi cessarint omnes boni medici, quum relicta domi vxore iuuencula et liberis proficisceris in militiam vili salario conductus ad iugulandus homines, idque tui quoque capitis periculo. Neque enim tibi res erat cum fungis aut papauer-
5 ribus sed cum armatis viris. Vtrum vero putas infelicius iugulare Christianum hominem ob mescedulam, a quo nunquam sis laesus, aut teipsum simul et corpus et animam in aeternum exitium mittere?

10 MILES. Fas est occidere hostem.

CARTVSIANVS. Fortassis est, si impetat patriam tuam. Tum pium videri potest, pugnare pro liberis et vxore, pro parentibus et amicis, pro aris et focis, pro tranquilitate publica. Quid istuc ad tuam militiam mercenariam? Ego, si perisses in
15 hoc bello, non redemissem animam tuam vitiosa nuce.

MILES. Non?

CARTVSIANVS. Non,ita me Christus bene amet. Iam vtrum existimas durius, obedire bono viro, quem nos priorem vocamus, qui vocet ad preces, ad sacram lectionem, ad doctrinam
20 salutarem, ad psallendum Deo, an obedire barbaro cuipiam centurioni, qui saepe magnis ac nocturnis itineribus vocet quo lubet ac reuocet; qui bombardarum ictibus obijciat, qui iubeat testare loco, aut occisurum, aut occidendum?

MILES. Minus narras, quam res habeat malorum.

25 CARTVSIANVS. Si quid ego deflexero a disciplina huius instituti, poena est admonitio aut aliud leue quiddam. Tibi,
(132v) si quid committas aduersus / leges imperatorias, aut pendendum est, aut nudo inter intentatas in te lancearum cuspides eundem. Nam plecti capite beneficium est.

30 MILES. Non possum refragari veris.

CARTVSIANVS. Iam cultus iste satis indicat te non multum nummorum referre domum.

MILES. Nummorum mihi iam pridem ne pilus quidem fuit, imo multum aeris alieni conflaui. Proinde huc deflexi, vt me
35 instruas viatico.

CARTVSIANVS. Vtinam huc deflexisses, cum properares in sceleratam istam militiam. Sed vnde tanta nuditas?

MILES. Rogas vnde? Quicquid ex salario, quicquid ex praedationibus, sacrilegijs, rapinis, furtis parare licuit, id to-
40 tum assumebatur in vina, scorta, et aleam.

CARTVSIANVS. O te miserum. Et interim vxorcula, cuius

gratia Deus iussit relinqui patrem et matrem, domi moerabat deserta cum paruis liberis. Et interea tibi videaris viuere in tantis sceleribus?

MILES. Hoc fallebat sensum malorum, quod innumeros haberem malorum socios.

CARTVSIANVS. Quin illud vereor, ne vxor te non agnoscat.

MILES. Qui sic?

CARTVSIANVS. Quia sic cicatrices pinxerunt tibi nouam faciem. In fronte quam fossam habes? Videtur tibi exectum fuisse cornu.

MILES. Imo si rem nosses, gratulareris mihi hanc cicatricem.

CARTVSIANVS. Quam ob rem?

133r MILES. Minimo minus aberat, / quin perierim.

CARTVSIANVS. Quid erat mali?

MILES. Cuidam tendenti rupta est balista chalybea, eius fragmentum insilijt in frontem.

CARTVSIANVS. Et in bucca cicatricem habes palmo longiorem.

MILES. Hoc vulnus accepi in pugna.

CARTVSIANVS. Bellica?

MILES. Non, inter aleam ortum est dissidium.

CARTVSIANVS. Iam in mento video nescio quid gemmarum.

MILES. Nihil est.

CARTVSIANVS. Suspicor tibi contractam scabiem, quam vocant Hispanicam.

MILES. Recte diuinas, mi frater. Tertium ea laboraui vsque ad vitae periculum.

CARTVSIANVS. Vnde hoc mali accidit tibi, vt sic incuruus incedas, quasi esses nonagenarius, aut quasi messor quispiam, aut quasi delumbatus esses fuste?

MILES. Morbus ita contraxit neruos.

CARTVSIANVS. Nae hic magnificam passus es metamorphosin. Ante hac eras eques, nunc ex centauro factus es animal semireptile.

MILES. Haec nimirum est alea Martis.

CARTVSIANVS. Imo haec est insania tuae mentis. Quas vero manubias vxori tuae, liberisque tuis referes domum? lepram? Nam ista scabies nihil aliud est quam leprae species. Nisi quod vitatur quia multorum est communis, praecipue nobilium. At ob hoc ipsum magis debebat vitari. Nunc istud malum affricabis

---

1 deus

ijs, qui tibi debuerant esse charissimi. Et ipse per omnem vitam putre cadauer circunferes.

(133v) MILES. Quaeso te frater vt de/sinas, satis malorum est, etiamsi non accedat obiurgationis molestia.

CARTVSIANVS. Quotam autem malorum partem commemorauι? Ista corporis duntaxat sunt. Iam animam vero qualem reportas, quanta scabie putrem, quot vulneribus sauciam?

MILES. Tam puram refero, quam est cloaca Parisijs in via, quae dicitur Maberti, aut latrina publica.

CARTVSIANVS. Vereor, ne multo peius oleat apud Deum, et angelos eius.

MILES. Sed iam rixae satis est. Dic aliquid de sarciendo viatico.

CARTVSIANVS. Mihi nihil est quod dem, experiar quid velit prior.

MILES. Atqui si quod daretur, essent tibi paratae manus. Nunc multae obstant difficultates, quando numerandum est aliquid.

CARTVSIANVS. Quis alij faciant ipsi viderint, mihi nec ad accipiendum, nec ad dandum sunt manus. Verum de his a pran dio. Nunc tempus monet, vt accumbamus.

LB 710-712
ASD 320-324

PSEVDOCHEI ET PHILETYMI

PHILETYMVS. Vnde tibi scatet tanta mendaciorum vis?

PSEVDOCHEVS. Vnde suppetunt araneae fila?

PHILETYMVS. Non est igitur artis, sed naturae?

PSEVDOCHEVS. A natura profecta sunt semina. Ars et vsus anxere facultatem.

PHILETYMVS. Non te pudet?

PSEVDOCHEVS. Non magis quam coccycem suas cantionis.

PHILETYMVS. At tibi in manu est mutare cantionem tuam, et in hoc est homini data lingua, vt vera praedicet.

134r PSEVDOCHEVS. Imo vt conducibi-/lia. At non semper expedit vera dicere.

PHILETYMVS. Ita nonnunquam conducit habere manus furaces. Et hoc vitium esse tuo cognatum, testatur etiam populare prouerbium.

PSEVDOCHEVS. Vtrumque vitium honestis nititur autoribus;

---

7 quod emendatum est in erratis

illud habet Vlyssem tantopere laudatum ab Homero, hoc Mercurium etiam deum, si poetis credimus.

PHILETYMVS. Cur igitur vulgus execratur mendaces, fures etiam subiguntur in crucem?

PSEVDOCHEVS. Non ideo quod mentiantur, aut furentur, sed quod inscite mentiantur aut furentur, vel quia praeter naturam, vel quia non satis callentes artem.

PHILETYMVS. Estne scriptor quispiam, qui tradit artem mendiendi?

PSEVDOCHEVS. Bonam artis partem monstrauere tui rhetores.

PHILETYMVS. Hi quidem tradunt artem bene dicendi.

PSEVDOCHEVS. Verum, sed bona pars bene dicendi est, scite mentiri.

PHILETYMVS. Quid est scite mentiri?

PSEVDOCHEVS. Vis definiam?

PHILETYMVS. Volo.

PSEVDOCHEVS. Est ita mentiri, vt lucro sit, nec deprehendi possis.

PHILETYMVS. At quotidie deprehendentur multi.

PSEVDOCHEVS. Isti non sunt artifices absoluti.

PHILETYMVS. Es igitur tu absolutus artifex?

PSEVDOCHEVS. Propemodum.

PHILETYMVS. Experire, an me possis mentiendo fallere.

PSEVDOCHEVS. Et te quoque possim vir optime, si libeat.

PHILETYMVS. Dic igitur aliquod mendatium.

PSEVDOCHEVS. At iamdixi. Non deprehendisti?

PHILETYMVS. Non.

PSEVDOCHEVS. Age, fac sis attentus. Nunc incipiam mentiri. /

(134v) PHILETYMVS. Sum attentus, dic aliquid.

PSEVDOCHEVS. At iam iterum mentitus sum, te non deprehente.

PHILETYMVS. Equidem nihil adhuc audio mendacij.

PSEVDOCHEVS. Audisses, si calleres artem.

PHILETYMVS. Proinde commonstra tu.

PSEVDOCHEVS. Primum appellaui te virum optimum. An non isthuc est insigne mendacium, quum ne bonus quidem sis, et si bonus sis, optimus dici non possis, quum sint innumeri te meliores?

---

2 Deum

PHILETYMVS. Hic plane fefelleras.

PSEVDOCHEVS. Iam fac periculum, an possis alterum mendacium ex te deprehendere.

PHILETYMVS. Non possum.

PSEVDOCHEVS. Hic desidero ingenium, quod alibi praestas.

PHILETYMVS. Fateor, ostende tu.

PSEVDOCHEVS. Quum dicerem: Nunc incipiam mentiri, nonne magnifice mentiebar, quum tot annos asseuerim mentiri, et paulo ante quam hoc dicerem, essem mentitus?

PHILETYMVS. Mirum praestigium.

PSEVDOCHEVS. Sed nunc saltem monitus arriges aures, vt deprehendas mentientem.

PHILETYMVS. Arrexi. Dic.

PSEVDOCHEVS. Imo iam dictum est, et tu meum mendacium es imitatus.

PHILETYMVS. Tu mihi persuaderis, quod nec aures habeam, nec oculos.

PSEVDOCHEVS. Quum homini sint aures immobiles vt nec arrigi possint, nec demitti, mentiebar te arrecturum aures.

PHILETYMVS. Talibus mendacijs plena est omnis hominum vita.

PSEVDOCHEVS. Non talibus tantum, o bone. Nam haec ludicra sunt. Sunt quae rem adferant.

135r PHILETYMVS. Turpius est lucrum ex mendacio, / quam ex lotio.

PSEVDOCHEVS. Verum est, inquam, sed ijs qui mentiendi nesciunt artem.

PHILETYMVS. Quam igitur tu calles artem?

PSEVDOCHEVS. Non aequum est, vt de gratis doceam. Numera et audies.

PHILETYMVS. Non emo malas artes.

PSEVDOCHEVS. Donas igitur gratis fundum tuum?

PHILETYMVS. Non sic insanio.

PSEVDOCHEVS. At ego ex hac arte mea certiores capio fructus, quam tu ex tuo fundo.

PHILETYMVS. Manebit tibi ars tua. Tantum profer specimen, vt intelligam non omnino vanum esse, quod dicis.

PSEVDOCHEVS. Accipe igitur specimen. Multis multorum negotijs memet admisceo. Emo, vendo, recipio, sumo mutuo, acci-

---

15 immitatus

pio depositum.

PHILETYMVS. Quid tum postea?

PSEVDOCHEVS. Atque hic potissimum capto eos, a quibus non facile deprehendar.

PHILETYMVS. Quos?

PSEVDOCHEVS. Stupidos, obliuiosos, incogitantes, longe semotos, et mortuos.

PHILETYMVS. Certum est mortuos neminem redarguere.

PSEVDOCHEVS. Si quid cui vendo in diem, diligenter annoto in libellis rationum.

PHILETYMVS. Quid deinde?

PSEVDOCHEVS. Vbi reddenda est pecunia, plus imputo mercium emptori, quam acceperit. Is si incogitans est, aut obliuiosus, mihi certum est lucrum.

PHILETYMVS. Quid si deprehendat?

PSEVDOCHEVS. Profero liberum rationalem.

PHILETYMVS. Quid si is doceat et euincat, se non accepisse, quod imputas?

PSEVDOCHEVS. Reclamo quantum possum. Nam in hac arte prorsus inutilis est pudor. Denique extrema ancora est, vt aliquid/
(135v) comminiscar.

PHILETYMVS. Quid palam deprehensus?

PSEVDOCHEVS. Nihil est facilius. Errauit famulus, aut ipse lapsus sum memoria. Scitum est multas simul miscere rationes. Hic facilius est imputare. Exempli causa. Sunt quaedam dispuncta, quod soluta sit pecunia. Sunt alia, pro quibus nihil numeratum est. Haec in posterioribus codicillis misceo, sic vt nihil dispungam. Vbi supputatur, contendimus, et vinco plerumque vel periurio. Est et hoc artis, fere rationem in eo cum accincto ad iter et imparato. Nam mea mihi semper parata sunt. Deponitur aliquid apud me, seruo clam apud me, nec reddo. Longum est prius quam resciscat ille, ad quem res missa est. Tandem si non licebit inficiari, dico mihi perisse, aut contendo me misisse, quod non misi, incuso aurigas. Postremo si vitare non possum, quin reddam, reddo accisum.

PHILETYMVS. Bella vero ars.

PSEVDOCHEVS. Nonnunquam eodem nomine bis accipio pecuniam si liceat. Primum domi, deinde illic quo proficiscor. Et nusquam non sum. Interim tempus inducit obliuionem. Confunduntur

---

10 libelis

rationes. Aliquis moritur, aut suspicit longinquam peregrinationem, vt omnia pessime cadant, saltem interim vsus sum aliena pecunia. Nonnullos etiam capto specie benignitatis, vt
136r faueant men/tienti, seu semper de alieno. De meo nec matri darem teruncium. Quanquam autem in singulis videatur luorum exiguum, ex multis tamen (multis etiam memet, vt dixi, misceo) nascitur a ceruus haud quaquam poenitendus. Porro ne deprehendar, quum multae sunt technae, tum illa praecipua. Omneis omnium epistolas quas possum intercipio, resigno ac lego. Si
10 quid obfuturum suspicor, premo, aut si reddo, suo tempore. Ad haec inter longo semotos interuallo mendacijs meis sero simultatem.

PHILETYMVS. Quis istinc vsus?

PSEVDOCHEVS. Geminus. Primum, si non praestatur, quod alterius nomine promissi, et quo nomine munus etiam accepi, nam fumos huiusmodi magno vendo, fingo per illum aut illum stetisse, quo minus perfectum sit.

PHILETYMVS. Quid si neget ille?

PSEVDOCHEVS. Is procul abest, puta Basileae; ego polliceor in Anglia. Deinde fit, vt orta simultate neuter alteri credat, si quid incuser. Habes specimen artis.

PHILETYMVS. At istam artem non crassiores solemus vocare furtum qui ficum vocamus ficum, et scapham scapham.

PSEVDOCHEVS. O hominem iuris caesari rudem. An licet intendere actionem furti ei, qui suppressit depositum, aut qui abiurat mutuum, aut simili techna imposuit?

PHILETYMVS. Oportuit.

PSEVDOCHEVS. Proinde vide prudentiam artificium. Ex his
(136v) plus est lucri / aut certe tantudem et minus est periculi.

PHILETYMVS. Male sit tibi cum tuis technis ac mendacijs. Non enim libet dicere: vale.

PSEVDOCHEVS. Tu ringere cum tua pannosa veritate, ego interim suauiter agam cum meis furtis ac mendacijs, dextro Vlysse ac Mercurio.

LB
712-715
ASD
325-332

NAVFRAGIVM

ANTONIVS, ADOLPHVS

ANTONIVS. Horrenda narras. Est isthuc nauigare? Prohibeat Deus, ne mihi quicquam vnquam tale veniat in mentem.

ADOLPHVS. Imo quod hactenus memoraui lusus merus est, prae his quae nunc audies.

ANTONIVS. Plus satis malorum audiui: inhorresco te memorante, quasi ipse periculo intersim.

ADOLPHVS. Imo mihi iucundi sunt acti labores. Ea nocte quiddam accidit, quod magna ex parte spem salutis ademit nauclero.

ANTONIVS. Quid, obsecro?

ADOLPHVS. Nox erat sublustris, et in summo malo stabat quidam e nautis in galea, sic enim vocant opinor, circumspectans, si quam terram videret. Huic coepit assistere sphaera quaedam ignea; id nautis tristissimum ostentum est, si quando solitarius ignis est, felix quum gemini. Hos vetustas credidit Castorem et Pollucem.

ANTONIVS. Quid illis cum nautis, quorum alter fuit eques, alter pugil?

ADOLPHVS. Sic visum est poetis. Nauclerus qui clauo assi-
137r de/bat: Socie, inquit, (nam eo nomine se mutuo compellant nautae), videsne, quod sodalitium tibi claudat latus? Video, respondit ille, et precor vt sit felix. Mox globus igneus delapsus funes, deuoluit sese vsque ad nauclerum.

ANTONIVS. Num ille examinatus est metu?

ADOLPHVS. Nautae assueuere monstris. Ibi paulisper commoratus voluit se per margines totius nauis. Inde per medios foros dilapsus euanuit. Sub meridiem coepit magis ac magis incrudesceret tempestas. Vidistine vnquam Alpes?

ANTONIVS. Vidi.

ADOLPHVS. At illi montes verrucae sunt, si conferantur ad vndas maris. Quoties tollebamur in altum, licuisset lunam digito contingere; quoties dimittebamur, [videbamur] dehiscente terra ire in Tartara.

ANTONIVS. O insanos qui credunt se mari.

ADOLPHVS. Nautis frustra luctantibus cum tempestate, tan

---

4 deus
34 videbamur omittitur (1533,p.222) (ASD,p.326)

dem nauclerus totus pallens nos adijt.

ANTONIVS. Is pallor praesagit aliquod magnum malum.

ADOLPHVS. Amici, inquit, desij esse dominus nauis meae. Vicere venti, reliquum est, vt spem nostram collocemus in Deo, et quisque se paret ad extrema.

ANTONIVS. O vere Scythicam concionem.

ADOLPHVS. In primis autem, inquit, exoneranda est nauis. Sic iubet necessitas, durum telum; praestat consulere vitae dispendio rerum quam simul cum rebus interire. Persuadit ve-
(137v) ri/tas. Proiecta sunt in mare plurima vasa, plena preciosis mercibus.

ANTONIVS. Hoc erat vere iacturam facere.

ADOLPHVS. Aderat Italus quidam, qui legatum egerat apud regem Scotiae. Huic erat scrinium plenum vasis argentis, anulis, panno, ac vestimentis sericis.

ANTONIVS. Is nolebat decidere cum mari?

ADOLPHVS. Non, sed cupiebat aut perire cum amicis omnibus suis, aut simul cum illis seruari. Itaque refragabatur.

ANTONIVS. Quid nauclerus?

ADOLPHVS. Per nos, inquit, liceret tibi cum tuis perire solum, sed aequum non est, vt nos omnes tui scrinij causa periclitemur. Alioqui te vna cum scrinio dabimus in mare praecipitem.

ANTONIVS. Orationem vere nauticam.

ADOLPHVS. Sed Italus quoque iacturam fecit, multa mala precans et superis et inferis, quod suam vitam elemento tam barbaro credidisset.

ANTONIVS. Agnosco vocem Italicam.

ADOLHPVS. Paulo post venti nihilo mitiores facti nostris muneribus, rupere funes, disiecere vela.

ANTONIVS. O calamitatem.

ADOLPHVS. Ibi rursus nos adit nauta.

ANTONIVS. Concionaturus?

ADOLPHVS. Salutat: Amici, inquit, tempus hortatur, vt vnusquisque Deo se comendet, ac morti se praeparat. Rogatus a quibusdam nauticae rei non imperiti, ad quot horas se crederet posse tueri nauem, negauit se posse polliceri quicquam, sed
138r vltra / tres horas non posse.

ANTONIVS. Haec concio durior etiam erat priore.

ADOLPHVS. Haec vbi loquutus est, iubet incidi funes omnes ac malum vsque ad thecam, cui inseritur, incidi serra, ac simul cum antheris deuolui in mare.

6 Quere

ANTONIVS. Cur hoc?

ADOLPHVS. Quoniam sublato aut lacero velo erat oneri non vsui; tota spes erat in clauo.

ANTONIVS. Quid interea vectores?

ADOLPHVS. Ibi vidisses miseram rerum faciem, nautae canentes "Salue regina",implorabant matrem Virginem, appellantes eam stellam maris, reginam coeli, dominam mundi, portam salutis, alijsque multis titulis illi blandientes quos e sacris literis piae mentes collegerunt. Nam quid non est praeclarum ac diuinum quae mater Dei est? Portus profecto salutis est quae mater est Iesu.Et spes igitur nostra et mundi domina.

ADOLPHVS. Nonnulli procumbentes in tabulas adorabant mare, quicquid erat olei effundentes in vndas, non aliter illi blandientes, quam solemus irato principi.

ANTONIVS. Quid aiebant?

ADOLPHVS. O clementissimum mare, o generosissimum mare, o ditissimum mare, o formosissimum mare, mitesce, serua. Huiusmodi multa occinebant surdo mari.

ANTONIVS. Ridicula superstitio. Quid alij?

(138v) ADOLPHVS. Quidam nihil aliud quam vome-/bant, plerique vota nuncupabant. Aderat Anglus quidam, qui promittebat montes aureos Virgini Vualsamgamicae, si viuus attigisset terram. Alij multa promittebant ligno crucis, quod esset in tali loco, alij rursum quod esset in tali loco. Idem factum est de Maria virgine, quae regnat multis in locis, et putant votum irritum, nisi locum exprimas.

ANTONIVS. Fides est quae miracula operatur. Vnde sit vt quibusdam in locis diui sint praesentiores. Non quod in coelo non agant, sed quod in terris magis aut minus hic quam illic candido piorum pectore solicitentur.

ADOLPHVS. Erant qui se promitterent fore Cartusianos. Erat vnus, qui polliceretur se aditurum diuum Iacobum, qui habitat Compostellae, nudis pedibus et capite, corpore tantum lorica ferrea tecto, ad haec cibo emendicato.

ANTONIVS. Nemo meminit Christophori?

---

6 virginem

8-11 quos nusquam illi tribuunt sacrae literae.
AN. Quid illi cum mari, quae nunquam opinor nauigauit?
AD. Olim Venus agebat curam nautarum, quia nata credebatur ex mari: ea quoniam desijt curare, suffecta est huic matri non uirgini uirgo mater.
AN. Ludis. (1533,p.224) IF mut (ASD,p.327)

8 blandentes

27-30 AN. Ridiculum, quasi diui non habitent in coelis. (1533, p.224) IF mut. (ASD,p.328)

ADOLPHVS. Vnam audiui non sine risu, qui clara voce, ne non exaudiretur, polliceretur Christophoro, qui est Lutetiae in summo templo, mons verius quam statua, cereum tantum, quantus esset ipse. Haec quum vociferans, quantum poterat, idem tidem inculceret, qui forte proximus assidebat illi notus, cubito tetigit eum, ac submouit: Vide quid pollicearis, etiam
139r si rerum omnium tuarum aucti-/onem facias, non fueris soluendo. Tum ille voce iam pressiore, ne videlicet exaudiret Christophorus: Tace, inquit, fatue, an credis me ex animi sententia loqui? Si semel contingere terram, non daturus sum illi candelam sebaceam.

ANOTNIVS. O crassum ingenium et impium; suspicor fuisse Batauum.

ADOLPHVS. Non, sed erat Zelandus.

ANTONIVS. Miror nulli in mentem venisse Paulum apostolum, qui ipse olim nauigarit, et fracta naui desilierit in terram. Is enim haud ignarus mali didicit miseris succurrere.

ADOLPHVS. Pauli nulla erat mentio.

ANTONIVS. Precabantur interim?

ADOLPHVS. Certatim. Alius canebat "Salue regina", alius "Credo in Deum". Erant qui peculiares quasdam preculas habebant, pias aduersus pericula.

ANTONIVS. Vt afflictio facit religiosos. Rebus secundis nec Deus, nec diuus quisdam nobis venit in mentem. Quid tu interea? Nulli diuorum nuncupabas vota?

[ADOLPHVS]. Nullum diuorum praetermittebam. Reuocabam in mentem, quaequisque egisset in vita, et me transactae vitae meae poenitebat, quam tam longe ab illorum praescripto transegeram. Ab ijs recta tendebam ad patrem, dicens: Pater noster qui es in coelis. Nemo diuorum illo citius audit, aut libentius donat, quod petitur.

---

12 ingeni
16 desederit in terram
22 non dissimiles magicis (1533,p.225) IF mut. (ASD,p.328)
25-26 nuncupabas Vota. Nullum
26-29 AD. Nequaquam.
AN. Cur ita?
AD. Quia non paciscor cum diuis. Quid est enim aliud quam contractus iuxta formulam? Do, si facias, aut, faciam, si facias: dabo cereum, si enatem: ibo Romam, si serues.
AN. At implorabas alicuius diui praesidium?
AD. Ne id quidem.
AN. Quamobrem autem?
AD. Quia spaciosum est coelum. Si cui diuo commendaro meam salutem, puta sancto Petro, qui fortasse primus audiet, quod adstet ostio, prius quam ille conueniat deum, prius quam exponat cau-

(139v) ANTONIVS. Sed interea non reclamabat tibi cons-/cientia? Non verebaris appellare patrem, quem tot sceleribus offenderas?

ADOLPHVS. Vt ingenue dicam, deterrebat nonnihil conscien tia, sed mox recipiebam animum, ita mecum cogitans: Nullus est pater tam iratus filio, quin si videat eum periclitantem in torrente, aut lacu, capillis arreptum, eijciat in ripam. Inter omneis nullus se tranquillus agebat quam mulier quaedam cui erat infantulum in sinu, quem lactabat.

ANTONIVS. Quid illa?

ADOLPHVS. Sola nec vociferabatur, nec flebat, nec pollicitabat. Tantum complexa puellum, praecabatur tacite. Interea dum nauis subinde illideretur vado, nauclerus metuens, ne tota solueretur, rudentibus eam cinxit a prora et puppi.

ANTONIVS. O misera praesidia.

ADOLPHVS. Interim exoritur quidam sacrificus, senex, annos natus sexaginta, nomen erat Adamus. Is abiectis vestibus vsque ad indusium, abiectis etiam ocreis, et calceis, iussit vt omnes itidem pararemus nos ad natandum. Atque ita stans in medio nauis, concionatus est nobis ex Gersone, quinque veritates de vtilitate confitendi, hortatus omneis, vt se quisque praepararet et vitae et morti. Aderat et Dominicanus quidam. His confessi sunt, qui volebant.

ANTONIVS. Quid tu?

140r ADOLPHVS. Mihi non vacabat prae tumultu, et sane vo/luissem esse inter primos. Sed quando aliter esse non potuit, quia iamiam soluebatur nauis, tacite confessus sum Deo damnans apud illum meam iniustitiam, et implorans illius misericordiam.

ANTONIVS. Quo migraturus si sic perisses?

ADOLPHVS. Hoc committebam iudici Deo. Neque enim volebam esse mei ipsius iudex. Tamen bona quaedam spes interim habebat animum meum. Dum haec aguntur, redit ad nos nauta lachrymabundus: Paret, inquit, se quisque, nam nauis non erit nobis vsui ad quartam horae partem. Iam enim locis aliquot conuulsa haurie bat mare. Paulo post nauta renunciat nobis, se videre procul

---

sam, ego iam periero.
AN. Quid igitur faciebas?
AD. Recta adibam ipsam patrem dicens: (1533,p.225-226) IF mut. (ASD,p.329)
24-25 ANT. Quid tu? Mihi non
25-27 AD. Ego u.dens omnia plena tumultus (1533,p.226) IF mut. (ASD,p.32[illegible])
27 deo

turrim sacram, adhortans, ut a diuo, quisquis esset eius templi praeses, auxilium imploraremus. Procumbunt omnes et orant ignotum diuum. (...)

ADOLPHVS. Interim nauclerus quantum potest, eo nauim dirigit iam laceram, iam vndique combibentem vndas, ac plane dilapsuram, ni rudentibus fuisset subcincta.

ANTONIVS. Dura rerum conditio.

ADOLPHVS. Eo prouecti sumus vt eis loci incolae prospicerent nos periclitantes; ac procurrentes cateruatim in extremum litus, sublatis togis et galeris in lanceas, inuitabant ad
(140v) sese, ac iactatis in coelum brachijs, signifi-/cabant se deplorare nostram fortunam.

ANTONIVS. Expecto quid euenerit.

ADOLPHVS. Iam mare totam nauim occuparat, vt nihilo tutiores essemus futuri in naui quam in mari.

ANTONIVS. Hic ad sacram ancoram confugiendum erat.

ADOLPHVS. Imo ad miseram. Nautae scapham exonerant aqua, ac dimittunt in mare. In hanc omnes sese conantur conijcere, nautis magno tumultu reclamationibus, scapham non esse capacem tantae multitudinis, arriperet sibi quisque quod posset, ac nataret. Res non patiebatur lenta consilia, alius arripit remum, alius contum, alius alueum, alius situlam, alius tabulam, ac suo quisque praesidio nitentes, committunt se fluctibus.

ANTONIVS. Quid interim accidit illi mulierculae, quae sola non eiulabat?

ADOLPHVS. Illa omnium prima peruenit ad litus.

ANTONIVS. Qui potuit?

ADOLPHVS. Imposueramus eam repandae tabulae, et sic alligaueramus, vt non facile posset decidere. Dedimus illi tabellam in manum, qua vice remi vteretur. Ac bene precantes exposuimus in fluctus, conto protrudentes, vt abesset a naui, vnde erat periculum. Illa laeua tenens infantulum, dextra remigabat.

ANTONIVS. O viraginem.

ADOLPHVS. Quum iam nihil superesset, quidam auulsit li-
141r gneam statuam Virginis matris, iam putrem / atque excauatam a

---

3 AN. Si nomine compellassetis eum, fortassis audisset.
AD. Erat ignotum. (1533,p.226) IF om. (ASD,p.330)
20 poset

soricibus, eamque complexus crepit natare.

ANTONIVS. ‡ O Deiparam virginem illa nusquam non adest, vel imagine humano generi opitulata. ‡ Scapha ‡ tamen ‡ peruenit incolumis?

ADOLPHVS. Nulli prius periere. Porro triginta sese in eam coniecerant.

ANTONIVS. Quo malo fato id factum est?

ADOLPHVS. Prius quam posset se liberare a magna naui, illius vacillatione subuersa est.

ANTONIVS. O factum male. Quid tum?

ADOLPHVS. Ego dum alijs consulo, pene perieram.

ANTONIVS. Quo pacto?

ADOLPHVS. Quia nihil supererat aptum natationi.

ANTONIVS. Illic subera fuissent vsui.

ADOLPHVS. In eo rerum articulo, maluissem vile suber, quam candelabrum aureum. Circunspicienti, tandem venit in mentem de ima mali parte. Eam quoniam solus eximere non poteram, ascisco socium. Huic ambo innixi, committimus nos mari; sic vt ego dextrum cornu tenerem, ille laeuum. Dum sic iactamur sacrificus, ille concionator nauticus, medium iniecit se in humeros nostros. Erat autem ingenti corpore. Exclamamus: Quis ille tertius? Is perdet nos omneis. Ille contra placide: Sitis, inquit, bono amico, sat spacij est. Deus aderit nobis.

ANTONIVS. Cur ille tam fero coepit esse natator?

(141v) ADOLPHVS. Imo fu/turus erat in scaphula vna cum Dominicano. Nam omnes hoc honoris illis deferebatur, sed quanquam erant inuicem confessi in naui, tamen obliti, nescio quid, circunstantiarum, rursus ibi in ora naui confitentur, et alter alteri manum imponit, interim scapha perit; nam haec mihi narrauit Adamus.

ANTONIVS. Quid actum de Dominicano?

ADOLPHVS. Is vt idem narrabat, implorata diuorum ope, abiectis vestibus, nudum se commisit natationi.

ANTONIVS. Quos diuos inuocabat?

ADOLPHVS. Dominicum, Thomam, Vincentium, Petrum, sed in primis fidebat Catarinae Senensi.

ANTONIVS. Christus illi non veniebat in mentem?

2-3 IF add.
3 tamem IF add.
35-36 imprimis

ADOLPHVS. Christum ipsum inuocat, qui diuos suos vocat ad partes. Nemo est tam religionis ignarus, qui nesciat per sanctos, Dei opem implorari. Dum adhuc voueremur iuxta nauim arbitrio fluctuum huc et illuc se voluentem clauus illius fregit foemur eius, qui tenebat laeuum cornu. Sic ille reuulsus est, sacrificus precatus illi requiem aeternam, successit in locum illius, adhortans me, vt magno animo tuerer cornu meum, ac sternue mouerem pedes. Interim potabamus multum aquae salsae. Adeo Neptunus nobis non balneum tantum salsum, sed potionem etiam salsam temperarat, quamquam sacrificus ei rei monstraret remedium.

142r ANTONIVS. / Quod, obsecro?

ADOLPHVS. Quoties vnda nobis occurreret, ille opposuit occipitum, ore clauso.

ANTONIVS. Strenuum senem mihi narras.

ADOLPHVS. Vbi nam aliquandiu sic natantes, nonnihil promouissemus, sacrificus quoniam erat mirae proceritatis: Bono, inquit, es animo, sentio vadum. Ego non ausus tantum sperare felicitatis; Longus, inquam, adsumus a littore, quam vt vadum sperandum sit. Imo, inquit, sentio pedibus terram. Est, inquam, fortassis e scrinijs aliquod quod huc deuoluit mare. Imo, inquit, scalptu digitorum plane sentio terram. Cum adhuc aliquandiu natassemus, ac rursus sentiret vadum: Tu fac, inquit, quod tibi videtur factu optimum, ego tibi cedo malum totum, et vado me credo; simulque expectato fluctus decessu, pedibus sequutus est, quanto potuit cursu. Rursus accedentibus vndis, vtraque manu complexus vtrumque genu obnitebatur fluctui, occultans sese sub vndis, quemadmodum solent mergi et anates. Rursus abeunte fluctus, promicabat et currebat. Ego videns hoc illi succedere, sum imitatus. Stabant in harena, qui porrectis inter se praelongis hastilibus fulciebant sese aduersus impetum vndarum viri robusti, et fluctibus assueti; sic vt vltimus, hastam porrigeret adnatanti. (142v) Ea contacta, omnibus in littus se recipi/entibus, tuto pertrahebatur in siccum. Hac ope seruati sunt aliquot.

ANTONIVS. Quot?

1-3 AD. Ita narrabat sacrificus.
AN. Melius enatasset, si non abiecisset sacram cucullam; ea deposita, qui potuit illum agnoscere Catarina Senensis? Sed perge narrare de te.
AD. Dum adhuc (1533,p.229) IF mut. (ASD,p. 331)
12 obsero
26 Rursu acedentibus

ADOLPHVS. Septem, verum ex his duo soluti sunt tempore admoti igni.

ANTONIVS. Quot erant in naui?

ADOLPHVS. Quinquaginta octo.

ANTONIVS. O saeuum mare, saltem decimis fuisset contentum, quae sufficiunt sacerdotibus. Ex tanto numero paucos reddidit?

ADOLPHVS. Ibi experti sumus incredibilem humanitatem, omnia nobis mira alacritate suppeditantis, hospitium, ignem, cibum, vestes, viaticum.

ANTONIVS. Quae gens erat?

ADOLPHVS. Hollandica.

ANTONIVS. Ista nihil humanius, quum tamen feris nationibus cincta sit. Non repetes opinor posthac Neptunum.

ADOLPHVS. Non, nisi mihi Deus ademerit sanam mentem.

ANTONIVS. Et ego malim audire tales fabulas, quam experiri.

LB
715-718
ASD
333-338

DIVERSORIA
BERTVLPHVS, GVILIELMVS

BERTVLPHVS. Cur ita visum est plerisque biduum aut triduum commodari Lugduni? Ego semel iter ingressus non conquiesco, donec peruenero, quo constitui.

GVILIELMVS.Imo ego admiror, quemquam illinc auelli posse.

BERTVLPHVS. Quam ob rem tandem? /

143r GVILIELMVS.Quia illic locus est, vnde non poterant auelli socij Vlyssis, illic Sirenes. Nemo domi suae tractatur melius, quam illic in pandocheo.

BERTVULPHVS. Quid fit?

GVILIELMVS.Ad mensam semper astabat aliqua mulier, quae conuiuium exhilararet facetijs, ac leporibus. Et est illic mira formarum felicitas. Primum adibat mater familias, quae salutabat, iubens nos hilares esse, et quod apponeretur, boni consulere. Huic succedebat filia, mulier elegans, moribus ac lingua ad eo festiiuis, vt possit vel ipsum Catonem exhilarare. Nec confabulantur, vt cum hospitibus ignotis, sed velut cum olim notis ac familiaribus.

BERTVLPHVS. Agnosco Gallicae gentis humanitatem.

GVILIELMVS. Quoniam autem illae non poterant adesse perpetuo, quod essent obeunda munia domestica, reliquique conuiuae consalutandi, continenter adstabat puellula quaedam ad

omneis iocos instructa; vna satis erat omnium iaculis excipiendis. Haec sustinebat fabulam, donec rediret filia. Nam mater erat natu grandior.

BERTVLPHVS. Sed qualis erat tandem apparatus?Nam fabulis non expletur venter.

GVILIELMVS. Profecto lautus, vt ego mirer illos tam vili posse accipere hospites. Rursus peracto conuiuio, lepidis fa-
(143v) buli alunt hominem, ne quid obrepat / taedij. Mihi videbar domi esse, non peregre.

BERTVLPHVS. Quid in cubiculis?

GVILIELMVS. Illic nusquam non aderant aliquot puellae, ridentes, lasciuientes, lusitantes. Vltro rogabant, si quid haberemus vestium sordidarum. Eas lauabant, ac lotas reddebant. Quid multis? Nihil illic vidimus praeter puellas ac mulieres, nisi in stabulo quamquam et huc frequenter irrumpebant puellae. Abeuntes ita complectuntur, tantoque affectu dimittunt, ac si fratres essent omnes, aut propinquae cognationis.

BERTVLPHVS. Fortassis isti mores decent Gallos, mihi arrident Germaniae mores, vtpote masculi.

GVILIELMVS. Mihi nunquam contingit videre Germaniam. Quare te quaeso, ne grauere commemorare, quibus modis accipiant hospitem.

BERTVLPHVS. An vbique sit eadem tractandi ratio, nescio. Quod ego vidi narrabo. Aduenientem nemo salutat, ne videantur ambire hospitem. Id enim sordidum et abiectum existimant, et indignum Germanica seueritate. Vbi diu inclamaueris, tandem aliquis per fenestellam aestuarij (nam in his degunt fere vsque ad solstitium aestiuum) profert caput, non aliter quam e testa prospicit testudo. Is rogandus est, an liceat illic di-
144r uersari. Si non renuit, intelligis dari locum. Rogan/tibus vbi sint stabulum, mota manu commonstrat. Illic licet tibi tuum equum tractare tuo more. Nullus enim famulus manum admouet. Si celebrius est diuersorium, ibi famulus commonstrat stabulum, atque etiam locum equo minime commodum. Nam commodiora seruant venturis, praesertim nobilibus. Si quid causeris, statim audis si non placet, quaere aliud diuersorium. Foenum in vrbibus aegre ac perparce praebent, nec multo minoris vendunt quam ipsam auenam. Vbi consultum est equo, totus com

---

32 aequum
34 aequo
38 aequo

migras in hypocaustum, cum ocreis, sarcinis, luto, id est vnum omnibus commune.

GVILIELMVS. Apud Gallos designant cubicula, vbi sese exuant, extergant, calfaciant, aut qui escant etiam si libeat.

BERTVLPHVS. Hic nihil tale. In hypocausto exuis ocreas, induis calceos, mutas, si voles, indusium, vestes pluuia madidas suspendis iuxta hypocaustum, ipse re admoues, vt sicceris. Est et aqua parata, si libeat lauare manus, sed ita munda plerunque vt tibi post alia quaerenda sit aqua, quo lotionem eam abluas.

GVILIELMVS. Laudo viros nullis delicijs effoeminatos.

BERTVLPHVS. Quod si tu appuleris ad horam a meridie quartam, non coenabis tamen ante nonam, nonnunquam et decimam.

GVILIELMVS. Quam ob rem?

(144v) BERTVLPHVS. Nihil apparant, nisi videant omnes, vt / eadem opera administrant omnibus.

GVILIELMVS. Quaerunt compendium.

BERTVLPHVS. Tenes. Itaque frequenter in idem hypocaustum conueniunt octoginta aut nonaginta, pedites, equites, negotiatores, nautae, aurigae, agricolae, pueri, foeminae, sani, aegroti.

GVILIELMVS. Istic vere coenobium est.

BERTVLPHVS. Alius ibi pectit caput, alius abstergit sudorem, alius repurgat perones aut ocreas, alius eructat allium. Quid multis? Ibi linguarum ac personarum non miror est confusio, quam olim in turri Babel. Quod si quem conspexerint peregrinae gentis, qui cultu dignitatis nonnihil prae se ferat, in hunc intenti sunt omnes defixis oculis, contemplantes, quasi nouum aliquod animantis genus adductum sit ex Africa, adeo vt postea quam accubuerint, reflexo in tergum vultu, continenter aspiciant, nec dimoueant oculos, cibi immemores.

GVILIELMVS. Romae et Lutetiae, ac Venetiae, nemo quicquam miratur.

BERTVLPHVS. Nefas est interim tibi quicquam petere, vbi iam multa est vespera nec sperantur plures aduenturi, prodit famulus senex, barba cana, tonso capite, vultu turuo, sordido vestitu.

---

1 ocris emendatum est in erratis
7 hypocastum
24 alium emendatum est in erratis

GVILIELMVS. Tales oportebat Cardinalibus Romanis esse a poculis.

BERTVLPHVS. Is circumactis oculis tacitus dinumerat, quot
145r sint in hy/pocausto, quo plures adesse videt, hoc vehementius accenditur hypocaustum, etiamsi alioqui sol aestu sit molestus. Haec apud illos praecipua pars est bonae tractationis, si sudore diffluant omnes. Si quis non assuetus vapori, aperiat rimam fenestrae ne praefocetur, protinus audit: Claude. Si respondas: Non fero, audis: Quaere igitur aliud diuersorium.

GVILIELMVS. Atqui mihi nihil videtur esse periculosius, quam tam multos haurire eundem vaporem, maxime resoluto corpore, atque hic capere cibum et horas complures commorari. Iam enim omitto ructus alliatos et ventris flatum, halitus putres. Multi sunt qui morbis occultis laborant, nec vllus morbus non habet suum contagium. Certe plerique scabiem habent Hispanicam, siue vt quidam vocant Gallicam, cum sit omnium nationum communis. Ab his opinor non multo minus esse periculi quam a leprosis. Iam tu diuina quantum discriminis sit in pestilentia.

BERTVLPHVS. Sunt viri fortes, ista rident ac negligunt.

GVILIELMVS. Sed interim multorum periculo fortes sunt.

BERTVLPHVS. Quid facias? Sic assuerunt et constantis est animi, non discedere ab instituto.

GVILIELMVS. Atqui ante annos viginti quinque nihil recep
(145v) tius erat apud nos, quam thermae publicae. Eae nunc fri/gent vbique scabies enim noua docuit nos abstinere.

BERTVLPHVS. Sed audi caetera. Post redit ille barbatus Ganymedes, ac linteis insternit mensas quod putat esse satis illi numero. Sed, o Deum immortalem, quam non Milesijs, canabea dixeres ex antennis detracta. Destinauit enim vnicuique mensae, vt minimum octo. Iam quibus est notus mos patrius, acumbunt, vbi cuique libitum fuerit. Nullum enim discrimen inter herum ac famulum.

GVILIELMVS. Haec est illa vetus aequalitas, quam nunc e vita submouit tyrannis. Sic opinor vixisse Christum cum suis discipulis.

BERTVLPHVS. Postquam accubuerunt omnes, rursum prodit toruus ille Ganymedes, ac denuo dinumerat sua sodalitia. Mox reuersus apponit singulis pinacium ligneum, et cochleare ex

---

11 maximae emendatum est in erratis
29 antenis

eodem argento factum, deinde cyathum vitreum, aliquanto post panem. Eum sibi quisque per ocium repurgat, dum coquuntur pultes. Ita nonnunquam sedetur ferme horae spacio.

GVILIELMVS. Nullus hospitum interim eflagitat cibum?

BERTVLPHVS. Nullus, cui notum sit regionis ingenium. Tandem apponitur vinum, Deus bone, quam non fumosum. Non aliud oportebat bibere Sophistas. Tanta est subtilitas et acrimonia. Quod si quis hospes, etiam oblata priuatim pecunia roget, vt aliunde paretur aliud vini genus, primum dissimulant, sed eo
146r vultu, quasi interfe/cturi. Si vrgeas, respondent: Haec diuersati sunt Comites et Marchiones, neque quisquam quaestus est de vino meo; si non placet, quaere tibi aliud diuersorium. Solos enim nobiles suae gentis habent pro hominibus, et horum insignia nusquam non ostendant. Iam igitur habent offam, quam obijciant latranti stomacho; mox magna pompa veniunt disci. Primus ferme habet offas panis madefactas iure carnium, aut si dies est pisculentus, iure leguminum. Deinde aliud ius, post aliquid carnium recoctarum, aut salsamentorum recalfactorum. Rursum pultis aliquid, mox aliquid solidioris cibi, donec probe domito stomacho, apponant carnes assas, aut pisces elixos, quos non possis omnino contemnere. Sed hic parci sunt, et subito tollunt. Ita totum conuiuium temperant quemadmodum solent actores fabularum, qui scenis admiscent choros, ita isti alternis miscent offas ac pultes. Curant autem vt extremus actus sit optimus.

GVILIELMVS. Et hoc est boni poetae.

BERTVLPHVS. Porro piaculum sit, si quis interim dicat: Tolle hunc discum, nemo vescitur. Desinendumest vsque ad praescriptum spacium, quod illi clepsydris, vt opinor, metiuntur. Tandem prodit ille barbarus aut pandocheus ipse, vestitu minimum a famulis differens. Rogat ecquid animi nobis sit. / Mox
(146v) adfertur vinum aliquod generosius. Amant autem eos, qui bibunt largius, cum nihilo plus soluat ille, qui plurimum hauserit vini, quam qui minimum.

GVILIELMVS. Mirum gentis ingenium.

BERTVLPHVS. Cum nonnunquam sint qui duplo plus absumant in vino quam soluant pro conuiuio. Sed antequam finiam hoc conuiuium, dictum mirum, quis sit ibi strepidus ac vocum tumultus, postquam omnes coeperunt incalescere potu. Quid multis? Admiscent se frequenter ficti moriores, quo genere hominum, cum multum sit magis detestandum, tamen vix credas, quantopere delectentur Germani. Illi cantu, garridu, clamore, saltatione,

pulsu faciunt, vt hypocaustum videatur corruiturum, neque quisquam alterum audiat loquentem. At interea videntur sibi suauiter viuere. Atque illic desidendum est volenti nolenti vsque ad multam noctem.

GVILIELMVS. Nunc tandem absolue conuiuium. Nam me quoque taedet tam prolixi.

BERTVLPHVS. Faciam. Tandem sublato caseo qui vix illis placet, nisi putris ac vermibus scatens, prodit ille barbarus, adferens secum pinacium escarium, in quo creta pinxit aliquot circulos ac semicirculos. Id deponit in mensa, tacitus interim ac tristis; Charontem quempiam diceres. Qui agnoscunt picturam, deponunt pecuniam, deinde alius atque alius, donec ex-
147r pleatur pinacium. / Deinde notatis qui deposuerunt, supputat tacius. Si nihil desit, annuit capite.

GVILIELMVS. Quid si quid supersit?

BERTVLPHVS. Fortasse redderet, et faciunt hoc nonnunquam.

GVILIELMVS. Nemo reclamat iniquae rationi?

BERTVLPHVS. Nemo, qui sapit. Nam protinus audiret: Quid tu es hominis? Nihilo plus solues quam alij.

GVILIELMVS. Liberum hominum genus narras.

BERTVLPHVS. Quod si quis ex itinere lassus, cupiat mox a coena petere lectum, iubetur expectare, donec caeteri quoquo eant cubitum.

GVILIELMVS. Videor mihi videre ciuitatem Platonicam.

BERTVLPHVS. Tum suus cuique nidus ostenditur, et vere nihil aliud quam cubiculum, tantum enim ibi lecti sunt et praeterea nihil, quo vtaris, aut quod fureris.

GVIMIELMVS. Illic mundities est.

BERTVLPHVS. Eadem quae in conuiuio, lintea forte lota ante menses sex.

GVILIELMVS. Quid interim fit de equis?

BERTVLPHVS. Ad eandem disciplinam tractantur ad quam homines.

GVILIELMVS. Sed est eadem vbique tractatio?

BERTVLPHVS. Alicubi ciuilior est alicubi durior quam narraui. Verum in genere talis est.

GVILIELMVS. Quid si ego tibi nunc narrem, quibus modis hospites tractentur in ea parte Italiae, quam Longobardiam vocant, rursus in Hispania, deinde in Anglia, et in Vualia? Nam Angli partim Gallicos, partim Germanicos mores obtinent,
(147v) vt ex his duabus / gentibus mixti. Vuali se praedicant αὐτό-

---

11 quampiam

χθονας Anglos.

BERTVLPHVS. Quaeso te vt narres. Nam mihi nunquam contingit eas audire.

GVILIELMVS. In praesentia non est ocium. Nam nauta iussit adesse ad horam tertiam, nisi vellem relinqui, et habet sarcinulam. Alias dabitur oportunitas ad satietatem vsque garriendi.

LB 718-720
ASD 339-343

ADOLESCENTIS ET SCORTI

LVCRETIA, SOPHRONIVS

LVCRETIA. Euge, mi lepidissime Sophroni, tandem nobis redditus es. Nam mihi videris abfuisse seculum. Prima fronte vix te agnoscebam.

SOPHRONIVS. Quam ob rem, mea Lucretia?

LVCRETIA. Quia pro imberbi nobis reddisti barbatulus. Quid rei est meum corculum? Nam videre solito toruior.

SOPHRONIVS. Cupio tecum seorsum colloqui familiarius.

LVCRETIA. Au, au, non soli sumus?

SOPHRONIVS. Secedamus in locum secretiorem.

LVCRETIA. Age, concedamus in cubiculum interius, si quid libet.

SOPHORONIVS. Nondum hic locus mihi videtur satis secretus.

LVCRETIA. Vnde iste nouus pudor? Est hic Museion, vbi repono mundum meum locus adeo obscurus, vt vix ego te visura sim, aut tu me.

SOPHORNIVS. Circunspice rimas omnes.

LVCRETIA. Rima nulla est.

SOPHRONIVS. Nullus est in propinquo, qui nos exaudiat?

LVCRETIA. Ne musca quidem, mea lux. Quid contaris?

SOPHRONIVS. Fallemus hic oculos Dei?

LVCRETIA. Nequaquam, ille perspicit omnia. /

148r SOPHRONIVS. Et angelorum?

LVCRETIA. Illorum oculos non licet effugere.

SOPHRONIVS. Qui fit igitur, vt non pudeat homines id facere coram oculis Dei ac testibus sanctis angelis, quod puderet facere in conspectu hominum?

LVCRETIA. Quid hoc nouae rei est? Venisti huc concionaturus? Indue cucullam Franciscanam, conscende suggestum, et audiamus te, barbatule.

SOPHRONIVS. Nec istud grauarer facere, si te queam ab isto vitae genere reuocare, non solum turpissimo, verum etiam miser

rimo.

LVCRETIA. Quam ob rem, o bone? victus alicunde parandus est. Sua quemque alit ars, hoc est nostrum opificium, hic fundus noster.

SOPHRONIVS. Optarim, mea Lucretia, vt exclusa pauli sper ista animi temulentia, rem ipsam mecum consideres.

LVCRETIA. Serua cancionem tuam in aliud tempus. Nunc viuamus, mi Sophroni.

SOPHRONIVS. Tu quaestus gratia facis, quicquid facis.

LVCRETIA. Non multum aberrasti a scopo.

SOPHRONIVS. Nihil decedet tuo lucro. Dabo quadruplum, vt auscultes tantum.

LVCRETIA. Dic quae voles.

SOPHRONIVS. Primum illud mihi responde: Habesne quae tibi male volunt?

LVCRETIA. Non vnam.

SOPHRONIVS. Et quas tu vicissim odisti?

LVCRETIA. Vt merentur.

SOPHRONIVS. Proinde si possis illis facere rem gratam, faceresne?

LVCRETIA. Citius miscerem illis toxicum.

(148v) SOPHRONIVS. Atqui cogita / nunc an illis quicquam potueris facere gratius, quam quod vident te viuere hanc vitam dedecorosam ac miserrimam. Quid autem poteras facere molestius ijs qui tibi bene volunt?

LVCRETIA. Sic erat fatum meum.

SOPHRONIVS. Iam quod esse solet omnium difficillimum ijs, qui deportantur in insulas, aut relegantur ad extremos orbis barbaros, hoc tu tibi tuapte sponte sumpsisti.

LVCRETIA. Quidnam est istud?

SOPHRONIVS. An non sponte renunciasti omnibus affectibus, patri, matri, fratribus, sororibus, amicae, materterae, caeterisque quoscunque tibi natura coniunxit? Nam et illos tui pudet, nec tu sustines in illorum venire conspectum.

LVCRETIA. Imo feliciter commutaui affectus meos, pro paucis enim nunc habeo plurimos, quorum tu es vnus, mihi fratris loco semper habitus.

SOPHRONIVS. Mitte iocos, ac rem ipsam, vt habet, expende serio. Quae tam multos habet amicos, ea nullum habet amicum,

---

10 aberasti

mihi crede, Lucretia. Nam qui ad te commeant, non habent te pro amica, sed pro matula potius. Vide quo teipsam deieceris misera. Christus te tam charam habuit, vt te suo sanguine redemerit, vt te coelestis haereditatis consortem esse voluerit, et tu te facis cloacam publicam, ad quam commeant quilibet sordidi impuri, scabiosi, suamque spurciciem, in te repurgant. Quod si nondum eius le/prae contagium, quam vocant scabiem Hispanicam attigit te, non diu poteris effugere. Quod si fiat quid te infelicius, etiamsi caetera essent secunda,puta, res et fama? Quid aliud eris, quam viuum cadauer? Matri grauabaris esse morigera, nunc seruis lenae turpissimae. Parentibus audire monita taedebat, hic saepe tibi vapulandum est ab ebrijs et insanis scortatoribus. Pigebat aliquid operis facere domi, quo victum quereres, hic quos tumultus, quae perui- gilia sustines?

149r

LVCRETIA. Vnde nobis hic concionator nouus?

SOPHRONIVS. Iam mihi et illud fac cogites. Iste formae flos, qui tibi conciliat amatores, breui defluxerit. Quid tum facies misera? Quod sterquilinium te fuerit abiectus? Fies ex meretrice lena. Non omnibus contingit ista dignitas. Et si contingat, quid sceleratius, aut quid diabolicae malitiae vicinius?

LVCRETIA. Vera sunt, mi Sophroni, propemodum quae dicis omnia. Sed vnde tibi ista noua sanctimonia, qui soleas esse nugator omnium nugacissimus? Nemo te vno frequentius aut intempestiuius huc commeabat. Audio te fuisse Romae.

SOPHRONIVS. Fui.

LVCRETIA. Atqui inde solent redire deteriores. Quo pacto tibi diuersum accidit?

SOPHRONIVS. Dicam, quia non eodem animo, modoque Romam adij. Caeteri fere ideo eunt Romam, vt redeant deteriores, et ad eam / rem suppetunt affatim occasiones. Ego cum probo viro profectus sum, cuius hortatu pro lagena libellum mecum attuli, Nouum Testamentum (...). Ibi me docuit Paulus, quam nescit

(149v)

---

34 nouum testamentum
34ss ab Erasmo versum.
LV. Ab Erasmo? Aiunt illum esse sesquihaereticum.
SO. Num et huc peruenit illius uiri nomen?
LV. Nullum celebrius apud nos.
SO. Vidistin' hominem?
LV. Nunquam, sed optarim uidisse, de quo quam multa audiui mala.
SO. Fortassis a malis.
LV. Imo a uiris reuerendis.
SO. A quibus?

mentiri, quod nec scorta, nec scortatores regni coelestis haereditatem consequentur. Hoc vbi legissem, sic coepi cogitare apud me: Modica res est, quam expecto ex haereditate paterna. Et tamen malim renunciare scortis omnibus quam a patre exhaeredari. Quanto magis cauendum est, ne me exhaererederet pater coelestis? Et aduersus exhaereditantem aut abdicantem patrem, aliquod praesidium porrigunt humanae leges, aduersus exhaeredantem Deum nihil est suffugij. Itaque mihi protinus interdixit omnem scortorum vsum.

LUCRETIA. Siquidem possis continere.

SOPHRONIVS. Bona continentiae pars est, ex animo continentem esse velle. Postremo super est extremum mali remedium, vxor. Romae in poenitentiarij sinum totum Augiae stabulum effudi. Is multis prudenter hortatus ad puritatem animi et corporis, ad sacram lectionem, ad crebras preces, ad vitae sobrietatem, pro poena nihil indixit, quam vt flexis genibus ad summum altare dicerem psalmum, "Misere mei Deus", et si mihi suppeteret pecunia, darem egenti cuipiam carolinum vnum. Admiranti mihi, quod pro tot scortationibus tantillum / poenae infligeret, satis facete respondit: Fili, inquit, si vere poenitet, si vitam commutas, nihil moror poenam. Sin perges, ipsa libido tandem abs te plus satis poenarum exiget, etiamsi sacerdos non indicat. Me vide lippum, tremulum, incuruum; at olim tali erat qualem tehactenus fuisse praedicas. Sic ego resipui.

150r

LVCRETIA. Ego, vt video, perdidi meum Sophronium.

SOPHRONIVS. Imo lucri fecisti. Nam ante perierat, nec sibi amicus nec tibi. Is nunc te vere amat, ac tuam sitit salu

---

LV. Non expedit dicere.
SO. Quam ob rem?
LV. Quia si tu effutires, et res permanaret ad illos, meo quaestui non minima portio decederet.
SO. Ne metue, lapidi dixeris.
LV. Admoue aurem.
SO. Inepta, quid opus est amota aure quum simus soli, an ne Deus exaudiat? Proh Deum immortalem, uideo te piam meretricem, quae mendicos subleues eleemosyna.
LV. At ego ex istis mendicis plus capio lucri, quem ex uobis diuitibus.
SO. Spoliant matronas bonas, ut effundant in meretrices malas.
LV. Sed perge de libro.
SO. Faciam, et praestat. Ibi (1533,p.240-241) IF om. (ASD,p. 341-342)

4 Scortis
6 exhaeredantem (1533,p.241) IF mut. (ASD,p.342)
25 Ergo, ut uideo (1533,p.242) IF mut. (ASD,p.343)

tem.

LVCRETIA. Quid igitur suades, mi Sophroni?

SOPHRONIVS. Vt quam primum subducas ab ista lita. Adhuc puella es. Quod contractum est labis, potest elui. Aut nube marito, nos aliquid ad dotem conferemus, aut confer te in collegium aliquod sacrum, quod lapsas recipit, aut commutato loco dedas te in familiam alicuius honestae matronae. Ad horum quodlibet offero tibi operam meam.

LVCRETIA. Amabo te, mi Sophroni; circumspicito, sequar tuum consilium.

SOPHRONIVS. Sed interim hinc te submoueto.

LVCRETIA. Hui, tam cito?

SOPHRONIVS. Cur non potius hodie quam cras, si dilatio damnum habet, mora periculum?

LVCRETIA. Quo me vertam?

SOPHRONIVS. Colliges omnem mundum tuum, eum trades mihi vesperi, famulus clam deferet ad fidelem matronam, aliquando (150v) post ego te producam veluti deambulandi gratia. Apud / eam matronam latitabis meo sumptu, donec tibi prospexero; id fiet breui.

LVCRETIA. Age, mi Sophroni, trado me totam in tuam fidem.

SOPHRONIVS. Gaudebis olim facto.

LB 720-727
ASD 344-359

CONVIVIVUM POETICVM

HILARIVS, LEONARDVS, CRATO, CONVIVAE, MARGARETA, CARINVS, EVBVLVS, SBRVLIVS, PARTHENIVS, MVS SERVVS HILARII

HILARIVS. Leuis apparatus, animus est lautissimus.

LEONARDVS. Coenam sinistro es auspicatus omine.

HILARIVS. Imo absit omen triste. Sed cur hoc putas?

LEONARDVS. Cruenti iambi haud congruunt conuiuio.

CRATO. Euge, certum est adesse Musas, effluunt carmina imprudentibus.

HILARIVS. Si rotatiles trochaeos mauelis, en accipe: Vilis apparatus hic, animus est lautissimus. Quanquam et iambi olim ad rixas, ac pugnas nati, post didicerunt omni seruire materiae. O pepones, habetis pepones in horto nostro natos. En lactucas sessiles, succo tenerrimo, suo nomine respondentes. Has delitias quis sanus non praeferat apris, murenis,

---

15 versum

attagenis?

CRATO. Si licet in conuiuio poetico vera loqui, quas tu lactucas vocas, betae sunt.

HILARIVS. Hoc omen auertant superi.

CRATO. Sic res habet, vide figuram. Qum vbi succus lacteus, vbi molles aculei?

HILARIVS. Facis vt addubitem. Heus accerse huc famulam/
151r Margareta. Tisiphone, quid tibi venit in mentem, vt pro lactucis nobis apponeres betas?

MARGARETA. Data opera feci.

HILARIVS. Quid ais, venefica?

MARGARETA. Volebam experiri, an inter tot poetas esset, qui lactucam dignosceret a beta; nam scio te non posse dignoscere. Dicite mihi, bona fide, quis animaduerterit esse betas.

CONVIVAE. Crato.

MARGARETA. Facile diuinabam non fuisse poteam.

HILARIVS. Si quid tale post hac designaris, ego te pro Margareta vocabo Bliteam.

CONVIVAE. Ha, ha, he.

MARGARETA. Istae nomenclaturae nec obesiorem me reddunt, nec macilentiorem; saepe vicies in die mihi commutat nomen. Vbi quid cupit eblandiri, vocat me Galateam, Euterpem, Calliopen, Callirhoen, Melissam, venerem, Mineruam. Quid non? Vbi quid stomachatur, repente fio Tisiphone, Megera, Alecto, Medusa, Baucis, aut aliud, quicquid illi suggesserit splendida bilis.

HILARIVS. Abi hinc cum tuis betis, Blitea.

MARGARETA. Quorsum attinebat huc euocare?

HILARIVS. Vt redires, vnde veneras.

MARGARETA. Vetus dictum est: Procliuius est euocare cacodaemonem, quam abigere.

CONVIVAE. Ha, ha, he, apposite. Vt tibi res habet, Hilari, opus est aliquo carmine magico, quo illam hinc abigas.

HILARIVS. Habeo in promptu:

(151v) Φεύγετε, πανθαρίδες, λύκος ἄγριος / ἄμμε διώκει.

MARGARETA. Quid ais, Aesope?

CRATO. Caue tibi, Hilari, impinget colaphum, sic abegisti tuo graeco carmine. O magnum egregium.

HILARIVS. Quid tu credis Crato esse hanc? Ego tali carmine abegissem decem magnos cacodaemones.

MARGARETA. Pili non facio tuos versus Graecanicos.

HILARIVS. Adhibendus est igitur, vt video, bombus magicus

aut si nec hic sufficiat, Mercurij caduceus.

CRATO. Mea Margareta, scis poetarum genus esse afflatum non ausim dicere furiosum. Rogo te, vt istam rixam in aliud tempus proroges, nosque hac coena, vel mea causa suauiter tractes.

MARGARETA. Quid mihi cum istius versiculis? Saepenumero cum est eundum ad macellum, non habet quod nemeret, et interim cantillat versiculos.

CRATO. Sic sunt poetae. Sed age, fac,sodes, quod dico.

MARGARETA. Equidem faciam in tuam gratiam, quoniam noui te probum, qui nunquam contriueris cerebrum tuum in eiusmodi deliramentis, ac demiror, quo facto in hunc incideris chorum.

CRATO. Vnde in coniectas?

MARGARETA. Quia nasus obesior, oculi nitentes, et corpus succulentum. Nunc mihi huius nasum contemplare, et risum Sardonicum.

CRATO. Sed obsecro meum suauium, vt istam iram mihi condones.

MARGARETA. Abeo, nec postulo, vt quisquam caeterorum hoc nomine mihi gratias agat.

HILARIVS. Abijtne iam?

MARGARETA. Non tam procul quin audiat te.

152r MVS. / Iam est [in] culina, secum nescio quid murmurans.

CRATO. Famulam habes minime mutans.

HILARIVS. Aiunt bonam famulam oportere tribus dotibus esse praeditam, vt sit fidelis, vt sit deformis, vt sit ferox, quam vulgo malam vocant. Fidelis non dimniuit rem, deformem non ambiunt proci, ferox facile tuetur ius heri sui. Nam aliquoties opus est non sola lingua, verum etiam manibus. Haec mea e tribus habet virtutes, deformis iuxta mala, de fide dubito.

CRATO. Linguam audiuimus, sed ego metuebam tibi a manibus.

HILARIVS. Admouete manus peponibus, de lactucis actum est. Etenim si nunc iuberem apponere lactucas, sat scio carduos apponeret. Sunt et melones, si quis hoc genere magis capitur. En fici recentes, modo decerptos a matre, testatur lac in pedunculo. A ficis solet aqua sumi, ne quid obliment stomachum. En habetis e limpidissimo fonticulo viuam ac frigidissimam, vtilem

---

23 Iam est. culina fortasse lapsu typographi

et vino diluendo.

CRATO. At ego nescio, vtrum vtro diluam, vinum aqua, an aquam vino, adeo mihi vinum hoc videtur haustum ex eodem fonticulo Musarum.

HILARIVS. Tale vinum conducit acuendis ingenijs poetarum, vos crassi crassis delectamini.

CRATO. Vtinam Crassus essem ille beatus.

HILARIVS. Ego malim esse Codrus, aut Ennius. Quandoquidem mihi contigit habere conuiuas tam multos, tamque insigni-
(152v) ter/ eruditos, non committam vt nihilo doctior eos dimittam. Est locus in prologo Eunuchi, qui multos torquet. Nam plerique codices sic habent:

Sic existimet, sciat
Responsum, non dictum esse, quia laesit prior,
Qui bene vertendo, et eas describendo male, &c.

In his verbis desidero sensum argutum, ac Terentio dignum. Nec enim laesit prior, quia male vertit Graecas fabulas, sed quia Terentianas carpserat.

EVBVLVS. Iuxta vulgo iactatum prouerbium: qui pessime canit, primus incipiet. Cum essem Londini apud Thomas Linacrum, virum sic in omni genere philosophiae doctissimum, vt nihilo secius has grammaticorum minutias ad vnguem calleat, ostendit mihi codicem mira vetustate, in quo sic habebatur scriptum:

Sic existimet, sciat
Responsum non dictum esse, quale sit prius
Qui bene vertendo, et eas describendo male,
Ex Graecis bonis, Latinas fecit non bonas,
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.

Sic autem ordinandus est sermo, vt quale sit, indicet subijciendum exemplum prioris dicit. Minitabatur se vicissim reprehensurum aliquid in fabulis eius, a quo fuerat reprehensus. Atque hic negat videri debere conuicium, sed responsum.
153r Qui lacessit, iacit dictum, qui regerit laces/situs, respondet. Huius rei promittit exemplum, quale sit, quod Graecis dicitur οἷον , Latinis, quod genus, aut veluti, sine videlicet, aut puta. Deinde subijcit reprehensionem, in qua, prius, ad-

---

29 phasma
32-33 repraehensus
37 repraehensionem

uerbium respondet ad alterum aduerbium, veluti diuersum, quod sequitur, nuper, quemadmodum pronomen, qui, respondet ad dictionem, idem. Veteres enim Lavinij fabulas in totum damnat quoniam iam exciderant ex hominum memoria. In his quas nuper dedisset, certa notat loca. Mihi videtur haec germana lectio, verusque Comici sensus, nisi quid dissentit senatus, populusque poeticus.

CONVIVAE. Imo pedibus omnes in tuam discedimus sententiam.

EVBVLVS. At ego vicissim a vobis quiddam lene ac facillimum discere cupiam, quo pacto metiendus sit hic versiculus: Ex Graecis bonis, Latinas fecit non bonas. Micate digitis.

HILARIVS. Opinor more veterum elidi 's', vt secundo loco sit anapestus.

EVBVLVS. Accederem, nisi casus auferendi desineret in 'is', natura longam. Itaque submota consonante, nihilominus manet longa vocalis.

HILARIVS. Vera praedicas.

CRATO. Si quis illiteratus et ignotus ingrederetur, plane crederet nos inter nos micatione digitorum rusticorum ludum renouare.

LEONARDVS. Nos quantum video, frustra micamus digitis. Tu si potes, expedi.

(153v) EVBVLVS. / Videte quantula res nonnunquam torquet homines, etiam eruditos: praepositio 'ex' pertinet ad finem carminis praecedentis:

Qui bene vertendo, et eas describendo male, ex
Graecis bonis, Latinas fecit non bonas.

Ita nihil est scrupuli.

LEONARDVS. Sic est per Musas.

CRATO. Quandoquidem coepimus micare digitis, velim vt aliquis mihi versum hunc ex Andria, digerat in suos pedes:

Sine inuidia laudem inuenias, et amicos parès.

Nam mihi saepe tentandi non successit.

LEONARDVS. 'Sine in', iambus est, 'vidia' anapestus, 'laudem in' spondeus, 'venias' anapestus, 'et ami' rursus anapestus.

---

6 Senatus
35 Sin in

CRATO. Habes iam pedes quinque, et supersunt tres syllabae, quarum prima est longa, vt nec iambum facere possis, aut tribrachyn.

LEONARDVS. Profecto vera praedicas. Haeremus in vado, quis non expediet?

EVBVLVS. Nemo melius quam qui induxit in hoc vadum. Age Carine, ne cela, si quid habes, inter candidos amiculos.

CARINVS. Nisi me fallit memoria, videor mihi quiddam tale legisse apud Priscianum, qui docet apud Latinos Comicos 'u' consonantem perinde elidi vt vocalem, quemadmodum frequenter in hac dictione,'enimuero',sit vt pars 'enie' faciat anapestum.

LEONARDVS. Itaque metire nobis.

CARINVS.Faciam:'sine innidi' proceleumaticus est, nisi
154r ma/uis elidi 'i' per sineresin, vt cum Virgilius'aureo' ponit in fine carminis heroici pro 'auro'. Quod si placet erat primo loco tribrachys; 'a lau' spondeus est; 'd inueni' dactylus; 'as et a' dactylus; 'micos' spondeus; 'pares' iambus.

SBRVLIVS. Carinus nos explicuit ex hoc sane vado. Sed est in eadem scena locus, quem haud scio an quisquam animaduerterit.

HILARIVS. Obsecro, profer.

SBRVLIVS. Illic hunc in modum loquitur Simo:

Sine vt eueniat, quod volo,
In Pamphilo, vt nihil sit morae, restat Chremes.

HILARIVS. Quid hic te offendit?

SBRVLIVS. Quum'sine'sit minitantis, nihil hic sequitur, quod faciat ad minas. Proinde suspicor a poeta scriptum fuisse:

Sin eueniat quod volo,

vt 'sin' respondeat ad 'si', quod praecessit,

Si propter amorem, vxorem nolit ducere.

Proponit enim senex duas partes inter se diuersas. Si Pamphilus ob amorem Glycerij recusat nuptias, erit quod cum illo expostulem. Sin ille non recusarit,tum mihi restat exorandus Chremes. Porro hyperbaton longius fecit interpellatio Sosiae, et stomachus Simonis in Dauum.

HILARIVS. Mus,porrige mihi codicem.

---

15 ma/ius
17 dinueni

CRATO. Committis tu muri codicem?

HILARIVS. Tutius quam virum. Dispeream nisi verum dixit Sbrulius.

(154v) PARTHENIVS. Trade mihi codicem / vt ostendam alium scrupulum. In prologo Eunuchi, versus hic non constat:

Habeo alia multa, quae nunc condonabuntur.

Quanquam enim Comici Latini praecipue sumunt sibi multam libertatem in hoc genere carminis, tamen nusquam memini illos senarium claudere spondeo, nisi forte legendum est 'condonabitur' ἀπροσώπως , aut 'condonabimus', mutato numero personae.

MARGARETA. O mores, vere poeticos. In ipso limine conuiuij micant digitis, et librum adhibent. Lusus et literas praestat seruare in mensas secundas.

CRATO. Non omnino pessimum consilium dat Margareta, obtemperabitur. Placato stomacho reuocabimus lusum, interim digitis micabimus in disco.

HILARIVS. Videte luxum poeticum. Habetis triplex ouorum genus, elixa, assa, frixa;omnia recentissima sunt, intra biduum nata.

PARTHENIVS. Ego butyri esum non fero; si frixa sunt oleo, perplacebunt.

HILARIVS. Abi puer, disce ex Margareta, in vtro fxrixa sint.

MVS. In neutro, inquit.

HILARIVS. Nec in butyro, nec in oleo? In quo igitur?

MVS. In lixiuio, vt ait.

CRATO. Qualis percontatio, talis responsio. Quid negotij est dignoscere butyrum ab oleo?

CARINVS. Praesertim his, qui tam facile discernunt lactucam a beta.

HILARIVS. Habetis ouationem, sequetur aliquando triumphus. Heus puer, circumfer oculos. Nihil/ne vides hic deesse? 155r

Mũς. Permulta.

HILARIVS. Haec oua desiderant condimentum, quo temperetur calor.

Mũς. Quod vis?

HILARIVS. Dic vt ex contusis vitis clauiculis mittat nobis succum.

Mũς. Dicam.

HILARIVS. Quid huc redis inanis?

Mũς. Negat e clauis succum exprimi solere.

HILARIVS. O famulam.

SBRVLIVS. Certe fabulis condiemus oua nostra. In Epodis Horatianis, offendi locum quendam non deprauatum, quod ad scripturam attinet, sed deprauate interpretatum, nec a Mancinello solum, caeterisque recentioribus, verum etiam ipso Porphyrione. Locus est in carmine, quo canit palinodiam Canidiae veneficae:

Tuusque venter Pactumeiuset tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lauit,
Vtcunque fortis exilis puerpera.

Existimant enim omnes hic 'exilis' nomen esse, cum sit verbum. Adscribam verba Porpyrionis, sit tamen illius esse credendum est:"Exilem autem, inquit, sub illa specie, quasi puerperio facta sit deformis, per exilitatem corporis maciem naturalem dicit". Pudendus lapsus, si vir tantus non sensit metri legem reclamare huic sensui. Neque enim quartus locus admittit spondeum. Verum poeta iocatur illam vere peperisse, quanquam non (155v) diu languisset ac decubasset a partu; sed / statim eximisset a lecto, quemadmodum solent quaedam fortes puerperae.

HILARIVS. Habemus tibi gratiam, Sbruli, qui tam laute condieris oua nostra.

LEONARDVS. Isti non dissimile est, quod legitur in primo Odarum libro. Odae initium est: "Tu ne quaesieris". Sic autem habet constans lectio: "Neu Babylonios tentaris numeros, vt melius quicquid erit pati". Hunc locum ita transiliunt veteres interpretes, quasi nihil habeat scrupuli. Solus Mancinellus sentiens orationes imperfectas, iubet addi 'possis'.

SBRVLIVS. Habes aliquid de hac re compertius?

LEONARDVS. Nescio, sed mihi videtur Horatius Graeci sermonis idioma reddidisse, quod nullus poetarum facit libentius, aut frequentius. Nam Graecis est familiare aparemphaton adiungere huic dictioni ὡς et ὥστε. Sic Horatius 'vt pati' pro 'vt patiaris'. Quamquam quod Mancinellus, non est prorsus absurdum.

HILARIVS. Mihi vehementer arridet quod dicis. Curre, μῦς, et adfer, si quid est reliquum.

CRATO. Quid istud est nouarum deliciarum?

HILARIVS. Hic est cucumis sectus in laminulas. Hoc est ius ex coctis intestinis cucurbitae; conducit lubricandis in-

---

23 lib
31 graecis

testinis.

SBRVLIVS. O coenam vere medicam.

HILARIVS. Boni consulite. Mox aderit gallina ex corte nostra.

SBRVLIVS. Commutabimus tibi nomen, et pro Hilario vocabimus Apitium. /

156r HILARIVS. Age nunc ridete, quantum voletis, cras fortasse serio laudabis hanc coenam.

SBRVLIVS. Qui sic?

HILARIVS. Cum senseris tibi probe conditum esse prandium.

SBRVLIVS. Fame?

HILARIVS. Scilicet.

CRATO. Scis, Hilari, quid prouinciae te vellem suspicere?

HILARIVS. Sciam si dixeris.

CRATO. Chorus canit hymnos quosdam non indoctos, sed per indoctos multis deprauatos. Eos cuperem tua opera nobis restitui, vt autem exemplum proferam, ita canimus:

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?

Ordo dictionis vnius inuersus geminum vitium inuexit carmini. Nam'hostis'cum trachaeum efficiat, nullum habet locum in carmine iambico, et'Hero' spondeus non recipitur in sede secunda. Nec dubium est quin versus ita primum scriptus sit: "Herodes hostis impie". Iam epithetum 'impie' mollius cohaeret cum 'hostis' quam cum 'Herodes'. Porro quoniam 'Herodes' dictio Graeca est, η vertitur in ε, casu vocandi, vt Σωκράτης ὦ Σώκρατες; quemadmodum et in Ἀγάμεμνον ωmega recti casus vertitur in omicron. Rursum ita canimus hymnum:

Iesum corona virginum,
Quem mater illa concepit,
Quae sola virgo parturit.

Dubium non est, quin 'concipit' sit pronunciandum. Nam temporis hypallage gratiam addit sermoni. Ridiculum autem est nos offendi in 'concipit', quum sequatur 'parturit'. /

(156v) HILARIVS. Istius generis et ipse per multa offendi nec pigebit olim huic rei aliquot dierum opellam dare. Nam mihi videtur Ambrosius in hoc carmine non parum habere gratiae. Adeo fere finit dimetrum dictione trisyllaba, et caesuram fere collocat in fine dictionis. Id crebrius apud eum sit, quam vt casus videri possit. Si queritis exemplum: "Deus creator", hic est penthemimeris, accinnitur 'omnium'; 'polique rector' accinitur 'vestiens'; 'diem decoro' accinitur 'lumine'; 'noctem sopo-

ris' accinitur 'gratia'. Sed adest gallina satis obesa, quae mihi totis decem annis peperit oua, et exclusit pullos.

CRATO. Indigna erat, quae necaretur.

CARINVS. Si licet aliquid admiscere de studijs seuerioribus,habeo quod proponam.

HILARIVS. Modo ne nimium si tetricum.

CARINVS. Non est. Coepi nuper legere Senecae epistolas, et in ipso statim portu, quod aiunt, impegi; locus est in prima epistola: "Et si volueris, inquit, attendere, magna vitae pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus tota aliud agentibus! In hac sententia affectat nescio quid argutiae, quod ego non satis assequor.

LEONARDVS. Diuinabo, si voles.

CARINVS. Maxime.

LEONARDVS. Nemo perpetuo peccat. Et tamen luxu, libidine, ambitione, caeterisque vitijs, magna vitae pars perit. 157r Sed multo maior vitae portio perit / nihil agentibus. Porro nihil agere dicuntur, non qui viuunt in ocio, sed qui rebus friuolis, et nihil ad felicitatem conducentibus occupantur. Inde prouerbium: "Satius est cessare quam nihil agere". Sed tota vita perit aliud agentibus. Aliud agere dicitur, qui non est attentus ad id, quod agit. Perit igitur tota vita, quoniam cum vacamus vitijs, aliud agimus, dum vacamus friuolis aliud agimus, dum studemus philosophiae, quoniam id facimus supine et oscitanter, aliud agimus parum attenti velut ad rem minime seriam. Haec interpretatio si parum arridet, numeretur haec sententia Senecae inter eas, quas in hoc scriptore damnat A. Gellius. vt friuole argutas.

HILARIVS. Mihi sane satis arridet. Sed interim strenue ad gallinam. Nolim vos falli, nihil praeterea parati est. Quadrat enim ad id, quod praecessit. Turpissima est iactura, quae per negligentiam fit. Id autem declarat hac trimembri sententia. At paulo post videor mihi videre mendum: "Mortem non prospicimus. Magna pars eius iam praeterijt". Nam legendum arbitror:'mortem prospicimus'.Prospicimus enim quae procul absunt cum mors magna ex parte praeterierit nobis.

LEONARDVS. Si sibi permittunt philosophi, vt aliquando (157v) diuertant in prata Musarum, fortasse non videbitur absurdum, si nos aliquando vel animi gratia diuertamus in illorum regionem.

15-16 lididine

HILARIVS. Quid ni?

LEONARDVS. Cum nuper relegerem librum Aristotelis, quem inscripsit περὶ τῶν ἐλέγχων , quod argumentum est rhetoribus cum philosophis magna ex parte commune, comperi insignes errores interpretum. Neque dubitandum est quin hic qui Graece nesciunt in multis locis egregie delirarint. Aristotelis enim proponit huiusmodi genus ambigui, quod nascitur ex voce, quae eadem declarat diuersa: Ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπιστάμενοι.Τὰ γάρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί. Τὸ γάρ μανθάνειν,ὁμώνυμον τότε ξυνιέναι χρώμενον τῇ ἐπιστήμῃ καὶ τὸ λαμβάνειν τὴν ἐπιστήμην. Id verterunt hunc in modum: Quoniam discunt scientes. Nam secundum os grammatici discunt. Discere enim aequiuocum ad intelligere eum, qui vtitur disciplina, et accipere disciplinam.

HILARIVS. Visus es mihi nunc Hebraice loqui, non latine.

LEONARDVS. Ausstne quisquam vestrum qui audiuit hic vllam vocem aequiuocam?

HILARIVS. Nullam.

LEONARDVS. Quid igitur stultius quam id velle vertere quod verti non poterat? Neque enim quemadmodum Graecis μανθάνειν sonat μαθεῖν , et μαθητεύειν ita Latinis discere, doctrinam accipere, aut tradere. Quamquam an hoc sit verum
158r nescio, magis arbitror sic / manthanin esse anceps apud Graecos, quemadmodum cognoscere apud Latinos. Cognoscit enim qui nouit, et cognoscit iudex qui discit causam. Sic opinor Graecis μανθάνειν dicitur praeceptor qui exigit praelecta pueris, et pueri quibus praelegitur. Quam vero venuste reddidit, Τὰ γὰρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί.

"Nam secundum os grammatici discunt",cum vertere debuerit: nam grammatici, quae dictant docent. Hic interpretis erat, aliud exemplum supponere, quod non eadem verba, sed eandem rei speciem exhiberet. Quanquam hoc loco suspicor etiam in Graeca scriptura nonnihil esse mendae, scribendum autem: ὁμωνυμον τῷ τε ξυνιέναι καὶ τῷ λαμβάνειν. Paulo post subijcit aliud exemplum ambigui, quod nascitur non ex vario vocis eius dem significatu, sed ex diuersa connexione: τὸ βούλεσθαι λαβεῖν με τοὺς πολεμίους; velle me accipere pugnantes. Sic enim vertit, pro eo quod erat, velle me capere hostes, et si legas βούλεσθε , sermo fit dilucidior: Vultis me capere hostes. Nam pronomen potest praecedere verbum 'capere',

---

29 Sed ASD,p.354,l.322: qui dictant (cf. 1533,p.254 etiam fert quae dictant)

et potest sequi. Si praecedat, hic erat sensus: Vultis vt ego capiam hostes? Si sequatur erat hic: Vultis, vt hostes me capiant? Subijcit eiusdem generis aliud exemplum: Ἆρ' ὅ
(158v) τισ γιγνώσκειν, τοῦτο γιγνώσκειν ; / id est: An quod quis nouit, hoc nouit. Ambiguitas est in τοῦτο . Id si sumatur accusandi casu, sensus erit: Quicquid alicui cognitum est, id illi cognitum esse. Sin nominandi casu, sensus hic erit: Quam rem quis intelligit, ea intelligit, quasi cognosci non potest, nisi quod vicissim cognoscat. Rursus aliud subijcit: Ἆρα ὅ τισ ὁρᾷ, τοῦτο ὁρᾷ; Ὁρᾷ δὲ τὸν κίονα, ὥστε ὁρᾷ ὁ κίων. An quod quis videt, id videt? Sed videt columna igitur videt. Rursus in τοῦτο est ambiguitas, quam primus indicauimus. Verum haec vtcunque reddi poterant Latinis auribus. Quod sequitur, nullo modo reddi poterat: Ἆρα ὃ σὺ φὴς εἶναι, τοῦτο σὺ φὴς εἶναι; Φὴς δὲ λίθον εἶναι, σὺ ἄρα φὴς λίθος εἶναι. Quod illi sic reddiderunt: Putas quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse; dicis autem lapidem esse, tu ergo lapis dicis esse. Obsecro quis omnino sensus humanus ex his verbis percipi possit? Ambiguitas enim pendet ex idiomate Graeci sermonis, quae est in maiore ac minore, quanquam in maiore est et alia ambiguitas, in duabus dictionibus, ὃ et τοῦτο , quae si capiantur nominandi casu, sensus erit: Quicquid te dicis esse, hoc es. Sin accusandi, sensus erit: Quamcunque rem tu dicis esse, eam dicis esse et adhunc subsumit: λίθον φὴς εἶναι.
159r Sed ad priorem colligit, σὺ ἄρα φὴς / λίθος εἶναι . Graeci sermonis proprietatem semel ausus est imitari Catullus:

Phaselus iste, quem videris, hospites,
Ait fuisse nauium celerrimus.

Sic enim ferebat hic versus in antiquioribus aeditionibus. Hoc ignorato, necesse est multis modis delirare eos, qui in haec loca scribunt commentarios. Ne id quidem quod inibi continenter sequitur: Latino potest esse perspicuum: Καὶ ἄρα ἔστι σιγῶντα λέγειν; διττὸν γάρ ἐστι τὸ σιγῶντα λέγειν· τό τε τὸν λέγοντα σιγᾶν καὶ τὸ τὰ λεγόμενα . Id reddiderunt hunc in modum: Et putas est tacentem dicere. Duplex enim est, tacentem dicere, et hunc dicere tacentem, et quae dicuntur. An non haec Sibyllae solijs obscuriora?

HILARIVS. Mihi nec Graeca satis liquent.

LEONARDVS. Exponam pro mea diuinatione. An possibile est

---

13 latinis

tacentem dicere? Hac interrogatio duplicem habet sensum, quorum alter est falsus et absurdus, alter esse potest verus. Nam fiere non potest, vt qui loquitur, non dicat ea, quae loquitur, hoc est, vt loquendo taceat. Sed fieri potest, vt is qui loquitur taceat eum qui loquitur. Quanquam hoc exemplum recidit alteram formam, quam paulo post subijcit. Rursum illud admiror, quod mox in genere ambiguitatis, quae nascitur ex pluribus dictionibus coniunctis, mutarint Graeci vocem seculi in/
(159v) literas ἐπίστασθαι τὰ γράμματα , cum Latini codices habeant: scire seculum. Hinc enim duplex sensus nascitur, vel vt ipsum seculum sciat aliquid, vel aliquis sciat seculum. Verum hoc mollius est in αἰῶνα siue in κόσμον , quam in γραμματα . Nam literae dicuntur absurde scire quippiam. Verum nihil absurdi sit, si quis dicat, aliquid nostro seculo notum esse. Aut aliquem nosse suum seculum. Iam aliquanto post, vbi proponit exemplum ambigui ex accentu, non verius est interpres pro verbis Homeri supponere Vergiliana, cum eadem fuerit necessitas in illo exemplo: Quicquid dicis esse, hoc es. Ex Homero refert Aristoteles: οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ . Si ὃυ aspiretur ac circunflectatur, sonat: Cuius computrescit pluuia. Sin οὗ sit exile et acutum, sonat: Non computrescit pluuia. Atque hoc quidem sumptum est ex Iliados Ψ . Alterum est: διδόμεν δὲ οἱ εὔχος ἀρέσθαι . Accentu collocato super penultimam, sonat: concede illi. Sin super primam , δίδομεν sonat: damus. At poetam non sentit Iouem dicere, concedimus illi, sed Iupiter mandat ipsi somnio, vt illi ad quem mittitur, concedat potiri toto. Dictum est enim διδόμεν pro διδόναι . Pro his duobus Homericis, subiecerunt haec ex nostris poetis, velut illud ex Odis Horatij: /

160r Me tuo longas pereunte noctes
Lydia dormis.

Etenim si accentus sit in 'me', correpto et 'tu' sit graue, vnica dictio est 'metuo', id est 'timeo'. Quanquam haec ambiguitas pendet non solum ex accentu, verum etiam ex compositione. Alterum supposuerunt ex Vergilio:

Heu quia nam tanti cinxerunt aethera nymbi?

Quanquam haec quoque ex compositione nascitur ambiguitas.

HILARIVS. Sunt ista quidem arguta dignaque cognitu, Leonarde, sed interim vereor, ne cui conuiuium hoc sophisticum

---

19 homero

videatur magis quam poeticum. Alias si videbitur, vel totum diem venabimur Elenchos in elenchis.

LEONARDVS. Hoc est, in luco ligna, in mari quaeremus aquam.

HILARIVS. Vbi est meus Mus?

MVS. Adest.

HILARIVS. Mone Margaretam, vt tradat bellaria.

MVS. Abeo.

HILARIVS. Rursum ades vacuus?

MVS. Negat se de bellarijs cogitasse, et ait satis diu sessum esse.

HILARIVS. Vereor ne si diutius hic philosophemur, illa nobis mensam subuertat, quemadmodum Xantippe Socrati. Consultius est igitur, vt bellaria sumamus in horto, ibi simul et ambulabimus, et libere nugabimur. Interea sibi quisque decerpat ex arbore, quod lubet.

CONVIVAE. Placet consilium.

HILARIVS. Est illic fonticulus, quouis vino suauior.

(160v) CRATO. Qui fit, / vt hortus tuus magis niteat, quam aula?

HILARIVS. Quia hic versor frequentius. Si quid arridet hic ne parcite nostris opibus hortensibus. Iam si satis videtur deambulatum, quid si considamus huc sub tilia, et Musas cieamus?

PARTHENIVS. Age, fiat.

HILARIVS. Thema suppeditet hortus ipse.

PARTHENIVS. Si praecesseris, sequeremur.

HILARIVS. Age, faciam; praepostere facit cui varijs delicijs nitet hortus, cum animum haberat nullis disciplinis, nullis virtutibus excultum.

LEONARDVS. Credemus adesse Musas si reddideris eandem sententiam carmine.

HILARIVS. Hoc mihi longe procliuius prosam orationem vertere carmine, quam argentum commutare auro.

LEONARDVS. Dic igitur.

HILARIVS.

Cui renitet hortus vndiquaque flosculis,
Animumque nullis expolitum dotibus,
Squalere patitur, is facit praepostere.

---

23 musas

Habetis carmen Musis et Apolline nullo. Sed elegans fuerit, si singuli hanc sententiam diuerso genere carminis reddatis.

LEONARDVS. Qui vicerit, quid praemij feret?

HILARIVS. Hunc calathum onustum malis, aut prunis, aut cerasijs, aut mespilis, aut piris, aut si quod aliud magis adblanditur.

LEONARDVS. Quis erit arbiter certaminis?

HILARIVS. Quis nisi Crato? Et idcirco solus non certabit, quo magis auscultet.

161r CRATO. Vereor / ne talem sitis habituri iudicem, qualem olim habebant coccyx et luscinia, inter sese de canendi gloria decertantes.

HILARIVS. Sat est, si places omnibus.

CONVIVAE. Placet arbiter, incipe Leonarde.

LEONARDVS:

Cui tot delicijs renidet hortus,
Herbis, floribus, arborumque foetu,
Et multo et vario, nec extolendum
Curat pectus, et artibus probatis,
Et virtutibus, is mihi videtur
Laeuo iudicio, parumque recto.
Dixi.

HILARIVS. Carinus arrodit vnguem. Expecamus aliquid eladoratum.

CARINVS. Nulla adest Musa:

Cura cui est, vt niteat hortus flosculis ac foetibus
Negligenti excolere pectus disciplinis optimis,
Hic labore, mihi vt videatur, rigitur praepostero.

HILARIVS. Non frustra arrosus est vnguis.

EVBVLVS. Quoniam ordo me vocat, nonnihil adferam:

Qui studet, vt varijs niteat cultissimus hortus
Delicijs, patiens animum squalere, nec vllis
Artibus expoliens, huic est praepostere cura.

HILARIVS. Non est, cur extimulemus Sbrulium. Nam ille sic scatet versibus, vt plerumque vel imprudens effundant carmina.

SBRVLIVS.

Cui vernat hortus cultus et elegans,
Nec pectus vllis artibus excolit /
(161v) Praepostera is cura laborat.
Sit ratio tibi prima mentis.

PARTHENIVS.

Quisquis accurat varijs vt hortus
Floribus vernet, neque pectus idem
Artibus sanctis colit, hunc habet praepostera cura.

HILARIVS. Nunc experiamur cui hortus suppeditet plures sententias.

LEONARDVS. Quid ni faciat tam diues? Vel hoc rosetum mihi suggeret, quod dicam. Vt breuis est rosae nitor, ita fugax est iuuentus, properas carpere rosam, priusquam marcescat, magis adnitendum est, ne sine fructu tibi effluat iuuentus.

HILARIVS. Thema satis aptum carmini.

CARINVS. Vt inter arbores suus cuique foetus est, ita inter homines suae cuique dotes sunt.

EVBVLVS. Vt terra si excolatur, varias opes gignit in vsus humanos, neglecta spinis ac vepribus obducitur; ita hominis ingenium si excolatur optimis studijs, plurimas aedit virtutes; sin negligas, varijs occupatur vitijs.

SBRVLIVS. Hortus quotannis colendus est, vt niteat. Animus semel excultus honestis studijs, perpetuo floret ac vernat.

PARTHENIVS. Vt amoenitas hortorum non auocat animum ab honestis studijs, sed ad haec inuitat potius, ita quaerendi sunt lusus ac ioci, qui non absint a literis.

HILARIVS. Fuge video examen sententiarum. Nunc aduersus.
162r Sed antequam id aggrediamur, mea sententia fuerit exer/citatio, nec inelegans, nec infrugifera, si primam sententia toties reddamus Graecis versiculis, quoties reddimus Latinis. Hic auspicabitur Leonardus iam olim familiaris Musis Graecanicis.

LEONARDVS. Ineptiam, si iubes.

HILARIVS. Iubeo atque impero.

LEONARDVS.

Ὧι μὴ πόσ ἐστιν ἄνθεσιν γελῶν καλοῖς,
Ὁ δὲ νοῦσ μάλ' αὐχμῶν τοῖσ καλοῖσ μαθήμασι
Οὐκ ἐστι πόμψοσ, οὕτοσ οὐκ ορθῶσ φρονεῖν,
Περὶ πλείονοσ ποιῶν τα φαῦλ' ἢ κρείττονα.

Ego praesulem egi, succedet qui volet.

HILARIVS. Carinus.

CARINVS. Imo Hilarius.

---

1 PARTHENIVS omissus est
4 habeto fortasse lapsu typographi (1533,p.259; ASD,p.358)

LEONARDVS. Sed video Margaretam interuenire; adfert nescio quid deliciarum.

HILARIVS. Si id fecerit, me fefellerit mea furia. Quid adfers?

MARGARETA. Sinapi, quo condiatis vestra bellaria. An non pudet hic garrire in multam noctem, et postea vos poetae multa blateratis in loquacitatem foeminarum?

CARINVS. Haud male monet Margareta; iam tempus est vt suum quisque nidum adeat. Alias in hoc pulcherrimo certaminis genere vel solidum diem consumemus.

HILARIVS. Sed cui addicis praemium?

CRATO. In praesentia quidem mihi ipsi addico. Nullus enim vicit, praeter vnum: me.

HILARIVS. Qui vicisti, quid non certaueris?

CRATO. Vos certastis, at non decertastis. Ego quod nemo vestrum potuit, vici Margaretam.

CARINVS. Hilari, aequum postulat, auferat calathum. /

(162v)
LB
728-732
ASD
363-374

INQVISITIO DE FIDE
AVLVS, BARBATIVS

AVLVS. Puerorum est cantilena: Saluta libenter. Verum haud scio an mihi fas sit tibi dicere salutem.

BARBATIVS. Equidem malim qui det salutem, quam qui dicat. Sed quam ob rem istuc ais, Aule?

AVLVS. Quam ob rem? Quia si scire vis, oles aut sulphur, aut fulmen Iouis.

BARBATIVS. Sunt et Veioues, sunt bruta fulmina, multum etiam origine dissidentia a fatidicis. Nam, vt suspicor, tu de anathemate sentis.

AVLVS. Rem coniectas.

BARBATIVS. Audiui quidem horrenda tonitrua, fulminis ictum non sensi.

AVLVS. Qui sic?

BARBATIVS. Quia nihilo peius concoquo, neque irrequietius dormio.

AVLVS. Sed hoc periculosius solet esse malum, quia non sentitur. Verum haec bruta fulmina, quae tu vocas, feriunt montes et maria.

---

13 preter
23 istuc

BARBATIVS. Feriunt, sed irritis ictibus. Est et fulgor e vitro seu vase aereo.

AVLVS. Certe territat et hoc.

BARBATIVS. Verum sed pueros. Solus Deus habet fulmen, quo feriat animam.

AVLVS. Deus tamen in suo vicario est.

BARBATIVS. Vtinam sit.

AVLVS. ‡ Certe est, qualis qualis ille sit. Nam haec fulminum potestas non hominum meritis, sed Dei innititur autoritati. Quare iure ‡ multi demirantur te iamdudum non esse quouis carbone atriorem.

BARBATIVS. Finge me talem, atqui tanto magis erat optan-
163r da salus perdito, si placet Euangelica/doctrina.

AVLVS. Optanda quidem, at non dicenda.

BARBATIVS. Quur ita?

AVLVS. Quo pudescat ictus fulmine, ac resipiscat.

BARBATIVS. Si sic nobiscum egisset Deus, perieramus omnes.

AVLVS. Quam ob rem?

BARBATIVS. Quia quum essemus inimici Dei, cultores idolorum, militantis in castris Satanae, hoc est, modis omnibus excommunicatissimi, tum ille maxime nobiscum confabulatus est per filium suum, suoque colloquio nos restituit in vitam,quum essemus mortui.

AVLVS. Ista quidem vere narras.

BARBATIVS. Imo male ageretur cum omnibus aegrotis, si me dicus fugeret alloquium, quoties ingens morbus grauat miserum. Imo tum maxime conueniebat adesse medicum.

AVLVS. At ego metuo ne tu mihi citius affles aliquid tui mali, quam fiat vt tuo morbo medear. Nonnunquam vsu venit, vt pro medico fiat palaestrites, qui visit aegrotum.

BARBATIVS. Ita quidem vsu venit in corporum morbis. Verum in animi malis est tibi parata antidotus aduersus omne contagium.

AVLVS. Quaenam?

BARBATIVS. Adamantinum propositum, non diuelli a sententia semel infixa.Deinde quur palaestram metuis, vbi res verbis agitur?

AVLVS. Est aliquid, quod dicis, si modo spes sit profectus.

---

2 viro emendatum est in erratis
8-10 IF add.
13 euangelica

BARBATIVS. Prouerbio dicitur, donec spirat homo, speran-
(163v) dum esse. Et / iuxta Paulum: "Charitas nescit desperare, quia sperat omnia.

AVLVS. Non pessime mones atque hac spe puto mihi fas esse, tecum miscere sermonem aliquantisper. Ac si pateris, medicum agam.

BARBATIVS. Licet.

AVLVS. Vulgo sunt inuisi percontatores. Et tamen in medicis probantur, qui percontantur de singulis.

BARBATIVS. Percontare a coelo vsque ad terram, si libet.

AVLVS. Experiar, modo fidem des, te responsurum ex animo.

BARBAITVS. Do, modo sciam, qua de re velis percontari.

AVLVS. De symbolo Apostolorum.

BARBATIVS. Audio militare verbum, nec recuso haberi pro hoste Christi, si quid hic fefellero.

AVLVS. Credis in Deum patrem omnipotentem, qui condiderit coelum ac terram?

BARBATIVS. Et quicquid coelo terraque continetur atque etiam mentes angelicas.

AVLVS. Quum Deum dicis, quid sentis?

BARBATIVS. Sentio mentem esse, quandam aeternam, quae nec initium habuerit, nec finem sit habitura, qua nihil esse potest nec maius nec sapientius, nec melius.

AVLVS. Ista quidem satis pie.

BARBATIVS. Quae nutu suo omnipotenti condidit quicquid est rerum visibilium aut inuisibilium; quae sapientia mirabili moderatur, ac gubernat vniuersa, sua bonitate pascit ac seruat omnia, atque hominum genus collapsum gratuito restituit.

164r AVLVS.Sunt qui/dem ista tria praecipua in Deo, sed quid fructus capis ex istorum cognitione?

BARBATIVS. Quum omnipotentem cogito, me totum illi submitto, ad cuius maiestatem nihil est hominum aut angelorum sublimitas. Deinde plena fiducia credo, quod ab illo factum tradunt sacrae literae, simulque futurum, quicquid ille promisit, quando nutu quicquid vult potest, quantumuis homini videatur impossibile. Ita fit, vt meis viribus diffisus, totus ab illo pendeam, qui potest omnia. Vbi sapientiam illius intueor, nihil tribuo meae sapientiae, verum credo omnia rectissime iustissimeque ab eo fieri, etiamsi iuxta sensum humanum videantur absurda aut iniqua. Quum bonitatem considero, video nihil esse in me, quod illius gratuitae beneficientiae non debeam, et nullum arbitror esse tantum crimen, quod ille nolit

ignoscere resipiscenti; neque quiquam esse quod ille non sit largiturus cum fiducia petenti.

AVLVS. Num satis esse putas, quod credis illum esse talem?

BARBATIVS. Nequaquam. Sed syncero affectu totam fiduciam ac spem in illum vnum transfero, detestans Satanam omnemque idolatriam, et quicquid est artium magicarum. Illum solum adoro, nihil illi nec praeferens nec aequans, non angelum, non parentes, (164v) non liberos, non vxorem, non principem, / non opes, non honores, non voluptates, paratus et vitam illius causa perdere, si iusserit, certus eum non posse perire qui totum illi se tradiderit.

AVLVS. Nihil igitur colis, nihil times, nihil amas, nisi vnum Deum?

BARBATIVS. Si quid veneror, et si quid metuo, si quid amo praeter eum, eius causa amo, metuo, colo, omnia ad illius gloriam referens, semper illi gratias agens, siue laeta contingunt, siue tristia, siue mori datur, siue viuere.

AVLVS. Sana quidem est hactenus tua oratio. De secunda persona quid sentis?

BARBATIVS. Sciscitare.

AVLVS. Credis Iesum fuisse Deum et hominem?

BARBATIVS. Maxime.

AVLVS. Qui fieri potuit vt idem sit Deus immortalis, et homo mortalis?

BARBATIVS. Isthuc illi facile fuit efficere, qui quicquid vult, potest. Et ob diuinam naturam quam eandem habet cum Patre, quicquid magnitudinis, sapientiae et bonitatis attribuo Patri, debeo et Filio, nisi quod ita visum est Patri, vt per Filium concederet ac donaret nobis omnia.

AVLVS. Quur igitur sacrae literae Filium frequentius appellant Dominum, quam Deum?

BARBATIVS. Appellant non semel Deum. Nam "In principio erat

---

12 deum
20 deum
22 deus
25 patre
26 patri
27 filio/patri/filium
29 filium
30 dominum/deum
31ss BA. Quia deus autoritatis, hoc est principatus est nomen, quae patri praecipue conuenit: qui simpliciter principium est omnium atque ipsius etiam deitatis fons. Dominus redemptoris et assertoris uocabulum est. Quanquam et pater redemit per filium, et filius est sed ex deo patre. Solus autem pater a nullo est, et in personis diuinis principem locum obtinet. (1533, p.264) IF mut. (ASD,p.366-367)
31 deum

verbum" legimus, et "Deus erat verbum", et Ioannis vltimo: "Dominus meus et Deus meus"; et alibi crebro. Interdum tamen
165r Patrem, Deum, et Filium, Dominum, quod / frequens est paulo, quia Deus innascibile illud principium, et velut diuinitatis fontem significat. Propterea Hilarius autoritatem tribuit Patri, non quod maior Patris quam Filij autoritas sit, sed quod Filius a Patre est, per quem mundum Pater et condidit, et redemit, vnde Filius et domini et assertoris nomen habet, deum de Deo, lumen de lumine.

AVLVS. Ergo et in Iesu collocas tuam fiduciam?

BARBATIVS. Quid ni?

AVLVS. Sed propheta maledictum dicit, qui fidit in homine.

BARBATIVS. Sed huic vni homini data est omnis potestas in coelo et in terra, vt in nomine eius flectatur omne genu, coelestium et inferorum. Quin etiam Deus et homo est, summam fiduciam pono in eo, quod Deus est, magnam in eo quod homo est. Nam plurimum assumpte humanitati tribuo.

AVLVS. Quur eum Filium appellat?

BARBATIVS. Ne quis somniet esse creaturam.

AVLVS. Quur vnicum?

BARBATIVS. Vt discernat naturae Filium a filijs adoptiuis, cuius cognominis honorem nobis etiam impartit, vt neminem praeter hunc alium expectemus.

AVLVS. Quur eum qui Deus erat, hominem fieri voluit?

BARBATIVS. Vt homines homo reconciliaret Deo.

---

1 Ioan., 1.1/deus
2 Ioan., 20.28/dominus/deus
3 patrem/deum/filium/dominum/paulo (cf. Acta Apostolica, 20)
4 deus
5 patri
6 patris/filij
7 filius/patre/pater
8 filius
9 deo
16-18 Quanquam nec in hoc fiduciae speique meae sacram, ut aiunt, ancoram figerem, ni deus esset. (1533,p.265) IF mut. (ASD,p.367)
16 deus
19 filium
22 filium
25 deus
26 deo

AVLVS. Credis conceptum citra virilem operam, opificio Spiritus Sancti, ac natum ex incorrupta Virgine Maria, de
(165v) illius substantia sumpto mortali cor/pore?

BARBATIVS. Maxime.

AVLVS. Quur sic nasci voluit?

BARBATIVS. Quia sic decebat nasci Deum, sic decebat nasci qui nostrae conceptionis ac natiuitatis sordes purificaret. Hominis filius nasci voluit Deus, vt nos in illum renascentes, efficeremur filij Dei.

AVLVS. Credis illum versatum in terris, ea gessisse miracula, ea docuisse, quae prodita sunt literis Euangelicis?

BARBATIVS. Certius quam te credo esse hominem.

AVLVS. Non sum inuersus Apuleius, vt suspiceris asinum latere sub hominis specie. Sed credis hunc eundem esse Messiam illum, quem diliniarunt figurae legis, quam promiserant oracula prophetarum, quem tot seculis expectarant Iudaei?

BARBATIVS. Nihil habeo persuasius.

AVLVS. Credis huius doctrinam ac vitam sufficere ad perfectam pietatem?

BARBATIVS. Admodum.

AVLVS. Credis eundem vere comprehensum a Iudaeis, vnictum, colaphis et alapis caesum, conspuctum, irrisum, flagellatum sub Pontio Pilato, ac denique suffixum in crucem, atque inibi mortuum?

BARBATIVS. Maxime.

AVLVS. Credis illum ab omni lege peccati cuiusque fuisse immunem?

BARBATIVS. Quid ni? Agnum absque macula?

AVLVS. Credis illum sua sponte haec omnia perpessum?

BARBATIVS. Imo libenter, atque enim sitienter, sed ex voluntate Patris.

166r AVLVS. Quur Pater Filium suum vnicum, in/nocentem, sibique charissimum, haec tam atrocia pati voluit?

BARBATIVS. Vt hac victima nos nocentes sibi reconcilia-

---

2 spiritus sancti/ virgine maria
5 Our
6 deum
8 deus
9 dei
11 euangelicis
16 iudaei
29 perpesum
31 patris
32 pater filium

ret, in illius nomen collocantes fiduciam ac spem nostram.

AVLVS. Quur Deus passus est, sic collabi totum humanum genus? Et si passus est, non patuit alia via sarciendi ruinam nostram?

BARBATIVS. Hoc mihi persuasit, non humana ratio, sed fides, nulla ratione potuisse fieri melius, neque ad salutem nostram vtilius.

AVLVS. Quur hoc mortis genus illi potissimum placuit?

BARBATIVS. Quia iuxta mundum erat probrosissimum, quia lentique cruciatus, quia conueniebat illi qui porrectis in omnem mundi plagam membris, omneis orbis nationes inuitaret ad salutem et homines terrenis curis afixos euocaret ad celestia. Denique vt referret nobis serpentem aeneum quem Moses suspenderat in stipite, vt quicunque defigerent in illum oculos, sanarentur a vulnere serpentum, fidemque prophetae liberaret, qui praedixerat: Dicite in nationibus, regnauit a ligno Deus.

AVLVS. Quur et sepeliri voluit, idque tam accurate, oblitusvnguentis, inclusus nouo monumento e solido viuoque saxo excito, obsignato ostio, adhibitis etiam custodibus publicis?

BARBATIVS. Quo magis constaret esse vere mortuum.

AVLVS. Quur non statim reuixit?

(166v) BARBATIVS. / Hac ipsa de causa. Etenim si mors fuisset ambigua, fuisset et ambigua resurrectio; sed hanc voluit esse certissimam.

AVLVS. Credis huius animam descendisse ad inferos?

BARBATIVS. Hanc particulam non fuisse quondam additam, nec in symbolo Romano, nec in symbolo orientalium ecclesiarum, testis est Cyprianus, nec recensetur apud Tertullianum vetustissimum scriptorem. Ego tamen et hoc firmiter credo, vel quia congruit cum prppheta psalmi: "Non derelinques animam meam in inferno". Et rursus: "Domine, eduxisti ab inferno animam meam". Vel quia Petrus apostolus in epistolae prioris (...) capite tertio scripsit hunc in modum: "Mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu, in quo et his qui in carcere erant, spiritu venientes, praedicauit". Verum vt credo descendisse ad inferos, ita non credo illic aliquid esse passum; descendit enim, non vt illic cruciaretur, sed vt nobis frangeret regnum

---

2 Cur deus
16 deus
32 (de cuius autem nunquam fuit dubitatum) (1533,p.267) IF om. (ASD,p.369)

Satanae.

AVLVS. Nihil adque impium audio; sed mortuus est, vt nos peccato mortuos, reuocaret ad vitam. Caeterum quur reuixit?

BARBATIVS. Tribus potissimum de causis.

AVLVS. Quibus?

BARBATIVS. Primum, vt nobis certam spem faceret resurrectionis. Deinde vt sciremus eum immortalem esse, non vnquam moriturum, in quo praesidia / salutis nostrae collocauimus. Postremo, vt nos quoque per poenitentiam mortui peccatis, per baptismum vna cum illo sepulti, per gratiam eius reuocemur ad vitae nouitatem. 167r

AVLVS. Credisne quod idem corpus, quod mortuum fuit in cruce, quod reuixit in sepulchro, quod visum et contrectatum est discipulis, subuexerit in coelum?

BARBATIVS. Maxime.

AVLVS. Quur voluit relinquere terras?

BARBATIVS. Vt illum omnes spiritualiter amaremus, neque quisquam in terris sibi Christum proprie vindicaret, sed omnes ex aequo tolleremus animos in coelum, scientes illic esse caput nostrum. Etenim si nunc homines tantopere sibi placent ob vestis colorem ac figuram, quumque sic quidam ostendent sanguinem aut praeputium Christi, et lac matris Virginis, quid credis futurum si mansisset in terris vestitus, comedens, loquens? Quae dissidia parassent ista corporis peculiaria?

AVLVS. Credis illic immortalitate donatum assidere dextrum Patri?

BARBATIVS. Quid ni? Vt rerum omnium dominum, et totius regni paterni consortem. Hoc ipse discipulis promiserat futurum atque hoc spectaculum exibuit Stephano martyri suo.

AVLVS. Quur hoc exibuit?

BARBATIVS. Ne nos vlla in re trepidaremus, gnari quam potentem patronum ac dominum habeamus in coelis.

AVLVS. / Credis illum eodem corpore rediturum, vt iudicet viuos et mortuos? (167v)

BARBATIVS. Quam habeo certum esse hactenus peracta, quae prophetae de Christo praedixerant, tam habeo certum, fore quicquid in postremum voluit nos expectare. Prior aduentus exhibi-

---

1 satanae
13 cõtretactatum
26 patri
37 aduentu

tus est iuxta vaticinium prophetarum quo venit humilis, vt nos instituere ac seruaret. Exhibebitur et secundus, quo veniet sublimis in gloria Patris, ante cuius tribunal sisti cogentur omnes homines cuiuscunque nationis, cuiuscunque status, siue reges, siue plebei, siue Graeci, siue Scythae. Nec solum hi, quos aduentus ille deprehendet viuos, verum etiam omnes qui ab initio mundi vsque ad illud tempus mortui fuerint, subito reuiuiscent, et suo quisque corpore conspiciet iudicem. Aderunt et angeli beati, tanquam famuli fideles, aderunt et daemones iudicandi. Tum e sublimi pronunciabit illam ineuitabilem sententiiam, quae diabolum cum his qui illi adhaeserunt, tradet aeternis supplicijs, vt postea nulli possint nocere; pios transferet in consortium regni coelestis, tutos ab omni molestia, tanquam huius aduentus diem nobis ignotum esse voluit.

AVLVS. Nihil audio morbi. Veniamus igitur ad tertiam personam.

BARBATIVS. Vt videtur.

AVLVS. Credis in Spiritum Sanctum?

168r BARBATIVS. Credo hunc esse verum Deum vna cum / Patre et Filio. Credo hoc spiritu afflatos fuisse, qui nobis Veteris ac Noui Testamenti libros tradiderunt, sine cuius ope nemo peruenit ad salutem.

AVLVS. Quur appellatur Spiritus?

BARBATIVS. Quia quemadmodum corpora nostra viuunt halitu, ita tacito Sancti Spiritus afflatu viuificantur animi nostri.

AVLVS. An non licet Patrem vocare Spiritum?

BARBATIVS. Quid ni?

AVLVS. Non igitur confunduntur personae?

BARBATIVS. Non . Nam Pater Spiritus dicitur, quod sit incorporeus, id quod omnibus personis est commune iuxta naturam diuinam. Sed tertia persona dicitur Spiritus, quod alicunde spiret, et per animas sese transfundat insensibiliter, velut a terra seu fluuijs spirant aurae.

---

3 patris
18 sanctum
19 deum/patre
20s filio/ veteris/noui testamenti
23 spiritus
25 spiritus
26 patrem/ spiritum
28 An non igitur (1533,p.269) IF mut. (ASD,p.370)
29 pater spiritus
31 spiritus

AVLVS. Quur personae secundae tribuitur nomen Filij?

BARBATIVS. Ob perfectam naturae et voluntatis similitudinem.

AVLVS. Est Filius similior Patri quam Spiritus Sanctus?

BARBATIVS. Non iuxta naturam diuinam, nisi quod hoc magis refert proprietatem Patris, quod ab ipso quoque procedat Spiritus Sanctus.

AVLVS. Quid igitur prohibet Spiritum Sanctum appellari Filium?

BARBATIVS. Quia vbi mater non est, nemo duorum simul esse Filius potest; Spiritus Sanctus tamen a Patre simul procedit et Filio. Emanationis igitur ratio, ante omnem scripturam (168v) emanantem, / procedentem et exeuntem facit Spiritum Sanctum a Patre simul et Filio, cum Filius genitus tantum a Patre sit. Hinc est quod haec non aliter in canonicis libris legimus, qui eodem dicantes Spiritu in vsum humani generis conscripti sunt.

AVLVS. Quur solus Pater dicitur ‡hic‡ Deus?

BARBATIVS. Quod hic simpliciter sit autor omnium, quae sunt.

AVLVS. Credis in sanctam Ecclesiam?

BARBATIVS. Credo ‡ in ‡ sanctam Ecclesiam, quae est corpus Christi, hoc est, congregatio quaedam omnium per vniuersum orbem qui consentiunt in fide Euangelica, qui colunt vnum Deum patrem, qui totam suam fiduciam collocant in eius Filio, qui eodem huius spiritu aguntur, a cuius consortio resecatur quisquis admittit crimen letale.

---

1 filij
4 filius/patri/ sanctus
6 patris/ spiritus
7 sanctus
8 spiritum sanctum
9 filium
10-16 BA. Quia nusquam hunc lego genitum, nec huius lego Patrem; Spiritum et procedentem lego. IF mut. (ASD,p.371, lineae 249-250) (cf. 1533,p. 269)
11 filius/spiritus sanctus
12 filio
13 spiritum sanctum
14 patre/filio/filius/patre
16 spiritu/humanis
17 pater/hic IF add.
19 AV. Dic clarius. BA. Quoniam nihil nominari potest, cuius origo non manat a Patre. Siquidem hoc ipsum quod Filius ac Spiritus Sanctus Deus est, Patri acceptum referunt. Principio igitur autoritas, hoc est, originis ratio, est in Patre solo. (cf. ASD,p.371,linea 252) (cf. 1533,p.269)
21 IF add.

AVLVS. Quid est quod Cyprianus et Augustinus, Thomas et Gersonius, vt alios omittam, non legunt, nec interpretantur 'Credo in sanctam Ecclesiam', sed 'Credo sanctam Ecclesiam"?

BARBATIVS. Variae fuerunt olim symboli aeditiones. Ad haec quemadmodum Patri tribuimus rerum creationem, et omnipotentiam, Filio esse huius Patris filium et vnicum dominum nostrum, de Spiritu Sancto concipi ex Maria Virgine nasci, passum sub Pontio Pilato crucifixum, mortuum et sepultum, inferos descendisse, et tertia die resurrexisse a mortuis, ad / 169r coelos ascendisse, et ad dexteram omnipotentis Patris sedere, indeque ad iudicandos viuos et mortuos venturum. Ita sane Spiritui Sancto illa accepta ferimus, quod sanctam Ecclesiam habeamus catholicam, quod immaculatam et vere sanctorum communionem, quod in ea sit omnium peccatorum remissio, quod huius influxu, quo sacras literas intelligimus, generalem carnis resurrectionem expectemus et tandem coelestem Hierusalem patriam nostram dulcissimam, vbi non qualem qualem vitam, sed aeternam transigamus. Hic si recte singula expendimus, fidem excoluimus, Deo enim credimus cuius scripturae assentimur. Sanctam etiam Ecclesiam fuisse et esse militantem, foreque triumphantem et credimus et speramus. Fidem igitur non solam, sed spem etiam exercemus sperantes remissionem peccatorum qua tuti post vniuersale iudicium cum Christo regnemus. Charitatem etiam in hac symboli confessione exerimus. Non enim Deo duntaxat credimus qui omnia replet Deum esse non solum credimus et confitemur, quem daemones credunt et contremiscunt, verum etiam in Deum credimus, hoc est in eum diligendo tendimus. Hunc animi nostri affectum significamus, cum dicimus (nam hoc etiam inter-

---

lss AV. Quur horres dicere, Credo in sanctam ecclesiam?
BA. Quia sic me docuit diuus Cyprianus, in solum Deum esse credendum, in quo simpliciter omnem fiduciam reponimus. Ecclesia uero proprie dicta quanquam non constat nisi ex bonis, tamen ex hominibus constat, qui ex bonis possunt fieri mali, qui falli possunt et fallere (1533,p.269) IF mut. (ASD,p.371-372)
2 Grisonius emendatum est in erratis
3 ecclesiam/credo/ecclesiam
6 filio/patris
7 sancto/virgine
10 patris
11 spiritui
12 sancto/ecclesiam
13 in maculatam
20 ecclesiam
22 toti
28 Nam

(169v) pretari nolumus): 'Credo in sanctam Ecclesiam', non / quod in illam tanquam in vltimum finem tendamus, sic enim in vnum Deum tendimus, in vnum Deum credimus, sic qui pater diligit et filium diligat necessum est, sed quod illi afflicimur, cuius quippe suffragijs speramus felicissime nos ad metam per venturos. Neque perturbet quempiam, quod hunc animi nostri affectum in creatorem et in creaturam eisdem verbis exprimimus. Haec est nimirum benignitas Dei nostri, qui in Euangelio etiam suos lucem mundi vocat. Scriptum est etiam in lege "Credidit populus Deo et Moysei seruo eius". Vna atque eadem credulitas, ait sacer Hieronymus: "in Moysen refertur, et in Deum, vt populus qui credebat in Dominum, aeque credidisse dicatur in seruum". Quod autem ad phrasin attinet, non nos diu ac multum solicitet. Hi sensus aliter verbis concipi nequeunt, vtcunque Latini loquantur, quorum idiotismum aliquando neglegi in negotio pietatis pium est diuo Hieronymo. Credere Deo et in Deum idem alicubi sunt, confiteor eum et in eum phrasis Hebraica est.

AVLVS. Pulchre omnia. Quid sentis de communione sanctorum?

BARBATIVS. Hic articulus omnino non attingitur apud Cyprianum, quum ille nominatim indicet, quid in quibusque Ecclesijs plus habeatur aut minus. Sic enim ille connecti. Sequitur
170r namque post hunc sermonem / sanctam Ecclesiam remissionem peccatorum, huius carnis resurrectionem. Ac nonnullis videtur haec pars non esse diuersa a superiore, sed explicare et infigere, quod modo dictum erat:'Sanctam Ecclesiam', vt nihil aliud sit Ecclesia quam vnius Dei, vnius Euangelij, vnius fidei, vnius spei professio eiusdem spiritus, eorundem sacramentorum participatio; breuiter, talis quaedam communio bonorum omnium inter omnes pios, qui fuerunt ab initio mundi usque ad finem, qualis est membrorum corporis inter ipsa societas, sic vt aliorum benefacta subueniant alijs, donec viua sunt membra corporis.

---

1 ecclesiam
6 quenpiam
8 euangelio
9-13 Commentarium Hieronymi in Epistolam ad Philemonem liber vnus, in Opera omnia, 1534, t. ix, fo. 115 F
10 Moysen
12 dominum
15 latini/idiotissimum emendatum est in erratis
17 deum/hebraica
23 ecclesiam
26 ecclesiam

Caeterum extra societatem hanc ne propria quidem benefacta conduncunt cuiquam ad salutem, nisi reconcilietur sanctae congregationi; et ideo sequitur, remissionem peccatorum, quia extra Ecclesia non est vlla peccatorum remissio, quantumuis homo maceret se poenitentia aut exerceat opera misericordiae. In Ecclesia, inquam, non haereticorum, sed sancta, hoc est, spiritu Christi congregata est remissio peccatorum per baptismum, et post baptismum per poenitentiam et claues Ecclesiae datas.

AVLVS. Ista sunt adhuc sani hominis. Credisne futuram carnis resurrectionem?

BARBATIVS. Frustra crederem caetera, si hoc quod est omnium caput, non crederem. /

(170v) AVLVS. Quid sentis, quum dicis carnem?

BARBATIVS. Corpus humanum humana anima animatum.

AVLVS. Num vnaquaeque anima recipiet suum corpus, quod exanime reliquerat?

BARBATIVS. Idem hoc, vnde demigrarat. Et ideo in symbolo Cypriani additum est huius carnis.

AVLVS. Qui fieri potest, vt corpus iamt oties ex alijs in alia versum, possit idem reuiuiscere?

BARBATIVS. Qui potuit, quicquid vult, ex nihilo creare, an huic difficile sit, quod ex sua forma mutatum est, in pristinam naturam restituere? Non anxie disputo, quibus modis id fiat. Mihi satis est, quod qui promisit hoc futurum, sic verax est, vt mentiri non possit; sic potens est, vt quicquid velit, nutu valeat efficere.

AVLVS. Quid opus erit tum corpore?

BARBATIVS. Vt totus homo glorietur cum Christo, qui hic totus afflictus erat pro Christo.

AVLVS. Quid sibi vult quod addit: "Et vitam aeternam"?

BARBATIVS. Ne quis suspicetur nos sic reuicturos, quemadmodum sub vernum tempus reuiuiscunt ranae, rursus moriturae. Nam hic duplex mors est, corporis bonis ac malis omnibus communis, et animi. Mors autem animi peccatum est. At post resurrectionem pijs erit aeterna vita, tum corporis tum animi. Nec enim corpus erit amplius obnoxium morbis, senio, fami, siti,
171r dolori, lassitudini, / morti, aut vlli incommodo, sed spirituale factum spiritus arbitrio mouebitur. Nec animus deinceps vllis vitijs aut doloribus sollicitabitur, sed sini fine fruetur summo bono, qui est Deus. Contra impios mors aeterna possidebit, tum corporis tum animi. Nam et corpus habebunt ad

aeternos cruciatus immortale, et animum peccatorum stimulis afflictum absque spe veniae.

AVLVS. Credis haec ex animo, ac serio?

BARBATIVS. Sic, inquam, vt mihi minus certum sit, te mecum colloqui.

AVLVS. Ego quum essem Romae, non omneis reperi aeque syncere credentes.

BARBATIVS. Imo si excutias, reperias et alibi multos, quibus haec non aeque persuasa sunt.

AVLVS. Quum in tam multis et arduis consentias nobiscum quid obstat, quo minus totus sis noster?

BARBATIVS. Istud ex te audire cupio. Nam ipse mihi videor orthodoxus, etiamsi vitam meam nolim praestare, tametsi sedulo conor, vt professioni respondeat.

AVLVS. Vnde igitur tantum bellum inter vos et orthodoxos?

BARBATIVS. Exquire. Sed heus medice, si non poenitet huius proemij, sumes nobiscum prandiolum, et a prandio per ocium percontaberis de singulis, praebebo brachium vtrumque, inspicies excrementa, tum crassiora, tum liquidiora. Denique (171v) facies, si videbitur, totius hu/ius pectoris anatomiam, quo certius de me iudices.

AVLVS. At religio est, tecum mensam habere communem.

BARBATIVS. Atqui id solent medici, quo melius obseruent, quia affectent aut peccent aegroti.

AVLVS. Sed vereor, ne videar fauere haereticis.

BARBATIVS. Imo nihil est sanctius, quam fauere haereticis.

AVLVS. Qui sic?

BARBATIVS. Nonne Paulus optauit anathema fieri pro Iudaeis plus quam haereticus? An non fauet ille qui studet vt quis ex malo fiat bonus, ex mortuo viuus?

AVLVS. Maxime.

BARBATIVS. Sic igitur faue, nec erit quod metuas.

AVLVS. Nunquam audiui aegrotum commodius respondentem. Age, duc me ad prandium.

BARBATIVS. Medice acciperis, et vt decet aegrotum, et sic curabimus corpuscula cibo, vt nihilo secius animus idoneus sit ad disputandum.

AVLVS. Fiat bonis auibus.

BARBATIVS. Imo malis piscibus fiet nisi forte nunc oblitus

---

28 iudaeis

es esse diem Veneris. Quod quidem est præter symbolum obedire praepositis, saltem contra symbolum non est, alibi in sacris literis expressum. Quare vel hoc vno nomine deprecor tuum prandium tuorumque similium, qui tanto cum dispendio hanc lernam in mundum inuexistis, et quidem multorum capitum. Quibus, quaeso, miraculis, qua vitae integritate, qua li/terarum 172r excellentia Luthero credat Ecclesia Dei vniuersa? Vt vnius autoritate, aut vesania potius, ponat receptos mores iam inde ab Ecclesiae cunis per mundum tam late dispersos? Non est profecto sani hominis tantum sibi arrogare vt vnus videat caecis omnibus.

BARBATIVS. De his a prandio iam hodie velis, nolis prandebis apud me.

AVLVS. Ne rumpe laciniam.

BARBATIVS. Retinebo.

AVLVS. Retinebis sed medicum.

BARBATIVS. Vtinam cures quicquid aegrotum est.

AVLVS. Dabo operam vt agnoscas morbum, uam praeter ea quae symbolum credenda proponit alia credas oportet, si orthodoxae pietati subscribis. Quae nos te omnia docebimus.

BARBATIVS. Nihil habeo magis in votis. Discumbamus igitur; vides stratam mensam.

AVLVS. Fiat.

LB 732-738
ASD 375-388

EVSEBIVS, PAMPIRVS, POLYGAMVS, GLYCION

EVSEBIVS. Quos nouas aues hic ego video? Nisi me fallit animus, aut parum prospiciunt oculi, video tres veteres congerrones meos confidentes, Pampirum, Polygamum et Glycionem. Certe ipsi sunt.

PAMPIRVS. Quid tibi vis cum tuis vitreis oculis,fascinator? Congredere proprius, Eusebi.

POLYGAMVS. Salue multum exoptate Eusebi.

(172v) GLYCION. Bene / sit tibi, vir optime.

EVSEBIVS. Saluete vos omnes vna salute, pariter mihi charissima capita. Quis deus nos coniunxit? Nam nemo, credo, vidit alium annis, opinor, iam quadraginta. Mercurius caduceo

---

lss AV. Id quidem est praeter symbolum nostrum (1533,p.273) IF mut. et add. (ASD,p.374)
7 dei
9 ecclesiae cuuis
24 POLIgamus

suo non potuisset melius nos in vnum contrahere. Quid hic agitur?

PAMPIRVS. Sedemus.

EUSEBIVS. Video, sed qua de causa?

POLYGAMVS. Operimur currum, qui nos deuehat Antuerpiam.

EUSEBIVS. Ad mercatum?

POLYGAMVS. Scilicet, sed spectatores magis quam negotiatores. Quanquam alij aliud est negotij.

EVSEBIVS. Et nobis eodem est iter. Verum quid obstat, quo minus eatis?

POLLYGAMVS. Nondum conuenit cum aurigis.

EVSEBIVS. Difficile genus hominum. Sed visne vt illis imponamus?

POLYGAMVS. Liberet, si liceret.

EVSEBIVS. Simulemus nos velle simul abire pedites.

POLYGAMVS. Citius credant cancros volaturos, quam nos tam grande pedibus hoc iter confecturos.

GLYCION. Vultis rectum verumque consilium?

POLYGAMVS. Maxime.

GLYCION. Illi potant. Id quod faciunt diutius, hoc plus erit periculi, necubi nos deijciant in lutum.

POLYGAMVS. Admodum diluculo venias oportet, si sobrium aurigam velis.

GLYCION. Quo maturius perueniamus Antuerpiam, nobis quatuor solis currum stipulemur. Contemnendum censeo tantillum pecuniae. Hoc damni multis commoditatibus pensabitur. Sede-
173r bimus commodius, ac mu/tuis fabulis suauissime transigemus hoc iter.

POLYGAMVS. Recte suadet Glycion, vt in vehiculo quoque iucundus comes pro vehiculo sit. Quin et iuxta Graecorum prouerbium, liberius loquemur, non de plaustro, sed in plaustro.

GLYCION. Transegi, conscendamus. Vah, nunc mihi libet viuere, posteaquam ex tanto interuallo videre contingit mihi charissimos olim sodales.

EVSEBIVS. Ac mihi videor repubescere.

POLYGAMVS. Quot annos supputatis, ex quo Lutetiae conuiximus?

---

9 Et nobis eodem est iter: hoc enuntiatum subnotatum est
20-21 Haec enuntiata adnotata sunt in margine
22-23 Vocabula posteriora subnotata sunt

EVSEBIVS. Arbitror haud pauciores quadraginta duobus.

PAMPIRVS. Tum videamur omnes aequales.

EVSEBIVS. Ita ferme eramus, aut si quid erat discriminis, perpusillum erat.

PAMPIRVS. At nunc quanta inaequalitas! Nam Glycion, nihil habet senij, et huius auus videri queat Polygamus.

EVSEBIVS. Profecto sic res habet. Quid rei in causa?

PAMPIRVS. Quid? Aut hic cessauit ac restitit in cursu, aut ille anteuertit.

EVSEBIVS. Ohe, non cessant anni, quantumuis cessent homines.

POLYGAMVS. Dic bona fide, Glycion, quod annos numeras?

POLYGAMVS. Quot tandem?

GLYCION. Sexaginta sex.

EVSEBIVS. O vere Τιθωνοῦ γῆρας, quod aiunt.

POLYGAMVS. Sed quibus tandem artibus remoratus es senectutem? Nam neque canicies adest, neque rugosa cutis, vigent
(173v) oculi, nitet utrinque dentium series, color viuidus / est, corpus succulentum.

GLYCION. Dicam artes meas, modo vt vicissim narres nobis artes tuas, quibus senectutem accelerasti.

POLYGAMVS. Recipio me facturum. Dic igitur, quo te contulisti relicta Lutetia?

GLYCION. Recta in patriam. Illic commoratus ferme annum, dispicere crepi de deligendo vitae genere, quam ego rem non leue momentum habere credo ad felicitatem. Circunspiciebam, quid cuique seccederet, quid secus.

POLYGAMVS. Miror tibi tantum fuisse mentis, cum Lutetiae nihil fuerit te nugacius.

GLYCION. Tum ferebat aetas. Et tamen, o bone, non hic meo Marte rem omnem gessi.

POLYGAMVS. Mirabar.

GLYCION. Priusquam quicquam aggrederer, adij quendam e ciuibus natu grandem longo rerum vsu prudentissimum ac totius quidem iudicio etiam felicissimum.

EVSEBIVS. Sapiebas.

GLYCION. Huius vsus consilio, duxi vxorem.

POLYGAMVS. Pulchre dotatam?

GLYCION. Dote mediocri, ac plane iuxta prouerbium τὴν

5-6 Nam Glycion nihil habet senij: hoc enuntiatum subnotatum est

κατ' ἐμαυτόν . Nam et mihi res erat mediocris. Ea res mihi plane cessit ex animi sententia.

POLYGAMVS. Quot annos tum eras natus?

GLYCION. Viginti ferme duos.

POLYGAMVS. O te felicem!

GLYCION. Non totum hoc fortunae debeo, ne quid erres.

POLYGAMVS. Qui sic?

174r GLYCION. / Dicam, alij prius diligunt, quam eligant. Ego iudicio delegi, quam diligerem. Et tamen hanc magis duxi ad posteritatem, quam ad voluptatem. Cum ea vixi suauissime annos non plures octo.

POLYGAMVS. Reliquit orbum?

GLYCION. Imo superest quadriga liberorum, filij duo, filiae totidem.

POLYGAMVS. Priuatusne viuis an magistratu fungeris?

GLYCION. Est mihi munus publicum, poterant contingere maiora. Verum hoc mihi delegi, quod tantum haberet dignitatis, vt me vendicaret a contemptu, caeterum minime molestis negotijs obnoxium. Ita nec est, quod quisquam obijciat, me mihi viuere et est vnde nonnunquam et amicis dem operam. Hoc contentus, nihil vnquam maius ambij. Verum sic gessi magistratum, vt illi ex me dignitas accreuerit. Hoc ego pulchrius duco, quam ex muneris splendore dignitatem mutuo sumere.

EVSEBIVS. Nihil verius.

GLYCION. Sic inter ciues meos consenui charus omnibus.

EVSEBIVS. Istuc vero difficillimum est, quum non abs re dictum sit, qui neminem habet inimicum,eum nec amicum habere quenquam, et felicitati semper inuidiam esse comitem.

GLYCION. Insignem felicitatem comitari solet inuidia. Mediocritas tuta est. Et hoc mihi perpetuum studium fuit, ne quid (174v) mihi commodi ex aliorum incommodis / compararem. Illam quam Graeci vocant ἀπραξίαν , quantum licuit, amplexus sum. Nullis negotijs ingessi memet, sed praecipue continui me ab his, quae sine offensa multorum suspici non potuerunt. Itaque si iuuandus erit amicus sic illi benefacio, vt hac de causa nullum

---

1-2 Hoc enuntiatum subnotatum et adnotatum est in margine
18 Vocabula priora subnotata et adnotata sunt in margine
20 amicis dem operam: haec vocabula subnotata sunt
21-22 Hoc enuntiatum subnotatum et adnotatum est in margine

mihi parem inimicum. Et si quid ortum fuerit simultatis alicunde, aut purgatione lenio aut officijs, aut dissimulatione patior intermori; contentione semper abstineo. Quae si incide-
rit malo rei, quam amicitiae facere iacturam. In caeteris Mi-
tionem quendam ago, nulli laedo os, arrideo omnibus, saluto ac resaluto benigniter, nullius repugno, nullius institutum aut factum damno, nemini me praefero, patior suum cuique pulchrum esse. Quod taceri velim, nemini credo. Aliorum arcana non scrutor; et si quid forte noui, nunquam effutio. De his
qui praesentes non sunt, aut taceo, aut amicale loquor ac ciuiliter. Magna pars simultatum inter homines nascitur ex linguae intemperantia. Alienas simultates nec excito, nec alo, sed vbicunque datur opportunitas, aut extinguo, aut mitigo. His rationibus hactenus vitaui inuidiam, ac beneuolentiam ci-
uium meorum alui.

PAMPIRVS. Non sensisti grauem coelibatum?

175r GLYCION. Mihi quidem / nihil vnquam accidit acerbius in vita, vxoris morte, ac vehementer optassem illam vna mecum consenescere, liberisque communibus frui, sed quando aliter visum est superis, iudicaui sic magis expedire vtrique neque causam putaui, quur me inani luctu discruciarem, praesertim cum id nihil prodesset defunctae.

POLYGAMVS. Nunquamne incessit libido repetendi matrimonium, praesertim quum istud tibi feliciter cesserit?

GLYCION. Incessit, sed liberorum causa duxeram vxorem, liberorum causa non duxi.

POLYGAMVS. At miserum est cubare solum totas noctes.

GLYCION. Nihil est difficile volenti. Tum cogita, quantas etiam habeat commoditates coelibatus. Quidam omni ex re
decerpunt, si quid est incommodi, qualis fuisse videtur Crates ille, cuius titulo fertur epigramma vitae mala colligens. Nimirum his placet illud: Optimum non nasci. Mihi magis arridet Metrodorus, vndequaque decerpens, si quid inest boni. Sic enim fit vita dulcior. Et ego sic induxi animum, vt nihil vehemen-
ter vel oderim, vel expetam. Ita fit, vt si quid obtingat boni non efferar aut insolescam; si quid decedat, non admodum crucier.

---

3 A contentione (1533p,,277) IF mut. (ASD,p.378)
7 ne minime emendatum est manu me minime, sed inepte
35-37 Haec enuntiata adnotata sunt in margine

PAMPIRVS. Nae tu philosophus es vel ipso Thalete sapientior, siquidem isthuc potest.

(175v) GLYCION. Siquid aegritudinis / obortum est animo, vt multa fert huiusmodi mortalium, protinus eijcio ex, siue sit ira ex offensa, siue quid aliud indigne factum.

POLYGAMVS. At sunt quaedam iniuriae, quae vel placidissimo moueant stomachum. Tales sunt frequenter et famulorum offensae.

GLYCION. Nihil ego patior residere in animo meo. Si mederi queam, medeor; sin minus, sic cogito, quid proderit me ringi, re nihilo melius habitura? Quid multis? Patior vt hoc impetret a me ratio, quod paulo post, tempus esset impetraturum. Certe nullus est tantus animi dolor, quem patiar mecum ire cubitum.

EVSSBIVS. Nihil mirum si tu non senescis, qui tali sis animo

GLYCION. Atque adeo ne quid reciteam apud amicos, cum primis caui, ne quid flagitij committerem quod vel liberis meis probro esse posset. Nihil enim irrequietius animo sibi male conscio. Quod siquid culpae admissum est, non eo cubitum priusquam me Deo reconciliaro. Vere tranquillitatis, seu vt Graece dicam εὐθυμίας fons est bene conuenire cum Deo. Nam qui sic viuunt, his nec homines magnopere nocere possunt.

EVSEBIVS. Num quando te cruciat metus mortis?

GLYCION. Nihilo magis quam macerat dies natiuitatis. 176r Scio moriendum. Ista solicitudo fortassis adimat mihi / aliquot vitae dies, certe nihil possit adijcere. Itaque totam hanc curam superis committo. Ipse aliud curo quam vt bene sua uiterque viuam. Non potest autem suauiter, nisi qui bene.

PAMPIRVS. At ego senescerem taedio, si tot annos degerem eadem vrbe, etiamsi Romae contingat viuere.

GLYCION. Habet quidem loci mutatio voluptatis nonnihil, longinquae vero peregrinationes, vt prudentiam addunt fortassis, ita plurimum habent periculorum. Mihi videor tutius totum orbem obire in tabula geographica, neque paulo plus videre in historijs, quam si viginti totos annos ad Vlyssis exemplum per omneis terras mariaque volitarem. Habeo praedioium,

---

10-11 Hoc enuntiatum subnotatum est
17-19 Hoc enuntiatum subnotatum et adnotatum est in margine
26-27 Hoc enuntiatum subnotatum est
21 deo
35 Geographica

quod abest ab vrbe non plusquam duobus milibus passum. Ibi nonnunquam ex vrbano fio rusticus. Atque ibi recreatus, redeo nouus hospes in vrbem, nec aliter saluto atque salutor, quam si renauigassem ex insulis nuper inuentis.

EVSEBIVS. Non adiuuas valetudinem pharmacis?

GLYCION. Nihil mihi rei cum medicis. Nec incidi venam vnquam, nec deuoraui catapotia, nec hausi potiones. Si quid oboritur lassitudinis, moderatione victus, aut rusticatione propello malum.

EVSEBIVS. Nihilne tibi cum studijs?

GLYCION. Est. Nam in his est praecipua vitae oblectatio. Verum his oblecto me, non macero. Siquidem vel ad voluptatem (176v) studeo, vel ad vtilitatem / vitae, non autem ad ostentationem. A cibo sumpto aut pascor literatis fabulis, aut lectorem adhibeo. Nec vnquam incumbo libris vltra horam. Tum surgo et arrepta testudine paulisper obambulans in cubiculo, vel cantillo, vel reputo mecum quid legerim, et si in promptu est congerro, refero mox ad librum redeo.

EVSEBIVS. Dic mihi bona fide. Nullane sentis incommoda senectutis, quae feruntur esse plurima?

GLYCION. Somnus aliquanto deterior est, nec perinde tenax memoria, nisi quid infixero. Liberaui fidem meam. Exposui vobis magicas artes meas, quibus alo iuuentutem meam. Nunc referat nobis pari fide Polygamus vnde tantum collegerit senij.

POLYGAMVS. Equidem nihil caelabo tam fidos sodales.

EVSEBIVS. Narrabis etiam tacituris.

POLYGAMVS. Quum agerem Lutetiae, quam non abhorruerim ab Epicuro, nostis ipsi.

EVSEBIVS. Sane meminimus, sed arbitrabamur te mores eos vna cum adolescentia Lutetiae relicturum.

POLYGAMVS. Ex multis quas illic adamaram vnam mecum abduxi domum, eamque grauidam.

EVSEBIVS. In aedes paternas?

POLYGAMVS. Recta sed mentitus eam esse coniugem cuiusdam amici mei, qui mox esset venturus.

EVSEBIVS. Id crededit pater?

POLYGAMVS. Imo rem olfecit intra quatriduum. Mox saeua 177r iurgia. Nec tamen interim temperabam a / conuiuijs, ab alea caeterisque malis artibus. Quid multis? Quum pater non faceret obiurgandi finem, negans se tales gallinas alere velle domi ac subinde minitans abdicationem, verti solum et cum gallina mea gallus alio demigraui. Ea mihi genuit aliquot pullos.

PAMPIRVS. Vnde res subpetebat?

POLYGAMVS. Nonnihil furtim dabat mater, ac praeterea conflatum est aeris alienis plus satis.

EVSEBIVS. Reperiebantur tam fatui, vt tibi crederet?

POLYGAMVS. Sunt qui nullis credant libentius.

PAMPIRVS. Quid tandem?

POLYGAMVS. Tandem vbi pater serio pararet abdicationem, intercesserunt amici, ac bellum hoc his legibus composuerunt, vt nostratem vxorem ducerem, cum Galla diuortium facerem.

EVSEBIVS. Erat vxor?

POLYGAMVS. Intercesserant verba futuri temporis, sed accesserat congressus praesentis temporis.

EVSEBIVS. Qui licuit igitur ab illa diuertere?

POLYGAMVS. Post rescitum est meae Gallae, Gallum esse maritum, vnde pridem se subduxerat.

EVSEBIVS. Ergo nunc habes vxorem?

POLYGAMVS. Non nisi praeter hanc octauam.

EVSEBIVS. Octauam? Non sine augurio dictus es Polygamus. Fortassis steriles omnes decessere.

POLYGAMVS. Imo nulla non reliquit aliquot catulos domi meae.

EVSEBIVS. Ego malim totidem gallinas quae mihi ponerent qua domi. Non taedet polygamiae?

(177v) POLYGAMVS. Adeo taedet, / vt si haec octaua moreretur hodie, perendie ducerem nouam. Imo hoc me male habet, quod non liceat habere binas aut ternas, quum vnus gallus gallinaceus tot gallinas possideat.

EVSEBIVS. Equidem haud miror,gallinacee, si parum pinguisti, quodque tantum senij tibi collegeris. Nihil enim aeque accelerat senectutem, quam immodice atque intempestiue compotationes, impotentes amores mulierum, et salacitas immoderata. Sed quis alit familiam?

POLYGAMVS. Ex obitu parentum accessit res mediocris. Et gnauiter laboratur manibus.

EVSEBIVS. Desciuisti igitur a literis?

POLYGAMVS. Plane ab equis, quod aiunt, ad asinos, ex heptatechno factus monotechnus faber.

EVSEBIVS. Miser toties tibi ferendus erat luctus, toties coelibatus?

POLYGAMVS. Nunquam vixi coelebs vltra dies decem, semper-

---

40 vixam

que noua nupta veterem luctum expulit. Habetis bona fide vitae meae summam. Atque vtinam Pampirus narret nobis suae quoque vitae fabulam, qui satis belle portat aetatem. Nam si fallor me duobus aut tribus annis est grandior.

PAMPIRVS. Dicam quidem, si vobis audire vacat tale somnium.

EVSEBIVS. Imo volupe fuerit audire.

PAMPIRVS. Vbi domum redissem, statim pater senex vrgere coepit, vt aliquot vitae genus amplecterer, vnde nonnihil
178r quaestus accederet rei familiari. Ac post lon/gam consultationem placuit negotiatio.

POLYGAMVS. Miror haec vitae genus arrisisse potissimum.

PAMPIRVS. Eram natura sitiens cognoscendi res nouas, varias regiones, vrbes, linguas, ac mores hominum. Ad id maxime videbatur apposita negotiatio. Quibus ex rebus nascitur et prudentia.

POLYGAMVS. Sed misera videlicet quae plerumque magnis malis sit illis emenda.

PAMPIRVS. Sic est. Itaque pater numerauit sortem satis amplam, vt dextro Hercule, ac bene fortunate Mercurio, negociationem auspicarer. Simulque ambiebatur vxor cum amplissima dote, sed ea forma, quae vel indotatam commendare poterat.

EVSEBIVS. Successit?

PAMPIRVS. Imo priusquam redirem domum, perijt et sors et vsura.

EVSEBIVS. Naufragio fortassis.

PAMPIRVS. Plane naufragio. Nam impegimus in scopulum quauis Malea periculosiorem.

EVSEBIVS. In quo mari occurrit iste scopulus, aut habet nomen?

PAMPIRVS. Mare non possum dicere, sed scopulus plurimorum infamis exitijs, Latine dicitur alea, quomodo vos Graeci nominatis, nescio.

EVSEBIVS. O te stultum!

PAMPIRVS. Imo stultior pater, qui tantam summam crederet adolescenti.

GLYCION. Quid deinde factum est?

PAMPIRVS. Nihil actum, sed coepi cogitare de suspendio.

---

32 latine

(178v) GLYCION. Adeon' erat pater implacabilis? / Nam res sarciri potest, et venia datur vbique protopiro, multo magis Pampiro debebatur.

PAMPIRVS. Verum fortasse narras, sed interim miser excidi ab vxore. Nam parentes puellae simul atque cognouerunt haec auspicia, renunciarunt affinitatem. Et amabam, vt qui perditissime.

GLYCION. Miseret me tui. Sed quid interim consilij tentatum est?

PAMPIRVS. Id quod solet in rebus desperatis. Pater abdicabat, perierat res, perierat vxor, vndique audiebam gurges, nepos, heluo. Quid plura? Serio mecum deliberabam, an suspenderem me, an aliquo conijcerem memet in monasterium.

EVSEBIVS. Crudele consilium. Scio vtrum elegeris, mitius mortis genus.

PAMPIRVS. Imo quod mihi tunc visum est crudelius, adeo displicebam totus. (...) Corraso viaticulo, furtim me subduxi procul a patria.

GLYCION. Quo tandem?

PAMPIRVS. In Hiberniam, illic factus sum canonicus ex horum genere, qui extime linei sunt, intime lanei.

GLYCION. Apud Hibernos igitur hibernasti?

PAMPIRVS. Non, sed duos menses apud hos versatus, nauigaui in Scotiam.

GLYCION. Quid te offendit apud illos?

PAMPIRVS. Nihil, nisi quod institutum illud mihi videbatur mitius quam pro meritis eius,qui non vno suspendio dignus erat.

EVSEBIVS. Quid in Scotia designatum est?

PAMPIRVS. Illic ex lineo factus sum pelliceus apud Car-
179r tu/sios.

EVSEBIVS. Homines plane mundo mortuos.

PAMPIRVS. Ita mihi visum est, cum audirem illos canentes.

GLYCION. Quid? Canunt etiam mortui? Quot menses apud illos egisti Scotus?

PAMPIRVS. Propemodum sex.

GLYCION. O constantiam.

EVSEBIVS. Quid illic offendit?

---

17 GL. Atqui complures eo se deijciunt, ut suauius uiuant. (1533,p.283) IF om. (ASD,p.383)
22 hybernasti

PAMPIRVS. Dissimilitudo. Similes quippe amant labra lactucas. Neque vsquam me caperet mundus, tantum abest, vnius cellulae angustis concluderer. Deinde multos illic reperi, non admodum sani cerebri, verebar ne totum periret.

POLYGAMVS. Quo deinde deuolasti?

PAMPIRVS. In Galliam . Illic reperi quosdam totos pullatos ex instituto diui Benedicti qui colore vestis testantur se lugere in hoc mundo, et inter hos, qui pro summa veste cilicium ferrent reti simile.

GLYCION. O grauem corporis macerationem.

PAMPIRVS. Hic egi menses undecim.

EVSEBIVS. Quid obstitit, quo minus illic maneres perpetuo?

PAMPIRVS. Timui vicinum iugum. Malui mei iuris esse. Praeterea audieram esse quosdam his multo sanctiores, quos Bernardus ad superiorem disciplinam reuocasset, pulla veste mutata in candidam. Apud hos vixi menses decem.

EVSEBIVS. Hic quid offendebat?

PAMPIRVS. Nihil admodum. Nam hos reperi sat commodes so-
(179v) dales. Sed / mouebat me Graecorum prouerbium: Δεῖ τὰς χελώνας ἢ φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν . Itaque decretum erat aut non esse monachum, aut insigniter esse monachum. Acceperam esse quosdam Brigidenses, homines plane coelestes. Ad hos me contuli.

EVSEBIVS. Quot menses illic egisti?

PAMPIRVS. Biduum nec id sane totum.

GLYCION. Vsque adeo placuit hoc vitae genus?

PAMPIRVS. Non recipiunt nisi qui mox obstringat se professioni. At ego nondum adeo insaniebam, vt facile me praeberem capistro, quod nunqam liceret excutere. Et quoties audiebam canentes virgines, cruciabat animum vxor erepta.

GLYCION. Quid deinde?

PAMPIRVS. Ardebat animus amore sanctimoniae, nec vsquam satis fiebat animo meo. Tandem obambulans, incidi in quosdam praeferentes crucem. Hoc signum mihi protinus arrisit. Sed

---

1-4 PA. Quia mihi uisa est uita segnis ac delicata. Deinde multos illic reperi, non admodum sani cerebri, ob solitudinem, ut arbitror. Mihi parum erat cerebri, (1533,p.284) IF mut. (ASD, p.384)

14 PA. Quia plus illic reperi ceremoniarum, quam uerae pietatis. (1533,p.284) IF mut. (ASD,p.384)

remorabatur electionum varietas. Alij gestabant albam, alij rubram, alij viridem, alij versicolorem, alij simplicem, alij duplicem, nonnulli quadruplicem, alij alia atque alia figura variatam. Ego ne quid intentatum relinquerem, omnes ferme formas gessi. (...) Tandem fessus inquirendo, sic mecum cogitabam, vt semel omnem sanctimoniam assequar, petam terram sanctam ac redibo domum sanctimona onustus.

POLYGAMVS. Num eo profectus es?

180r PAMPIRVS. / Maxime.

POLYGAMVS. Vnde suppetebat viaticum?

PAMPIRVS. Demiror istuc nunc denique tibi venire in mentem, vt rogares, ac multo ante percontatum fuisse. Sed nosti prouerbium: Τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφειν.

GLYCION. Quam artem circunferebas?

PAMPIRVS. Chiromanticam.

GLYCION. Vbi eam didiceras?

PAMPIRVS. Quid refert?

GLYCION. Quo praeceptore?

PAMPIRVS. Eo qui nihil non docet, ventre. Praedicabam praeterita, futura, praesentia.

GLYCION. St sciebas?

PAMPIRVS. Nihil minus. Sed diuinabam audacter, idque tuto videlicet prius accepto precio.

POLYGAMVS. An ars ridicula poterat alere te?

PAMPIRVS. Poterat, et quidem cum duobus famulis.Tantum est vbique fatuorum ac fatuarum. Attamen cum Hierosolymam adirem, addideram me in comitatum cuiusdam magnatis, praediuitis, qui natus annus septuaginta, negabat se aequo animo moriturum, nisi prius adisset Hierosolymam.

EVSEBIVS. Ac domi reliquerat vxorem?

PAMPIRVS. Atque etiam liberos sex.

EVSEBIVS. O senem impie pium. Atque illinc redisti sanctus?

PAMPIRVS. Vis verum fatear? Aliquanto deterior quam iueram.

EVSEBIVS. Sic, vt audio, excussus est religionis amor.

PAMPIRVS. Imo magis incanduit. Itaque reuersus in Italiam

---

5 Verum ipsa re comperi, longe aliud esse circumferre crucem in pallio seu tunica, quam in corde. (1533,p.285) IF om. (ASD,p.385)

addixi me militiae.

(180v) EVSEBIVS. / Itane religionem venabaris in bello, quo quid esse potest sceleratius?

PAMPIRVS. Erat sancta militia.

EVSEBIVS. Fortassis in Turcas.

PAMPIRVS. Imo sanctius quiddam .

EVSEBIVS. Quid nam?

PAMPIRVS. Iullius secundus belligerabatur aduersus Gallos. Porro militiam mihi commendabat etiam multarum rerum experientia.

EVSEBIVS. Multarum, sed malarum.

PAMPIRVS. Ita post comperi. Et tamen hic durius vixi, quam in monasterijs.

EVSEBIVS: Quid tum postea? (...)

PAMPIRVS. Cogitare coepi de venanda abbatia, sed primum non omnibus hic fauet Delia, et saepe longa est venatio. Itaque consumptis hunc in modum annis octo, quum esset nunciata mors patris domum reuersus, ex consilio matris duxi vxorem, et ad veterem negotiationem redij.

GLYCION. Dic mihi, cum tam subinde nouam vestem sumeres, ac velut in aliud animal transformereris, qui potuisti seruare decorum?

PAMPIRVS. Qui minus quam hi, qui in eadem fabula nonnunquam aliam atque aliam summunt personam?

EVSEBIVS. Dic nobis bona fide, qui nullum vitae genus non expertus es, quod omnium maxime probas?

PAMPIRVS. Non omnibus omnia congruunt, mihi nullum magis arridet, quam hoc quod sequitus sum.

EVSEBIVS. Multa tamen incommoda habet negociatio.

---

14 PA. Iam mihi uacillare coepit animus, utrum ad negociationem intermissam redirem, an religionem fugientem persequer. Interim uenit in mentem utrunque alteri posse coniungi.
EV. Quid, ut simul esses et negociator et monachus?
PA. Quid ni? Nihil religiosius ordinis mendicantium: et tamen nihil similius negociationi. Volitant per omnes terras ac maria, multa uident, multa audiunt, penetrant omneis domos, plebeiorum, nobilium, atque regum.
EV. Quod genus ex his delegisti?
PA. Omnes formas expertus sum.
EV. Nulla placuit?
PA. Imo perplacuerunt omnes, si licuisset statim negociari. Verum perpendebam mihi diu sudandum in choro, prius quam crederatur mihi negociatio. Iamque cogitare coepi (1533,p.286)
IF. om. (ASD,p.386)
15 Abbatia

PAMPIRVS. Sic est. Sed quando nullum vitae genus omnibus
181r caret incommodis, hanc / Spartam quae contigit orno. Verum nunc super est Eusebius, qui non grauabitur apud amicos vitae suae scenam aliquam explicare.

EVSEBIVS. Imo totam fabulam, si videtur, nam habet actus non multos.

GLYCION. Erit magnopere gratum.

EVSEBIVS. Vbi redissem in patriam, annum apud me deliberaui, quod vitae genus amplecti vellem simulque meipsum exploraui, ad quod genus essem propensus, aut idoneus. Interim oblata est praebenda, quam vocant, satis opimi prouentus, accepi.

GLYCION. Vulgo male audit hoc vitae genus.

EVSEBIVS. Mihi, vt sunt res humanae, satis exoptandum videtur. An mediocrem felicitatemesse putatis, subito velut e coelo dari tot commoda, dignitatem, aedes honestas beneque instructas, annuos reditus satis amplos, sodalitium honorificum deinde templum, vbi si libeat vaces religioni?

PAMPIRVS. Illic me luxus offendebat, et concubinarum infamia, tum quod plerique istius generis odere literas.

EVSEBIVS. Ego non specto quid agant alij, sed quid mihi sit agendum. Et melioribus me adiungo, si non possum alios meliores reddere.

POLYGAMVS. In isto genere vixisti perpetuo?

EVSEBIVS. Perpetuo, nisi quod interim quatuor annos primum egi Patauij.

POLYGAMVS. Quam ob rem?

EVSEBIVS. Hos annos ita partitus sum, vt sesquiannum da-
(181v) rem studio medi/cinae, reliquum tempus theologiae.

POLYGAMVS. Quur id?

EVSEBIVS. Quo melius et animum et corpus meum moderarer, nonnunquam et amicis consulerem. Nam et concinor nonnunquam pro mea sapientia. Sic hactenus satis tranquille vixi, contentus vnico sacerdotio, nec praeterea quicquam ambiens, recusaturus etiam si offeratur.

PAMPIRVS. Vtinam liceret discere, quid agant caeteri nostri sodales, quibus cum tum familiariter viximus.

EVSEBIVS. De nonnullis possum commemorare quaedam, sed video nos non procul abesse a ciuitate. Quare si videtur, con-

---

16 redditus
28 Theologiae

ueniemus in idem diuersorium. Ibi per ocium de caeteris conferemus affatim.

HVGVITIO AVRIGA. Vnde tam miseram sarcinam nactus es, luce?

HENRICVS AVRIGA. Imo quo tu defers istud lupanar ganeo?

HVGVITIO. Debueras istos frigidos senes alicubi effundere in vrticetum, vt candescerent.

HENRICVS. Imo tu istum gregem cura, vt praecipites alicubi in profundam lamam. vt refrigerentur. Nam calent plus satis.

HVGUITIO. Non soleo praecipitare sarcinam meam.

HNRICVS. Non? Atqui nuper vidi te sex Cartusienses deiecisse in coenum sic, vt pro candidis emergerent nigri. Tu interim quasi re bene gesta, ridebas.

HVGVITIO. Nec iniuria. Dormiebant omnes, ac multum pon
182r deris ad/debant currui meo.

HENRICVS. At mei senes egregie subleuarunt currum meum, per totum iter perpetuo garrientes. Nunquam vidi meliores.

HVGVITIO. Non soles tamen talibus delectari.

HENRICVS. Sed hi semiculi boni sunt.

HVGVITIO. Qui scis?

HENRICVS. Quia per eos ter bibi per viam ceruisiam insigniter bonam.

HVGVITIO. Ha ha he. Sic tibi boni sunt.

LB
739-744
ASD
389-402

CONRADVS, BERNARDINVS, PASTOR, PANDOCHEVS, VXOR

CONRADVS. Atqui pastorem decet hospitalitas.

PASTOR. Pastor sum ouium, non amo lupos.

CONRADVS. At non perinde fortassis odisti lupas. Sed quo tandem merito sic abhorres a nobis, vt ne tecto quidem digneris? Neque enim te grauabimus coena.

PASTOR. Dicam, quia si conspiceretis in aedibus meis gallinam aliquam, aut pullos gallinaceos, cras in concione traducerer apud populum. Hanc soletis referre gratiam communicari hospitij.

CONRADVS. Non omnes sumus istiusmodi.

---

3 HVG. auriga
5 HENRI Auriga

PASTOR. Sitis cuiusmodi voletis, ego vix sancto Petro fiderem, si tali cultu veniret ad me.

CONRADVS. Si ita, stat sententia, saltem iudica diuersorium aliud.

PASTOR. Est in hoc vico diuersorium publicum.

CONRADVS. Quod habet signum?

(182v) PASTOR. In tabula pensili videbitis canem os in/ferentem in ollam; hoc agitur in cullina. Ad abacum rationalem sedet lupus.

CONRADVS. Signum inauspicatum.

PASTOR. Fruamini.

BERNARDINVS. Quod genus pastoris hoc est, per illum liceret perire fame.

CONRADVS. Si non melius pascit oues quam nos, oportet esse parum obesas.

BERNARDINVS. In malis rebus opus est bono consilio. Quid fiet?

CONRADVS. Perfricanda frons est.

BERNARDINVS. Nimirum inutilis est pudor cum vrget necessitas.

CONRADVS. Admodum, sanctus Franciscus aderit nobis.

BERNARDINVS. Pro fortuna.

CONRADVS. Non expectabimus Pandochei responsum pro foribus, nec facile patiemur nos eijci.

BERNARDINVS. O facinus impudens!

CONRADVS. Hoc satius quam noctem agere sub dio ac perire frigore. Interim depone pudorem in sacculo,cras re sumpturus, vbi videbitur.

BERNARDINVS. Scilicet, sic res ipsa suadet.

PANDOCHEVS. Quod animantium genus hic video?

CONRADVS. Seruos Dei, filios sancti Francisci, vir optime.

PANDOCHEVS. An Deus talibus servi delectetur, nescio; ego mihi nolim multos esse domi.

CONRADVS. Quam ob rem?

PANDOCHEVS. Quia ad edendum ac bibendum plus quam viri estis, ad laborandum nec manus habetis, nec pedes. Ohe, vos estis filij sancti Francisci? Solebis praedicare eum esse virginem, et habet ille tot filios?

---

1 cuicuimodi
3 Sit ita emendatum est in erratis
27 saculo
31 dei

183r CONRADVS. Spiritus filij sumus, non / carnis.

PANDOCHEVS. Infelix genitor ille. Nam quod in vobis pessimum est, animus est; corpore nimium valetis, planeque melius habetis ista parte, quam expediat nobis, qui alimus vxorem et filias.

CONRADVS. Tu forte suspicaris nos esse ex eorum genere, qui degenerant a progenitoris instituto; non sumus obseruantes.

PANDOCHEVS. Ego igitur obseruabo, ne quid adferatis detrimenti. Nam istud genus ego odi pessime.

CONRADVS. Quam ob rem te quaeso?

PANDOCHEVS. Quia circunfertis dentes, nec circunfertis pecuniam. Hoc genus hospitum mihi est ingratissimum.

CONRADVS. At laboramus vobis.

PANDOCHEVS. Vultis ostendam vobis, quomodo laboretis?

CONRADVS. Ostende.

PANDOCHEVS. Inspicite picturam vobis proximam ad laeuam. Illic videtis vulpem concionantem, sed a tergo anser collum profert e cuculla. Rursus videtis lupum absoluentem confessum, sed prominet pars ouis occultatae sub veste. Videtis simium assidentem aegroto in veste Franciscana, altera manu praefert crucem, alteram habet in crumen aegrotantis.

CONRADVS. Non inficiamur hac veste nonnunquam tegi lupos, vulpes, ac simias, sed fatemur etiam saepe tegi porcos, canes, equos leones, ac regulos. Quin eadem vestis tegit multos bonos viros. Vestis vt neminem reddit meliorem, ita nullum (183v) reddit / deteriorem. Proinde iniquum est, quenquam ex veste aestimare. Alioqui tua vestis, qua nonnunquam vteris, esset execranda, quae multos tegit fures, homicidiae, veneficos, et adulteros.

PANDOCHEVS. De veste cedam, si numeretis.

CONRADVS. Rogabimus Deum pro te.

PANDOCHEVS. Ego vicissim pro vobis, operam opera pensans.

CONRADVS. Atqui non ab omnibus accipiendum.

PANDOCHEVS. Quur vobis religio est contingere pecuniam?

CONRADVS. Quia pugnat cum professione nostra.

PANDOCHEVS. Itidem hum mea professione pugnat admittere gratuitum hospitem.

CONRADVS. At nos cogitregula non contingere pecuniam.

---

39 PAN. At nos

PANDOCHEVS. At mea regula diuersum praecipit.

CONRADVS. Vbi est tua regula?

PANDOCHEVS. Lege versus istos:

Hospes in hac mensa fuerint cum viscera tensa,
Surgere ne properes, ni prius annumeres.

CONRADVS. Nos non erimus tibi sumptui.

PANDOCHEVS. Atqui mihi non sunt sumptui, ne quaestui quidem sunt.

CONRADVS. Deus abunde pensabit, siquid officij nobis praestiteris.

PANDOCHEVS. Istis verbis non alo familiam.

CONRADVS. Abdemus nos in angulum vaporarij, neque cuiquam erimus molesti.

PANDOCHEVS. Non fert tales homines hoc vaporarium.

CONRADVS. Itane nos eijcis, fortassis hac nocte deuorandos a lupis?

184r PANDOCHEVS. / Lupus lupinam non est, vt nec canis caninam.

CONRADVS. Crudelis esses, sic hoc faceres Turcis; quales quales sumus, homines sumus.

PANDOCHEVS. Surdo canitis.

CONRADVS. Tu molliteo foues corpus quum nudus recubans post vaporarium, et nos extrudis frigore nocturno, etiamsi parcant lupi.

PANDOCHEVS. Sic vixit Adam in Paradiso.

CONRADVS. Vixit, sed innocens.

PANDOCHEVS. Et ego innocens.

CONRADVS. Fortassis detracta syllaba prima. At vide, si tu nos nunc extrudis e paradiso tuo, ne Deus non recipiat in suum.

PANDOCHEVS. Bona verba.

VXOR. Mi vir, tot tua malefacta saltem hoc beneficio pensa, patere hos hac nocte tecto nostro vti; sunt viri boni, senties quaestum hinc fieri vberiorem posthac.

PANDOCHEVS. Ecce deprecatricem, suspicor conuenire inter vos, nec admodum lubens audio hoc elogium a muliere 'viri boni'

VXOR. Hau. Non ita est, sed cogita, quoties peccaris alea, temulentia, rixis, pugnis, saltem hac eleemosyna redime tua

---

24 paradiso
33 quaestum nobis emendatum est in erratis, sed inepte

peccata, ne eijcias hos, quos optaris tibi adesse morienti, Scurras et sanniones recipis saepenumero, et hos extrudis?

PANDOCHEVS. Vnde ista concionatrix nobis? Abi tu, et cura rem culinariam.

VXOR. Id quidem fiet.

BERNARDINVS. Mitescit, et sumit indusium lineum, spero fore recte. /

(184v) CONRADVS. Et mensam insternunt pueris. Bene habet quod nulli veniunt hospites, alioqui nobis erat exulandum.

BERNARDINVS. Feliciter cecidit, quod e proximo oppidulo retulimus nobiscum lagunculam vini et agni coxam assam. Alioqui hic, vt video, ne foenum quidem impartisset nobis.

CONRADVS. Iam accubuere pueri. Adiungamus nos in mensae partem, sic tamen ne cui incommodemus.

PANDOCHEVS. Vobis imputandum arbitror, quod hodie nullum habeo conuiuam, praeter domesticos et vos inutiles.

CONRADVS. Nisi frequenter hoc accidit,imputa nobis.

PANDOCHEVS. Frequentius quam vellem.

CONRADVS. Noli laborare, viuit adhuc Christus, qui non deseret suos.

PANDOCHEVS. Audiui vos dici Euangelicos. Et Euangelium prohibet per viam circunferri peram aut panes. Vos manicas habetis pro pera, vt video. Nec panes modo circunfertis, verum etiam vinum, et delicias carnium.

CONRADVS. ‡Damus operam, quantum in nobis est, vt sequamur Euangelium. Si pandochei essent tui dissimiles, non deberemus gestare peram. Ne tamen vobis simus oneri non est contra Euangelium circunferre quae tribuerunt nobis viri Euangelici.‡Fruere igitur‡tu‡nobiscum si licet.

PANDOCHEVS. Meum vinum ad istud collatum, vapa est.

CONRADVS. Gusta et de carnibus,nobis etiam superest.

185r PANDOCHEVS. O fe/lices mendicos, vxor mea nihil hodie coxit, praeter caules et lardum rancidum.

CONRADVS. Communicemus,si videtur, nostros apparatus. Nam nostra nihil refert, quibus vescamur.

PANDOCHEVS. Quur igitur non circunfertis caules, et

---

2 saniones
10 opido
25-29 IF add.
29 IF add.
28 euangelici

vapam?

CONRADVS. Quoniam haec nobis obtrudere maluerunt, apud quos hodie pransi sumus.

PANDOCHEVS. Gratis pransi?

CONRADVS. Maxime. Imo gratias etiam egerunt, et abeuntis his apophoretis onerarunt.

PANDOCHEVS. Vnde venitis?

CONRADVS. E Basilea.

PANDOCHEVS. Hui, e tam longinquo?

CONRADVS. Sic est.

PANDOCHEVS. Quod tandem genus hominum estis vos, qui sic aberratis sine iumento, sine crumena, sine famulitio, sine armis, sine commeatu?

CONRADVS. Vides qualecunque vestigium Euangelicae vitae.

PANDOCHEVS. Mihi videtur erronum vita, qui vagantur cum reticulo.

CONRADVS. Tales errones erant Apostoli. (...)

PANDOCHEVS. Nostis artem chiromanticam?

CONRADVS. Nihil minus.

PANDOCHEVS. Vnde igitur suppetit victus?

CONRADVS. Ab eo qui promisit.

PANDOCHEVS. Quis ille?

CONRADVS. Qui dixit: "Nolite esse soliciti; haec omnia adijcientur vobis".

PANDOCHEVS. Promisit, sed quaerentibus regnum Dei.

CONRADVS. Id facimus pro virili.

PANDOCHEVS. Apostoli clarebant miraculis, sanabant aegrotos, proinde non mirum illis vbique suppetisse victum, vos / (185v) nihil tale potestis.

CONRADVS. Possemus, si similes essemus Apostolis, et si res posceret miraculum. At miracula data sunt ad tempus incredulis, nunc nihil opus nisi pia vita. Et saepe felicius est aegrotare quam valere, saepe felicius mori quam viuere.

PANDOCHEVS. Quid igitur vos facitis?

CONRADVS. Quod possumus, pro sua quisque dote diuinitus donata consolamur, exhortamur, admonemus, corripimus, vbi se dederit occasio; nonnunquam et concionamur, sicubi comperimus

---

14 euangelicae
17 talis erat et dominus Iesus (1533,p.293) IF om. (ASD,p.393)
30 apostolis

pastores mutos; si non datur prodesse, damus operam, ne quem laedamus moribus et lingua.

PANDOCHEVS. Vtinam cras velis nobis concionari. Nam dies est apud nos festus.

CONRADVS. Cui diuo?

PANDOCHEVS. Antonio.

CONRADVS. Fuit is quidem vir bonus, sed vnde dies festus?

PANDOCHEVS. Dicam; abundat hic vicus subulcis propter vicinum nemus glandiserum. Et persuasum est Antonio delegatam curam eius pecoris, et ideo colunt illum, ne saeuiat neglectus.

CONRADVS. Vtinam vere colerent illum.

PANDOCHEVS. Quo pacto?

CONRADVS. Sanctissime coluit diuos, quisquis imitatus est.

PANDOCHEVS. Totus hic vicus cras perstrepet compotationibus, saltationibus, lusibus, rixis et pugnis.

CONRADVS. Sic ethnici quondam colebant Bacchum suum. Miror autem, si sic cultus Antonius, non saeuit in ho/mines ipso 186r pecore stultiores; ‡ sequitur tamen duci sui mansuetudinem et lenitatem.‡ Qualem habetis pastorem: mutum ac malum?

PANDOCHEVS. Qualis sit alijs, nescio, mihi optimus est; nam hic potat totos dies. Neque quisquam plures adducit, aut meliores combibones, magno meo bono. Atque adeo demiror illum nunc abesse.

CONRADVS. Nos experti sumus parum commodum.

PANDOCHEVS. Quid audio? salutastis hominem?

CONRADVS. Ambiuimus apud illum hospitium; ille non aliter quam lupos abegit a limine, et huc iussit abire.

PANDOCHEVS. Ha ha, nunc intelligo. Hinc est quod noluit adesse, quod sciret vos hic futuros.

CONRADVS. Estne mutus?

PANDOCHEVS. Mutus? Nemo illo vocalior in vaporario, ac strenue boat in templo. Concionantem nunquam audiui. Sed quid pluribus opus? Vos ipsi sensistis, vt intelligo, non esse mutum.

CONRADVS. Estne peritus sacrarum literarum?

PANDOCHEVS. Ait se peritissimum, sed quicquid talium rerum didicit, didicit in secreta confessione, sic vt fas non sit proferre apud alios. Quid multa? Dicam in summa, qualis est

---

2 ledamus
7 diet emendatum est in erratis
18-19 IF add.

populus, talis est sacerdos, et plane nacta est suum patella operculum.

CONRADVS. Fortasse non dabit locum concionaturo.

(186v) PANDOCHEVS. Dabit, ad me recipio, sed / hac lege, ne quid in illum iaculare, quemadmodum plerique soletis.

CONRADVS. Rei male assueuerunt, qui hoc solent. Ego clam admoneo pastorem, si quid offendit; quod superest, episcoporum est munus.

PANDOCHEVS. At tales aues huc raro deuolant. Equidem video vos esse viros bonos. Sed quid sibi vult vestiam varietas? Nam plerique hoc ipso iudicant vos esse malos, quod sic vestiamini.

CONRADVS. Vnde id?

PANDOCHEVS. Nescio, nisi quod tales multi comperiantur.

CONRADVS. Multi hoc ipso iudicant nos esse sanctos, quod sic vestiamur, peccant vtrique, sed tamen humanius peccant, qui ex veste bene de nobis suspicantur, quam qui male.

PANDOCHEVS. Esto sane. Sed quae tandem vtilitas tot discriminum?

CONRADVS. Quid tu censes?

PANDOCHEVS. Mihi quidem nulla videtur, nisi in pompis aut in bellis; in pompis enim circunferentur variae personae sanctorum, Iudaeorum, ethnicorum; has ex diuerso cultu dignoscimus. In bellis autem hoc praestaret cultum varietas, vt suum quaeque vexillum copiae sequerentur, neque fieret ordinum confusio.

CONRADVS. Pulchre dicis, et haec vestis est militaris. Alius alium ducem sequimur, sed omnes militamus sub vno Caesare Christo. Verum in veste tria spectanda sunt.

PANDOCHEVS. Quae?

187r CONRADVS. Necessitas, vsus et decorum. Quur / sumimus cibum?

PANDOCHEVS. Ne pereamus fame.

CONRADVS. Sic aliquando sumenda vestis, ne pereamus frigore.

PANDOCHEVS. Fateor.

CONRADVS. Hoc melius praestat haec vestis quam tua. Tegit enim et caput et collum et scapulas, vnde plurimum est peri

---

7 Episcoporum

culi. Vsus postulat varia vestium genera. Equitaturo conuenit breuis, quiescenti longa, in aestate tenuis, in hyeme densa. Sunt Romae qui singulis diebus ter commutant vestem. Mane sumunt duplicatam pellibus, sub meridiem accipiunt simplicem, rursus sub noctem aliquanto crassiorem. Verum non omnibus suppetunt mutatoria. Proinde haec vestis reperta est, vna ad plurimos vsus accommoda.

PANDOCHEVS. Qui sic?

CONRADVS. Si flat boreas, aut si seruet sol, adducimus cucullam. Si calor offendit, demittimus in tergum; si quiescendum est, demittimus vestem, si ambulandum, subducimus, aut succingimus etiam.

PANDOCHEVS. Non pessime sapuit, quisquis hoc inuenit.

CONRADVS. Est autem hoc ad bene viuendum praecipuum, vt homo consuescat esse paucis contentus. Alioqui si delicijs aut affectibus indulgere coeperimus, nullus erit finis. At nulla vestis inueniri potuit, quae vna tot commoditatibus subseruiret.

PANDOCHEVS. Assentior.

CONRADVS. Nunc decorum inspiciamus. Dic mihi bona fide, (187v) si tu sumeres vxoris tuae vestem, nonne dicerent / omnes te facere praeter decorum?

PANDOCHEVS. Diceret me insanire.

CONRADVS. Quid tu diceres si illa sumeret vestem tuam?

PANDOCHEVS. Fortasse nihil male dicerem, sed contunderem eam bonis fustibus.

CONRADVS. Atque nihil refert, qua veste vtaris.

PANDOCHEVS. Hic plurimum refert.

CONRADVS. Nec mirum. Nam et ethnicorum leges puniunt virum ac foeminam, si diuersi sexus cultum sumpserint.

PANDOCHEVS. Nec iniuria.

CONRADVS. Age, quid si senex octogenarius sumeret sibi vestitum adolescentis quindecim annos nati aut contra, si iuuenis sumeret vestem senis, nonne dicant omnes rem esse fustuario dignam? Aut si anus coleretur adolescentulae et contra?

PANDOCHEVS. Admodum.

CONRADVS. Itidem si laicus sumat cultum sacerdotis contra, sacerdos laici.

PANDOCHEVS. Vterque faceret indecore.

CONRADVS. Quid si priuatus sumeret ornamentum principis, aut sacerdos priuatus episcopi, num faceret indecore?

PANDOCHEVS. Scilicet.

CONRADVS. Quid si ciuis sumeret cultum militis, plumas caeteraque stultiae Thrasonicae insignia?

PANDOCHEVS. Rideretur.

CONRADVS. Quid si inter milites Anglus gestaret crucem albam, Eluetius rubram, Gallus nigram?

PANDOCHEVS. Faceret impudenter.

CONRADVS. Quid itaque miraris nostrum hunc cultum?

PANDOCHEVS. Quid intersit inter priuatum et principem, inter virum ac foeminam, scio; quid intersit inter monachum
188r et non / monachum, nescio.

CONRADVS. Quid interest inter pauperem et diuitem?

PANDOCHEVS. Fortuna.

CONRAQVS. Et tamen indecorum esset, si pauper imitaretur cultum diuitis.

PANDOCHEVS. Verum, vt nunc ferme coluntur diuites.

CONRADVS. Quid inter fatuum et sapientem? Aliquanto plus quam inter diuitem et tenuem.

CONRADVS. Nonne moriones aliter vestiuntur quam qui sapiunt?

PANDOCHEVS. Nescio quid vos deceat, attamen vester cultus non multum abest ab illorum cultu, si quis addat auriculas et tintinnabula.

CONRADVS. Hoc plane deest. Et sumus huius mundi moriones, si modo vere sumus quod profitemur.

PANDOCHEVS. Quid vos sitis nescio; illud scio, multos esse moriones gestantes auriculas et tintinnabula qui plus sapiant ijs qui gestant pilea surfulta pellibus, epomides, reliquaque sapientium insignia. Itaque mihi stultissimum videtur, sapientiam profiteri veste. Vidi quendam plus quam morionem, qui gestabat vestem vsque ad talos demissam, epomidem Magistri nostri; aderat et vultus, qui videri posset grauis theologi; disputabat apud omneis non sine specie grauitatis, magnatibus autem non minus erat iucundus quam quiuis alius morio, cum stultitias genere superaret omnes.

CONRADVS. ‡ Nulla pars vitae est, quae non habeat bonos et malos. Hoc vnum arguit maxime liberum hominis arbitrum,
(188v) quod nullo vitae instituto quamlibet sancto / aut impio sic

---

20 qui emendatum est in erratis
31 Theologi
32 omnis
35ss IF add.

immutari potest, vt non valeat in contrarias partes. Sunt multi inter theologos aliosque literarum professores digni tanto nomine. Erunt fortassis nonnulli qui tanto fastigio potius sint oneri, quam honori. Iam Christiani candoris est, tanto magis vitia hominis tegere, quanto illi maiore in dignitate sunt. ‡ Quid igitur tu postulas, vt princeps, qui ridet morionem, commutet cum illo vestem?

PANDOCHEVS. Fortassis hoc postularet aliquando decorum, quod tu proponis, si libeat repraesentare veste quicquid est in animo.

CONRADVS. Vrges tu quidem, sed tamen arbitror non sine causa vestem suam additam morionibus.

PANDOCHEVS. Ob quam?

CONRADVS. Ne laedantur a quoquam, si quid imprudenter dixerint, aut fecerint.

PANDOCHEVS. Non dicam interim, quod ista res quosuis irritat potius ad laedendum, adeo vt frequenter e stultis fiant insani. Nec video quur, cum bos cornupeta, qui occiderit hominem, aut canis, aut sus qui occiderit infantem, afficiantur supplicio, morio qui sceleratiora commiserit, praesidio stultitiae sinatur viuere; illud expeto, quur vos distinguamini cultu a caeteris. Nam si quis causa sufficit ad diuersum cultum, oporteret pistorem aliter vestiri quam piscatorem, calcarium aliter quam vestiarium, aliter pharmocopolam / quam 189r oenopolam, aliter aurigam quam nautam. Vos si sacerdotes estis, cur secus vestimini quam reliqui sacerdotes? Si laici cur a nobis differtis?

CONRADVS. Olim monachi nihil aliud eramus, quam purior pars laicorum. Et hoc intererat monachum et alium laicum, quod nunc interest inter frugalem et probum virum suis manibus alentem familiam, et inter snaphanum ex praedationum reditu iactantem esse; post Romanus Pontifex addidit nobis suos honores, vestis ex nobis nacta est dignitatem, quae nunc nec laicorum est nec sacerdotum, sed tamen huius, qualis qualis est, non puduit aliquando Cardinales et summos Pontifices.

PANDOCHEVS. At tandem decorum istud vnde sumitur?

CONRADVS. Nonnunquam ex ipsa rerum natura, nonnunquam ex consuetudine mortalium et opinione. Nonne iudicarent omnes ab-

---

4 christiani
31 Snaphanum
32 pontifex
35 pontifices

surdum, si quis tergore bubulo sic vestiretur, vt cornua prominerent in capite, et cauda traheretur humi?

PANDOCHEVS. Ridiculum sane.

CONRADVS. Rursum si quis vestem haberet, quae faciem ac manus tegeret, pudenda ostenderet?

PANDOCHEVS. Multo absurdius.

CONRADVS. Ob id notati sunt ab ethnicis etiam scriptoribus, qui multicia sumerent, foeminis etiam indecora. Verecundius enim est, nudum esse, qualem te offendimus in vaporario, quam vti veste pellucente.

(189v) PANDOCHEVS. Ego puto totum hoc de cultu pen/dere a consuetudine ac persuasione mortalium.

CONRADVS. Qui sic?

PANDOCHEVS. Non multi sunt dies, quod hic diuersati sunt, qui se praedicarent peragrasse varias regiones nuper inuentas, et quas in priscorum cosmographorum picturis desideramus. Hi se narrabant peruenisse ad insulam quandam coeli temperatissimi, vbi summi dedecoris loco habebatur tegere corpus.

CONRADVS. Isti fortassis belluarum ritu viuebant.

PANDOCHEVS. Imo, vt aiebant, humanissimum agebant vitam. Degebant sub rege, eum comitabantur ad opus mane, non amplius quam horam etiam singulis diebus.

CONRADVS. Quid operis faciebant?

PANDOCHEVS. Euellabant radicum genus quod illis tritici loco est, et tritico tum gratius, tum salubrius; quo pacto redeunt ad suum quisque negocium, et quod cuiusque lubitum est animo, faciunt. Sancte educant liberos, vitant et puniunt flagitia, sed nullum acerbius quam adulterium.

CONRADVS. Quo supplicio?

PANDOCHEVS. Foeminis ignoscitur, datur hoc sexui. Caeterum viris adulterij conuictis haec poena est, vt per omnem vitam in publicum prodeant membro pudendo velo obtecto.

CONRADVS. O graue supplicium!

PANDOCHEVS. Atqui consuetudo persuasit illis hoc esse quouis supplicio grauius.

CONRADVS. Vbi contemplor, quid possit persuasio, propemodum assentior tibi. Etenim si quis vellet furem aut homicidam
190r afficere extrema ignominia, nonne satis esset, si prae/cide-

---

1-2 promiterent
10 pellucenti
22 Sed ASD,p.398,l.340: vnam (cf. 1533,p.299)

ret illi interulam supra nates, si partes pudendas turpiter prominentes lupinis pellibus conuestiret, caligas diuersis coloribus variegaret, vestem, quae thoracem tegit ac brachia, totam conscinderet, veluti rete faciens e veste, scapulas et pectus nudaret, barbam partim demeteret nouacula, partim demitteret, partim intorqueret, capillos tonderet, adderet pileum vndique sectum cum ingenti fasciculo plumarum, ac sic iuberet prodire in publicum? Nonne magis traduceret hominem, quam si morionis cucullam adderet cum auriculis praelongis ac tintinnabulis. Et tamen sic vltro sese ornant milites, ac sibi placent. Et reperiunt quibus hoc pulchrum videatur, cum nihil possit esse insanius.

PANDOCHEVS. Imo non desunt honesti ciues, qui hoc pro viribus aemulantur.

CONRADVS. Atqui si quis nunc conetur Indorum aemulari cultum, qui plumis auium vestituntur, nonne pueris omnibus videretur insanire?

PANDOCHEVS. Prorsus.

CONRADVS. Atqui quod nos miramur etiam longe insanius est illo. Proinde vt verum est nihil esse tam absurdum, quod non commendet assuetudo, ita negari non potest in vestibus esse quoddam decorum, quod apud sanos et cordatos semper decorum est. Ac rursus indecorum, quod apud omneis, qui sapiunt, indecorum videri debeat. Quis enim non ridet / quoties videt foe- (190v)
minas onustas longae vestis coronide, quae nobilitatem generis caudae longitudine metiuntur? Quanquam hoc non pudet imitari quosdam Cardinales, duntaxat in pallijs. Et tamen res est adeo violenta consuetudo, vt non sit huic aut illi liberum mutare, quod receptum est.

PANDOCHEVS. Satis de consuetudine. Sed dic tu mihi, quid sentias, vtrum existimes satius, monachos non differre a caeteris cultu, an differre?

CONRADVS. Equidem arbitror simplicius et' christianius, non aestilari quemquam ex cultu, modo sit honestus ac decorus.

PANDOCHEVS. Quur igitur vos non abijcitis cucullas?

CONRADVS. Quur apostoli non statim vescebantur cibis quibuslibet?

PANDOCHEVS. Nescio, dic tu.

CONRADVS. Quoniam obstabat inuicta consuetudo. Quod enim penitus infixum est animis hominum, multoque vsu confirmatum inueterauit, ac velut in naturam abijt, subito tolli sine magna pernicie tranquillitatis humanae non potest, sed ita paulatim

14 aemulentur emendatum est in erratis

submouendum est, quemadmodum ille reuulsit pilos caudae equinae.

PANDOCHEVS. Tolerarem, si monachorum omnium esset vnus cultus. Tot discrimina quis ferat?

CONRADVS. Hoc malum vsus inuexit qui nihil non inuehit. Benedictus non commentus est nouum cultum, sed is quo tum vte-/
191r batur cum suis, erat cultus laici simplicis ac probi. Nec Francis cus inuenit nouam formam, sed haec erat vestis pauperum ac rusticorum. Posteriores additis quibusdam fecere magis religiosum, et sane sacrum quippiam habet cum et viris Deo dicatis ipsa dicata sit. Nonne videmus et hodie quasdam anus tenentes sui seculi cultum, qui magis est diuersus a cultu horum temporum, quam meus cultus abest a tuo?

PANDOCHEVS. Videmus.

CONRADVS. Itaque cum hoc cultum vides, vides reliquias prisci seculi.

PANDOCHEVS. Ergo nihil habet aliud sanctimoniae cultus vester?

CONRADVS. Nihil prorsus.

PANDOCHEVS. Quidam iactant istos cultus praemonstratos diuinitus a diua Virgine matre.

CONRADVS. Ista sunt hominum somnia.

PANDOCHEVS. Sunt qui desperent se posse a morbo reualescere, ni vestiantur cultu Dominicano. Imo qui ne sepeliri quidem velint, nisi in veste Franciscana.

CONRADVS. De istis non est digladiandum. Nihil tale aut in sacris literis, aut in Ecclesiae decretis legimus. Si vitae pietas praeluxit, nonnihil tribuam vesti. Alias Deus non minus dignoscit nebulonem in veste Franciscana, quam militari.

(191v) PANDOCHEVS. At minor est plumarum varietas / in auibus, quam in vobis cultus.

CONRADVS. An non itaque pulchrum est imitari naturam? Sed pulchrius vincere.

PANDOCHEVS. Vtinam vinceretis et rostrorum varietate.

CONRADVS. Sed age, varietati quoque patrocinabor, si pateris. Nonne aliter vestitur Hispanus, aliter Italus, aliter Gal-

---

9-11 uerterunt rem in superstitionem (1533,p.301) IF mut. (ASD, p.400)
21 virgine
26-28 CO. Ista qui suadent, aut captores sint aut fatui; qui credunt, superstitiosi. Deus non (1533,p.302) IF mut. (ASD, p.400)
27 ecclesiae

lus, aliter Germanus, aliter Graecus, aliter Turca, aliter Saracenus?

PANDOCHEVS. Scilicet.

CONRADVS. Et in eadem regione quanta varietas vestium, etiam in eiusdem sexus, aetatis et ordinis hominibus. Quanto alius cultus Veneto, alius Florentino, alius Romano. Atque haec intra vnam Italiam.

PANDOCHEVS. Credo.

CONRADVS. Hinc nata est et nostra varietas. Dominicus sumpsit cultum a probis agricolis eius Hispaniae partis, in qua vixit. Franciscus ab agricolis diuersae partis. Atque idem de caeteris.

PANDOCHEVS. Proinde quantum video, vos nihilo estis sanctiores nobis, nisi sanctius vixeritis.

CONRADVS. Imo peiores vobis, qui parum pie viuentes grauius offendamus animos simplicium.

PANDOCHEVS. Est igitur aliqua spes de nobis, qui nec patronum habemus nec cultum, nec regulam, nec professionem?

CONRADVS. Habes, o bone, vide vt serues. Quaere a susceptioribus tuis, quid professus sis in baptismo, quam vestem illic acceperis. Et humanam regulam desideras, qui regulam
192r Euangelicam professus sis? Desideras hominem pa/tronum qui patronum habes Iesum Christum? Quum duceres vxorem nihil professus es? Cogita quid debeas coniugi, quid liberis, quid familiae, et senties te aliquando plus habere sarcinae, quam si Francisci regulam professus esses. ‡ Abnegare tamen semetipsum vincit omnia. ‡

PANDOCHEVS. Credisne vllum pandocheum ingredi coelum?

CONRADVS. Quid ni?

PANDOCHEVS. Multa fiunt ac dicuntur in hac domo, quae parum respondent Euangelio.

CONRADVS. Quae?

PANDOCHEVS. Alius bibit plus satis, alius obscoena loquitur, quidam rixantur, quidam obtrectant. Denique an caetera sint casta, nescio.

CONRADVS. His occurrendum est, quantum potes. Si non potes, certe ne alas quaestus causa haec mala, neue accersas.

---

22 euangelicam
26-27 IF add.
28 Pandocheum

PANDOCHEVS. Nonnunquam parum bonae fidei sum in vino.

CONRADVS. Qui sic?

PANDOCHEVS. Vbi sensero illos plus satis incalescere, largiter aquam admisceo.

CONRADVS. Istud quidem leuius est, quam si quibuslibet vendas vinum periculosis medicamentis infectum.

PANDOCHEVS. Dic mihi serio, quot dies fuisti in hoc itinere?

CONRADVS. Mensem ferme.

PANDOCHEVS. Quis interim vos curat?

CONRADVS. Nonne bene curantur qui habent liberos, parentes et cognatos?

PANDOCHEVS. Saepenumero.

CONRADVS. (...) Tu non habes nisi vnicum patrem, nos centum; tu non nisi vnicam domum, nos centum; tu non nisi paucos (192v) libe/ros, nos innumeros; tu non nisi paucos cognatos, nos infinitos.

PANDOCHEVS. Qui sic?

CONRADVS. Quia latius se porrigit cognatio spiritus, quam carnis. Et ita nobis pollicitus est Christus, et experimur verum quod pollicitus est.

PANDOCHEVS. Nae tu mihi praebuisti sat lepidum conuiuam. Emoriar, nisi malim hanc confabulationem, quam pastoris mei compotationem. Cras dignaberis aliquid dicere populo. Et si posthac continget te hac facere iter, scito tibi hic paratum locum.

CONRADVS. Quid si alij veniant?

PANDOCHEVS. Non erunt ingrati, modo tui similes.

CONRADVS. Meliores, vti spero.

PANDOCHEVS. Verum inter tam multos bonos quomodo dignoscam malos?

CONRADVS. Dicam paucis, sed in aurem.

PANDOCHEVS. Dic.

CONRADVS. Meminero, et faciam.

---

14 CO. Tu non habes nisi unam uxorem, nos centum (1533,p.303) IF om. (ASD,p.402)

LB
744-746
ASD
403-408

ANTRONIVS, MAGDALIA

ANTRONIVS. Quam hic ego supellectilem video?

MAGDALIA. An non elegantem?

ANTRONIVS. Nescio quam elegantem, certe parum decoram et puellae et matronae.

MAGDALIA. Quam ob rem?

ANTRONIVS. Quia librorum plena sunt omnia.

MAGDALIA. Tu tantus natu, tam abbas et aulicus, nunquam vidisti libros in aedibus heroinarum?

ANTRONIVS. Vidi, sed Gallice scriptos, hic video Graecos et Latinos.

MAGDALIA. An soli Gallice scripti libri docent sapientiam?

193r ANTRONIVS. Sed decet hoc heroinas vt ha/beant, quo delectent ocium.

MAGDALIA. An solis heroinis licet sapere ac suauiter viuere?

ANTRONIVS. Male connectis sapere et suauiter viuere; non est muliebre sapere, heroinarum est suauiter viuere.

MAGDALIA. Nonne omnium est bene viuere?

ANTRONIVS. Opinor.

MAGDALIA. Qui potest autem suauiter viuere, qui non viuat bene?

ANTRONIVS. Imo qui potest suauiter viuere, qui viuat bene?

MAGDALIA. Ergo tu probas eos, qui viuunt male, modo suauiter?

ANTRONIVS. Arbitror istos bene viuere qui viuunt suauiter.

MAGDALIA. Sed ista suauitas vnde proficiscitur: e rebus extrarijs, an ex animo?

ANTRONIVS. E rebus extrarijs.

MAGDALIA. O subtilem abbatem, sed crassum philosophum! Dic mihi, quibus rebus tu metiris suauitatem?

ANTRONIVS. Somno, conuiuijs, libertate faciendi quae velis, pecunia, honoribus.

MAGDALIA. Verum si istis rebus Deus addiderit sapientiam, num viues suauiter.

---

2 supellectilem venit in erratis, sed inepte
36 deus

ANTRONIVS. Quid appellas sapientiam?

MAGDALIA. Hoc est, si intelligeres hominem non esse felicem, nisi bonis animi; opes,(...), genus neque feliciorem reddere, neque meliorem.

ANTRONIVS. Valeat ista quidem sapientia.

MAGDALIA. Quid mihi suauius sit legere bonum autorem, quam tibi venari, potare, aut ludere aleam, non videbor tibi suauiter viuere.

ANTRONIVS. Ego non viuerem.

MAGDALIA. Non quaero, quid tibi sit suauissimum, sed
(193v) quid / deberet esse suaue.

ANTRONIVS. Ego nolim meos monachos frequentes esse in libris.

MAGDALIA. Meus maritus hoc maxime probat. Sed quam ob rem tandem non probas hoc in monachis tuis?

ANTRONIVS. Quoniam experior illos minus morigeros. Respondant ex Decretis, ex Decretalibus, ex Petro, ex Paulo.

MAGDALIA. Imperias igitur, quae pugnant cum Petro et Paulo?

ANTRONIVS. Quid illi doceant, nescio; sed tamen non amo monachum responsatorem, neque velim quenquam meorum plus sapere quam sapiam.

MAGDALIA. Istud ita vitari possit, si tu des operam, vt quam plurimum sapias.

ANTRONIVS. Non est ocium.

MAGDALIA. Qui sic?

ANTRONIVS. Quia non vacat.

MAGDALIA. Non vacat sapere?

ANTRONIVS. Non.

MAGDALIA. Quid obstat?

ANTRONIVS. Prolixae praeces, cura rei domesticae, genatus, equi, cultus aulae.

MAGDALIA. Itane ista tibi sunt potiora sapientia?

ANTRONIVS. Nobis sic vsu venit.

MAGDALIA. Iam illud mihi dicito, si quis Iupiter hanc potestatem tibi daret, vt posses et monachos tuos et teipsum vertere in quodcunque animal velles, an illos in porcos verteres,

---

3 honores (1533,p.305) IF om(fortasse lapsu typographi) (ASD, p.404)

teipsum in equum?

ANTRONIVS. Nequaquam.

MAGDALIA. Atqui sic vitares, ne quis plus te vno saperet.

ANTRONIVS. Mea non magni referret, quod genus animantis essent monachi, modo ipse essem homo.

194r MAGDALIA. An hominem esse censes, qui nec sa/piat, nec velit sapere?

ANTRONIVS. Mihi sapio.

MAGDALIA. Et tibi sapiunt sues.

ANTRONIVS. Videre mihi sophistria quaepiam, ita argutaris.

MAGDALIA. Non dicam, quid tu mihi videaris. Sed quur haec displicet supellex?

ANTRONIVS. Quia fusus et colus sunt arma muliebria.

MAGDALIA. Nonne matronae est, administrare rem domesticam, erudire liberos?

ANTRONIVS. Est.

MAGDALIA. An rem tantam existimas administrari posse sine sapientia?

ANTRONIVS. Non arbitror.

MAGDALIA. At hanc sapientiam docent me libri.

ANTRONIVS. Ego domi habeo sexaginta duos monachos, tamen nullum librum reperies in meo cubiculo.

MAGDALIA. Bene itaque prospectum est monachis illis.

ANTRONIVS. Feram libros, non fero Latinos.

MAGDALIA. Quapropter?

ANTRONIVS. Quia non conuenit ea lingua foeminis.

MAGDALIA. Expecto causam.

ANTRONIVS. Quia parum facit ad tuendam illarum pudicitiam.

MAGDALIA. Ergo nugacissimis fabulis pleni libri Gallice scripti faciunt ad pudicitiam?

ANTRONIVS. Aliud est.

MAGDALIA. Dic istud, quicquid est, aperte.

ANTRONIVS. Tutiores sunt a sacerdotibus, si nesciant Latine.

MAGDALIA. Imo isthinc minimum est periculi vestra opera. Quandoquidem hoc agitis sedulo, ne sciatis Latine.

ANTRONIVS. Vulgus ita sentit, quia rarum et insolitum,

---

25 latinos
37 latine

foeminam scire Latine. /

(194v) MAGDALIA. Quid mihi citas vulgum, pessimum bene gerendae rei autorem? Quid mihi consuetudinem omnium malarum rerum magistram? Optimis assuescendum; ita fiet solitum, quod erat insolitum; et suaue fiet, quod erat insuaue; fiet decorum, quod videbatur indecorum.

ANTRONIVS. Audio.

MAGDALIA. Nonne decorum est foeminam in Germania discere Gallice?

ANTRONIVS. Maxime.

MAGDALIA. Quam ob rem?

ANTRONIVS. Vt loquatur cum his, qui sciunt Gallice.

MAGDALIA. Et mihi putas indecorum, si discam Latine, vt quotidie confabularer cum tot autoribus, tam facundis, tam eruditis, tam sapientibus, tam fidis consultoribus?

ANTRONIVS. Libri adimunt multum cerebri foeminis, cum alioqui parum illis supersit.

MAGDALIA. Quantum nobis supersit, nescio, certe mihi quantulumcunque est, malim in bonis studijs consumere, quam in precibus sine mente dictis, in pernoctibus conuiuijs, in exhauriendis capacibus pateris.

ANTRONIVS. Librorum familiaritas parit insaniam.

MAGDALIA. An colloquia combibonum, scurrarum et sannionum tibi pariunt insaniam?

ANTRONIVS. Imo depellunt taedium.

MAGDALIA. Qui fiat igitur, vt tam amoeni confabulones mihi pariant insaniam?

ANTRONIVS. Sic aiunt.

MAGDALIA. At aliud ipsa loquitur res. Quanto plures videmus, quibus immodica potatio, et intempestiua conuiuia, quibus / temulenta peruigilia, quibus impotentes affectus perpererunt insaniam? (195r)

ANTRONIVS. Ego sane nollem vxorem doctam.

MAGDALIA. At ego mihi gratulor, cui contigerit maritus tui dissimilis. Nam et illum mihi, et me illi chariorem reddit eruditio.

ANTRONIVS. Immensis laboribus comparatur eruditio, ac post moriendum est.

MAGDALIA. Dic mihi, vir egregie, si cras tibi moriendum esset, vtrum malles mori stultior, an sapientior?

ANTRONIVS. Si citra laborem contingeret sapientia.

MAGDALIA. Sed nihil homini citra laborem contingit in hoc vita, et tamen quicquid paratum est, quantisuis laboribus comparatum est, hic relinquendum est, cur pigeat nos in re omnium preciosissima sumere laboris aliquid, cuius fructus nos in alteram quoque vitam comitatur?

ANTRONIVS. Frequenter audiui vulgo dici, foeminam sapientem bis stultam esse.

MAGDALIA. Istud quidem dici solet, sed a stultis. Foemina quae vere sapit, non videtur sibi sapere; contra quae quum nihil sapiat, sibi videtur sapere, ea demum bis stulta est.

ANTRONIVS. Nescio quomodo fit, vt quemadmodum clitellae non conueniunt boui, ita nec literae mulieri.

MAGDALIA. Atqui negare non potes, quin magis quadrent clitellae boui, quam mitra asino aut sui. Quid sentis de Virgine matre?

ANTRONIVS. Optime.

MAGDALIA. Nonne versabatur in libris?

ANTRONIVS. Versabatur, at non in istis.

(195v) MAGDALIA. Quid / igitur legebat?

ANTRONIVS. Horas canonicas.

MAGDALIA. Ad quem vsum?

ANTRONIVS. Ordinis Benedictini.

MAGDALIA. Sit ita sane. Quid Paula et Eustochium, nonne versabantur in sacris libris?

ANTRONIVS. Verum istuc nunc rarum est.

MAGDALIA. Sic olim rara auis erat abbas indoctus, nunc nihil vulgatius; olim principes et caesares eruditione non minus quam imperio praeminebant. Neque tamen vsque adeo rarum est, quam tu putas, sunt in Hispania, sunt in Italia non paucae mulieres adprime nobiles, quae cum quouis viro queant contendere, sunt in Anglia Moricae, sunt in Germania Bilibaldicae et Blaurericae. Quod nisi caueritis vos, res eo tandem euadet, vt nos praesideamus in scholis theologicis, vt concionemur in templis. Occupabimus mitras vestras.

ANTRONIVS. Ista Deus auertat.

MAGDALIA. Imo vestrum erit hoc auertere. Quod si pergetis,

---

4 praeciosissima emendatum est in erratis
14 virgine
22 benedictini
35 deus

vt coepistis, citius anseres concionaturi sint, quam vos mutos pastores ferant. Videtis iam inuerti mundi scenam? Aut deponenda est persona, aut agendae sunt suae cuique partes.

ANTRONIVS. Vnde incidi in hanc foeminam? Si quando vises nos, ego te suauius accipiam.

MAGDALIA. Quibus modis?

ANTRONIVS. Saltabimus, bibemus affatim, venabimur, ludemus, ridebimus.

MAGDALIA. Mihi quidem iam nunc ridere libet. /

196r
LB 746-749
ASD 411-416

EPITHALAMIVM PETRI AEGIDII

ALYPIVS, BALBINVS, MVSAE

ALYPIVS. Deum immortalem, quod ego nouum spectaculum hic video?

BALBINVS. Aut tu vides quod nusquam est, aut mei "parum prospiciunt oculi".

ALYPIVS. Atqui mirum spectaculum est et amabile.

BALBINVS. Enecas. Dic vbi vides?

ALYPIVS. Ad laeuam in hoc colle nemoroso.

BALBINVS. Collem video.

ALYPIVS. Non vides puellarum chorum?

BALBINVS. Quid tibi venit in mentem, vt nos ad istum modum ludos facias? Ego ne muscam quidem puellam vsquam conspicor.

ALYPIVS. Tace, prodeunt e nemore. Papae, qui nitor, quae gratia! Non humanum est hoc spectaculum.

BALBINVS. Quae hunc agitant intemperiae?

ALYPIVS. Agnosco, nouem sunt Musae cum tribus Gratijs, demiror quid agant, nunquam vidi cultiores aut magis alacres. Omnes sunt redimitae lauro, et auum quaeque gerit organum. Porro Gratiae quam amabiliter sibi haerent, quam decet nullo astricta cingulo vestis, ac liberis diffluens lacinijs.

BALBINVS. At ego nunquam audiui quenquam magis delirantem quam te.

ALYPIVS. Imo neminem vidisti me feliciorem.

BALBINVS. Quur hic solus habes oculos?

ALYPIVS. Quia non bibisti ex fonte Musarum, nam his solis

---

27 gratijs
30 gratiae

conspicuae sunt Musae. /

(196v) BALBINVS. Non potes efficere vt et ipse videam hoc spectaculum?

ALYPIVS. Possem si quidem adesset laurus, nam liquor e fonte limpido, ramo lauri asperus, oculos reddit huiusmòdi spectaculorum perspicaces.

BALBINVS. Ecce, laurus, ecce fonticulus.

ALYPIVS. Commodum profecto.

BALBINVS. Asperge.

ALYPIVS. Intende, vidisne?

BALBINVS. Quantum antea. Asperge rursus.

ALYPIVS. Iamne vides?

BALBINVS. Tantumdem. Asperge copiosius.

ALYPIVS. Iam vides, opinor.

BALBINVS. Imo vix te video.

ALYPIVS. Miser, quam penitus oculos tuos obsedit τὸ σκότος . Haec ars vel aurigae daret oculos. Verum non est crucieris, praestiterit fortasse non videre, ne tali praemio videas Musae, quali Actaeon vidit Dianam. Periculum enim esset, ne te vertant in histricem, aut aprum syluestrem, aut porcum, aut camelum, aut ranam, aut graculum. Efficiam tamen vt audias, modo ne obstrepas. Iam huc deflectunt viam, occurramus. Χαίρετε, τρισπόθητοι θεαί.

MVSAE. Καὶ σὺ μάλα χαῖρε, φιλόμουσε.

ALYPIVS. Quid vellicas.

BALBINVS. Non praestas quod promiseras.

ALYPIVS. At non audis?

BALBINVS. Audio, sed velut asinus lyram.

ALYPIVS. Loquar igitur Latine. Quonam est iter tam cultis, tanquam alacribus? Num inuisitis Louaniensium Academiam?

MVSAE. Bona verba.

ALYPIVS. Quam ob rem?

197r MVSAE. Quis / nunc illic nobis locus, vbi tot porci obgrunniunt, obrudunt asini, oblactiunt cameli, obstrepunt graculi, obgariunt picae?

ALYPIVS. Atqui sunt et illic, quibus vestrum numen est venerandum.

16-17 τὸ σκόθος emendatum est in erratis
25 villicas
29 latine
33-34 obgruniniunt
35 obgariunt

MVSAE. Scimus, eoque post annos aliquot illuc commigrabimus. Nondum reuoluta seculorum periodus diem illum fatalem aduexit. Erit enim qui illic nobis amoenum extruet domicilium vel templum potius,quo vix alibi magnificentius ac sanctius.

ALYPIVS. Non est fas scire quisnam tantum decus inuecturus sit nostrae dictioni?

MVSAE. Tibi fas est, nostrorum sacrorum mystae. Non dubium est, quin tibi notum sit, toto orbe celebre Buslidianorum nomen.

ALYPIVS. Heroicum genus nominasti, et ornandis summorum principum aulis natum. Quis enim non veneratur magnum illum Franciscum Buslidium Besontinae ecclesiae praesulem, qui vnus non vnum Nestorem praestitit Philippo, Maximi Maximiliani filio, Caroli, qui maior futurus est, patri?

MVSAE. O felices nos, nisi fata virum illum terris inuidissent. Quantus erat ille Moecenas honestorum studiorum, quam candidus fautor ingeniorum. Sed reliquit fratres duos, Aegidium, admirabili iudicio prudentiaque virum, et Hieronymum.

(197v) ALYPIVS. Hieronymum nouimus omni litera/rum genere perpolitum, omni virtutum genere decoratum.

MVSAE. Nec eum fata longaeuam esse patientur, tametsi nemo dignior est immortalitate.

ALYPIVS. Vnde ista nostis?

MVSAE. Apollo nobis denarrauit.

ALYPIVS. Quaenam est ista fatorum inuidia, vt optima quaeque protinus subducant?

MVSAE. Id quidem non est huius temporis philosophari, sed Hieronymus hic summa cum laude moriens, vniuersas opes suas destinauit instituendo Louanij collegio, in quo gratis et publicitus tres linguas eruditissime viri profitebuntur. Ea res magnum ornamentum adiunget et studijs, et Caroli gloria. Tum non illibenter versabimur Louanij.

ALYPIVS. Quo nunc igitur est iter?

MVSAE. Antuerpiam.

ALYPIVS. Musae et Gratiae ad mercatum?

MVSAE. Nequaquam, imo ad nuptias.

ALYPIVS. Quid virginibus cum nuptijs?

MVSAE. Ad natales nuptias non est indecorum ire virgines.

---

16 moecenas
29 distinauit emendatum est in erratis

ALYPIVS. Quas igitur nuptias narras?

MVSAE. Sanctas, puras, castas, ad quas non puderet ipsam adire Palladem, et arbitror adfuturam.

ALYPIVS. Non est fas scire sponti nomen et sponsae?

MVSAE. Arbitror tibi non ignotum esse candidissimum illum iuuenem, et omnibus politioris literaturae delicijs expolitissimum, Petrum Aegidium.

ALYPIVS. Gemmam nominasti, non hominem.

198r MVSAE. Ei nubet Cornelia virguncula vel ipsa digna / Apolline.

ALYPIVS. Ille quidem vestri cultor eximius a teneris annis fuit.

MVSAE. Huic igitur canemus Epithalamium.

ALYPIVS. Et saltabunt Gratiae?

MVSAE. Non modo saltabunt, verum etiam duo candidissima pectora indissolubilibus mutae beneuolentiae nodis copulabunt. vt nihil vnquam inter illos possit incidere vel irae, vel taedij. Illa perpetuum nihil audiet, nisi: mea lux; ille vicissim nihil: anime mi. Atque huic iucunditati ne senectus quidem quicquam detrahet, imo potius adiunget aliquid.

ALYPIVS. Demirarer, si qui sic viuunt, possint senescere.

MVSAE. Recte mones, nam maturitas erit potius, quam senectus.

ALYPIVS. Atqui permultos, quibus intra menses treis, istae verborum blanditiae longae in diuersum verbae sunt, et in conuiuio pro lepidis iocis volitabant disci et quadrulae. Maritus pro 'anime mi' audiebat 'fungus, lagena, spongia'; vxor 'scropha, Acco, vomica'.

MVSAE. Vera praedicas, sed istiusmodi nuptiae Gratijs iratis coierant. Hic perpetuo morum iucunditas alet mutuam beneuolentiam.

ALYPIVS. Narras tu quidem raram matrimonij felicitatem.

MVSAE. Tam raras virtutes rara decet felicitas.

ALYPIVS. Quid coibunt nuptiae absque Iunone et Venere?

(198v) MVSAE. Iuno quidem / non aderit rixosa dea, et cui raro conuenit cum suo Ioue. Ne Venus quidem illa terrestris et ebriosa, verum altere illa coelestis, quae conciliat formas animorum.

---

14 gratiae
35 Dea

ALYPIVS. Proinde sterile matrimonium mihi narras.

MVSAE. Nequaquam, imo felicissime foecundum.

ALYPIVS. Quid illa coelestis gignit, nisi animos?

MVSAE. Imo addit et corpora, sed ipsis animis morigera, perinde quasi gemmeo myrothecio indas opobalsamum.

ALYPIVS. Vbi nam est ea?

MVSAE. En tibi procul aduentat.

ALYPIVS. Video; deum immortalem, qui fulgor, quae formae maiestas. At hanc quidem altera Venus inuenusta est.

MVSAE. Vides quam modesti Cupidines, nequaquam caeci, quemadmodum illi quibus altera dementat animos mortalium, sed oculatissimi, nec habet insanas faces, sed ignes placidissimos, nec habent plumbeas cuspides, quibus immittunt odium amantis ac miseros animos amore non mutuo discruciant.

ALYPIVS. Plane matrem referunt. O felicem illam domum, et superis egregie charam! Caeterum licetne audire Epithalamium carmen, quod illi destinastis?

MVSAE. Imo rogamus vt libeat audire.

CLIO

Candida laurigero, nubit Cornelia Petro
Auspicijs adsint numina dextra bonis. /

199r MELPOMENE

Contingat illis turturum concordia,
Corniculae viuacitas.

THALIA

Ille charitate Gracchum Tiberium praecesserit,
Qui suae vitam anteposuit coniugis Corneliae.

EVTERPE

Illa charitate superet coniugem Admeti ducis,
Quae volens, mortem mariti morte mutauit sua.

TERPSICHORE

Ille non flagret leuiore flamma,
Attamen fato meliore, quam olim
Plancius, raptae sociae grauatus
Esse superstes.

ERATO

Illa non flagret leuiore flamma,
Attamen longe meliore fato,
Casta quam sanctum deamauit olim
Portia Brutum.

---

16 epithalamium

CALLIOPE

Sponsum moribus vndiquaque sanctis,
Nec Nasica probatus antecellat.

VRANIA

Vxor moribus vndiquaque castis,
Vincat Sulpiciam Paterculanam.

POLYTHYMIA /

(199v) Laudetur simili prole puerpera,
Accrescat domui res simul et decus,
Sed liuore vacet, si fieri potest,
Factis egregijs debita gloria.

ALYPIVS. Prorsus inuiderem illi Petro Aegidio nisi tantus esset hominis candor, vt ipse nemini possit inuidere.

MVSAE. Sed iam tempus est, vt coeptum carpamus iter.

ALYPIVS. Nunquid est quod interim velitis renuntiari L$_{o}$uanium?

MVSAE. Vt nostro nomine salutes amicos omnes candidos ac nostri studiosos, sed prae caeteris vetustissimum nostri chori cultorem Ioannem Paludanum, Iodocum Gauerim, Martinum Dorpium, et Ioannem Borsalum.

ALYPIVS. Id quidem fiet diligenter. Quid caeteris?

MVSAE. Dicam in aurem.

ALYPIVS. Res est non magni sumptus. Itaque fiet, quam primum.

LB 749-752
ASD 417-423

EXORCISMVS SIVE SPECTRVM

THOMAS, ANSELMVS

THOMAS. Quid est bonae rei, quod tecum rides tam suauiter, quasi thesaurum nactus sis?

ANSELMVS. Non procul aberrat a scopo tua diuinatio.

THOMAS. At non imparties sodali quicquid isthuc est boni?

ANSELMVS. Imo iamdudum optabam mihi dari quempiam, in cuius sinum effunderem hoc meum gaudium.

THOMAS. Age igitur, imparti.

200r ANSELMVS. Audiui modo fabulam lepi-/dissimam, quam iures esse comicum figmentum, nisi mihi locus, personae, totaque res esset tam nota quam tu notus es mihi.

---

12 Aegido

THOMAS. Audire gestio.

ANSELMVS. Nostine Polum Fauni generum?

THOMAS. Maxime.

ANSELMVS. Is est et autor et actor huius fabulae.

THOMAS. Facile crediderim. Nam ille vel absque persona possit, quamuis agere fabulam.

ANSELMVS. Sic est. Nosti, opinor, et praedium quod habet non ita procul a Londino.

THOMAS. Phy. Non semel illic compotauimus.

ANSELMVS. Agnoscis igitur viam vtrinque arboribus pari digestis interuallo septam.

THOMAS. Ad laeuam aedium partem, altero fere balistae iactu.

ANSELMVS. Tenes. Alterum viae latus habet alueum siccum, dumis ac vepribus obsitum. E ponticulo iter est in apertam planiciem.

THOMAS. Memini.

ANSELMVS. Iam pridem vagabatur rumor ac fabula per eius loci rusticos, iuxta ponticulum hunc obseruari spectrum quoddam, cuius subinde exaudirentur miserandi eiulatus; suspicabantur animam esse cuiuspiam, quae diris cruciatibus torqueretur.

THOMAS. Quis autor erat istius rumoris?

ANSELMVS. Quis, nisi Polus? Hoc proemium praestruxerat suae fabulae.

THOMAS. Quid isti venit in mentem, vt ista confingeret?

ANSELMVS. Nescio, nisi quia sic est hominis ingenium, (200v) gaudet huiusmodi / commentis ludere stultitiam populi. Dicam quid nuper designari huius generis. Simul equitabamus aliquam multi Richemondam, inter quos erant, quos tu diceres cordatos homines. Coelum erat mire serenum, nec vlla vsquam nubecula suffuscatum. Ibi Polus intentis in coelum oculis, signauit totam faciem ac scapulas imagine crucis, et vultu ad stuporem composito, ita secum: Deum immortalem, quid ego video? Rogantibus qui proxime equitabant, quid videret, rursus obsignans se maiore cruce: Auertat, inquit, clementissimus Deus hoc ostentum. Quum instaret auiditate cognoscendi, ille defixis in

---

18-22 Haec enuntiata adnotata sunt in margine
24-25 Hoc enuntiatum adnotatum est in margine
32 suffuscatum subnotatum est
33-34 et vultu ad stuporem composito subnotata sunt

coelum oculis, ac digito commonstrans coeli locum: Nonne, inquit, videtis illic immanem draconem, igneis armatum cornibus, cauda in circulum retorta? Quum negarent se videre, atque ille iussisset oculos intenderent, ac locum subinde commonstraret, tandem vnusquispiam, ne videretur parum oculatus, affirmauit se quoque videre. Hunc imitatus est vnus item atque alter; pudebat enim non videre quod tam esset perspicuum. Quid multis? Intra triduum rumor hic totam Angliam persuaserat, tale portentum apparuisse. Mirum autem quantum fama popularis addidit
201r fabulae. Nec deerant, qui quid / sibi vellet ostentum, interpretarentur serio. Horum stultitia, ille qui commentus fuerat argumentum, magna cum voluptate fruebatur.

THOMAS. Agnosco hominis ingenium. Sed redi ac spectrum.

ANSELMVS. Interea commodum diuertit ad populum Faunus quidam sacerdos ex eorum genere, quibus non satis est appellari Latine regulares, nisi Graece cognomen idem accinatur, parochus vici illic alicunde vicini. Is sibi non vulgariter videbatur sapere, praesertim in rebus sacris.

THOMAS. Intelligo, repertus est actor fabulae.

ANSELMVS. Super coenam ortus est sermo de rumore spectri. Quum Polus sentiret Fauno rumorem hunc non solum auditum esse, verum etiam creditum, coepit hominem obtestari, vt vir doctus ac pius succurreret animulae tam dira patienti: et si quid dubitas, inquit, explora rem, obambula ad decimam iuxta ponticulum illum, et audies miserum eiulatum; adiunge tibi quam voles comitem, ita et tutior audies, et certior.

THOMAS. Quid deinde?

ANSELMVS. Coena peracta, Polus ex more abit venatum, aut aucupatum; Faunus obambulans cum iam tenebrae sustulissent certum de rebus iudicium, tandem audit miserandos gemitus. Hos Polus artifex mire effingebat, abditus illic in vepreto, adhi-
(201v) bita ad / id olla fictili, quo vox cauo reddita lugubrius quiddam sonaret.

THOMAS. Haec fabula, vt video, vincit Phasma Menandri.

ANSELMVS. Magis isthuc dices si totam audieris. Faunus domum se recepit, narrare cupiens quid audisset. Polus alia via compendiaria iam anteuerterat. Ibi Faunus narrat Polo, quod

---

8 Enuntiatum prius subnotatum est
16 idem accinatur subnotata sunt
22 vt deest, fortasse lapsu typographi
24 ad decimam subnotata sunt
28 Haec enuntiata adnotata sunt in margine
34 phasma

erat actum, et aliquid etiam affinxit quo res esset admirabilior.

THOMAS. Poterat interim Polus tenere risum?

ANSELMVS. Illene? Vultum habet in manu. Dixisses rem serio agi. Tandem Faunus vehementer obestante Polo, suscepit negocium exorcismi, ac totam eam noctem agit insomnem, dum dispicit, quibus modis re aggrederetur tuto, nam sibi quoque misere metuebat. Primum itaque congesti sunt exorcismi efficacissimi, et additi noui nonnulli per viscera beatae Mariae, per ossa beatae Vuerenfridae. Deinde delectus est locus in planicie vicina vepreto, vnde vox exaudiebatur, circunductus est circulus satis amplus, qui crebras haberet cruces, variasque notulas. Haec omnia peragebantur verbis conceptis. Adhibitum est vas ingens, plenum aquae consecratae. Addita est in collum sacra stola, quam vocant, vnde pendebat initium Euangelij secundum Ioannem. In loculis habebat cerulam a Romano
202r Pontifice quotannis con/secrari solitam, quae vulgo dicitur Agnus Dei. His armis olim se muniebant aduersus noxios daemones. (...) Haec omnia procurata sunt, ne si peritus malus esset, impetum faceret in exorcistam. Ne tamen ausus est se solum huic circulo committere, sed decretum est, adhibendum esse sacerdotem alterum. Ibi Polus metuens, ne si nasutior adiunctus fuisset, proderetur fabulae mysterium, adiungit parochum quendam ex vicina, cui rem totam aperit; sic enim postulabat actio fabulae, et erat is qui a tali ludo non abhorreret. Postridie rebus omnibus rite praeparatis, sub horam decimam Faunus cum parocho circulum ingreditur. Polus qui praecesserat, e vepreto gemit miserabiliter. Faunus auspicatur exorcismum. Interim Polus clam per tenebras subducit se in villam proximam. Illinc adducit aliam personam fabulae, nec enim poterat nisi per multos agi.

THOMAS. Quid faciunt?

ANSELMVS. Conscendunt equos nigros, ignem occultum secum ferunt. Vbi non procul abessent a circulo, ignem ostendant, quo metu Faunum abigeret e circulo.

---

4 Prima vocabula subnotata sunt
6-7 dum dispicit subnota sunt
17 pontifice
18 dei
19 prius quam illis Francisci cuculla coepit esse formidabilis (1533,p.318) IF om. (ASD,p.420)
22 ne si nasutior subnotata sunt
26-28 Haec enuntiata adnotata sunt in margine
29 subducit subnotatum est

THOMAS. Quantum operae sumpsit Polus ille, vt falleret!

ANSELMVS. Sic est homo. Verum ea res propemodum pessime cesserat illis.

THOMAS. Qui sic?

(202v) ANSELMVS. / Nam equi subito prolato igni consternâti parum abfuit, quin et se praecipitarent et sessores. Habes primum actum fabulae. Vbi reditum est in colloquium. Polus velut ignarus omnium rogat quid esset actum. Ibi Faunus narrat sibi conspectos duos teterrimos cacodaemones, in nigris equis, oculis igneis, ac naribus spirantes ignem, qui tentassent ingredi circulum, verum efficacibus verbis abactos in malam rem. His rebus cum accreuisset animus Fauno, postero die summo cum apparatu redijt in circulum. Quumque diu multis obtestationibus prouocasset spectrum, Polus rursum cum collega suo procul ostendit sese ex equis atris horrendo fremitu, quasi cuperent irrumpere in circulum.

THOMAS. Nihil habebant ignis?

ANSELMVS. Nihil, nam id male cesserat, sed audi aliud commentum. Ducebant longum funem. Eo leuiter per humum tracto, dum hinc atque hinc vterque se proripit veluti abacti exorcismis Fauni, sacerdotem vtrumque vna cum vase, quod habebant aquae sacrae plenum, prouoluunt in terram.

THOMAS. Hoc praemij tulit pro sua actione parochus?

ANSELMVS. Tulit, et tamen maluit hoc perpeti, quam desererе coeptam fabulam. His ita gestis, vbi reditum est ad colloquium, depraedicat apud Polum / Faunus, quanto fuisset in periculo, et quam fortiter vtrunque cacodaemonem suis verbis profligasset. Iamque certam conceperat fiduciam, nullum esse tam noxium, aut impudentem daemonem, qui posset in circulum irrumpere.

THOMAS. Faunus ille non multum abest a fatuo.

ANSELMVS. Nihil adhuc audisti. Huiusque progressa fabula, commodum superuenit Poli gener, nam eius filiam duxerat natu maximam, iuuenis, vt scis, ingenio mire festiuo.

THOMAS. Scio, nec abhorrens ab huiusmodi iocis.

ANSELMVS. Abhorrens? Nullum ille vadimonium non desereret, si talis, vel spectanda, vel agenda esset fabula. Huic socer

---

20 se proripit subnotatum est
22 Postrema vocabula subnotata sunt cum signis in margine
34 vt scis subnotatum est cum signo in margine

rem omnem denarrat, atque illi delegat partes, vt animam agat. Sumit ornatum, ac lubens, conuoluit se linteo, quemadmodum apud nos solent funera, habens prunam viuam in testa, quae per linteum reddebat speciem incendij. Sub noctem itum est ad locum, vbi haec agebatur fabula. Audiuntur miri gemitus. Faunus expedit exorcismos omnes. Tandem procul inter vepretum ostendit sese anima, subinde ostentans ignem, ac misere suspirans. Hanc cum Faunus obtestaretur, vt eloqueretur quisnam esset, subito prosilijt e vepreto Polus ornatu cacodaemonia, fictoque fremitu: Nihil, inquit, tibi iuris est in hanc animam,
(203v) mea est./Ac subinde procurrit in exorcistam, moxque velut sumotus verbis exorcismi et vi aquae sacrae quam illi multam aspergit retrocessit. Tandem abacto paedagogo daemone, nascitur dialogismus Fauni cum anima; percontanti et obtestanti, respondit se esse animam hominis Christiani. Rogata quo nomine vocaretur, respondit: Faunus. Faunus inquit: Idem mihi nomen est. Iamque ex communi nomine res coepit illi magis esse cordi, vt Faunus Faunum liberaret. Quum Faunus multa percontaretur, ne diutina confabulatio proderet fucum, subducebat sese anima, negans sibi fas esse diutius colloqui, quod tempus vrgeret, quo cogeretur abire, quo liberet daemoni; pollicita tamen est sese postridie redituram hora qua fas esset. Rursus conuenitur in aedibus Poli, qui choragus erat fabulae. Ibi denarrat exorcista, quid esset gestum nonnulla etiam admentiens, quae sibi tamen persuaderat esse vera. Adeo fauebat negocio quod agebatur. Iam hoc compertum erat, scilicet animam esse Christianam, quae sub inclementissimo daemone diris cruciatibus vexaretur. Huc omnis conatus intenditur. Verum in exorcismo proximo ridiculum quidam accidit.

THOMAS. Obsecro, quidnam?

204r ANSELMVS. Quum Fau/nus euocasset animam, Polus qui daemonem agebat, prorsus sic assilijt, quasi intra circulum irruptus quumque contra Faunus pugnaret exorcismis, multamque vim aquae aspergeret, tandem exclamat daemon se ne pili quidem facere ista omnia: Rem, inquit, habuisti cum puella, mei iuris es. Id quum Polus ioco diceret, tamen forte fortuna verum dixisse visus est; nam exorcista hoc dicto tactus, ilico rece

---

1 delegat partes subnotata sunt cum signo in margine
4 Sub noctem subnotata sunt cumsigno in margine
9 subito prosilit subnotata sunt cum signo in margine
34 se ne pili subnotata sunt cum signo in margine

pit se in centrum circuli, et nescio quid immussauit in aurem parocho. Id Polus sentiens, recepit sese ne quid audiret, quod audire fas non esset.

THOMAS. Sane Polus religiosum ac verecundum agebat daemonem.

ANSELMVS. Sic est. Reprehendi poterat actio quod parum meminisset decori. Exaudiuit tamen parochi vocem, indicentis satisfactionem.

THOMAS. Quam?

ANSELMVS. Vt ter diceret praecationem dominicam, ex hoc conijciebat illum ter habuisse rem eadem nocte.

THOMAS. Hoc sane regularis ille praeter regulam.

ANSELMVS. Homines sunt, et lapsus erat humanus.

THOMAS. Perge, quid deinde factum?

ANSELMVS. Iam Faunus ferocior redit ad oram circuli, et vltro prouocat daemonem. At ille iam timidior refugiebat, fefellisti me, inquiens, si sapuissem, non mouissem te. Persuasum est hoc multis, quae semel sacerdoti confessus sis, (204v) prorsus abolita esse e memoria daemonis, ne possit op/probare.

THOMAS. Iocum plane ridiculum narras.

ANSELMVS. Sed vt aliquando finiam fabulam, diebus aliquot hunc in modum colloquium habitum est cum anima. Summa huc eua sit. Roganti exorcista, num qua via posset a cruciatu liberari, respondit illa: posse, si pecunia, quam reliquisset fraude partam, restitueretur. Ibi Faunus: Quid, inquit, si per bonos viros dispensaretur in pios vsus? Respondit et hoc profuturum. Hic exhilaratus exorcista, summa diligentia percontatus est, quanta esset summa. Illa dixit ingentem, quod illi erat bonum atque commodum. Indicauit et locum, sed procul dissitum, vbi thesaurus hic defossus esset. Praescripsit in quos vsus vellet impendi.

THOMAS. In quos?

ANSELMVS. Vt tres susciperent peregrinationem, quorum vnus adiret limina Petri, alter iret salutatum Iacobum Compostellanum, tertius obscularetur pectinem Iesu qui est Treueris. Deinde per aliquot monasteria magna vis psalteriorum ac missarum perageretur. Quod superesset, ipse pro suo arbitratu

---

1 Imussauit emendatum est in erratis in inmussauit et subnotatum est
17-18 persuassum emendatum est in erratis
22-23 Summa huc euasit subnotata sunt cum signo in margine
23 Romante pro Roganti scriptum est, sed inepte

dispensaret. Iam totus erat in thesauro Fauni animus, illum toto pectore deuorarat.

THOMAS. Vulgaris morbus est, quanquam hoc nomine peculiariter male audiunt sacerdotes.

ANSELMVS. Vbi nihil esset omissum quod ad pecuniae negocium pertineret, exorcista / submonitus a Polo, coepit animam 205r de curiosis artibus percontari: de alcumista, deque magia. Et ad haec anima quaedam respondit pro tempore, caeterum pollicita se plura indicaturam, simulatque illius opera liberata fuisset paedagogo daemone. Sit huic si videtur tertius fabulae actus. In quarto Faunus coepit vbique serio praedicare rem prodigiosam, nihil aliud crepare in colloquijs, in conuiuijs, polliceri monasterijs magnifica quaedam et omnino nihil iam humile loquebatur. Adijt locum, reperit signa, non ausus tamen est effodere thesaurum, quod anima iniecisset scrupulum, ingenti periculo facturum, si priusquam esset peractae missae, thesaurus attingeretur. Iam multis nasutioribus subolebat fucus. Quum tamen ille nusquam non depraedicaret suam stultitiam, clam admonitus est ab amicis, praesertim ab abbate suo ne qui hactenus habitus esset vir prudens, nunc diuersum de se specimen daret omnibus. Ille tamen nullius oratione potuit commoueri, quo minus crederet rem esse seriam, adeoque penitus haec imaginatio occupauit animum hominis, vt praeter spectra et malos genios nihil somniaret, nihil loqueretur. Abierat mentis habitus in ipsam faciem, quae sic pallebat, sic erat extenuata, sic deiecta, vt laruam esse diceres, non (205v) hominem. Quid / multis? Minimum aberat a vera dementia, ni celeri remedio succursum fuisset.

THOMAS. Nimirum hic erat extremus actus fabulae.

ANSELMVS. Eum tibi reddam. Polus et huius gener huiusmodi technam commenti sunt. Effinxerunt epistolam raris literis descriptam, idque non in chartis vulgaribus, sed in his, in quibus aurifices imponunt bracteas auri subrubentibus, vt scis, luto. Epistolae sententia haec erat: Faunus dudum captiuus, nunc liber Fauno liberatori suo optimo salutem aeternam. Non est, mi Faune, quur te diutius in hoc negocio maceres. Respexit Deus animi tui piam voluntatem, et illius merito

---

15 quod anima iniecisset subnotata sunt
19-20 Abbate
19-21 Haec enuntiata adnotata sunt in margine
25-27 Haec enuntiata adnotata sunt in margine

me liberauit a supplicijs, ego nunc feliciter ago inter angelos. Te manet locus apud diuum Augustinum, qui proximus est Apostolorum choro. Vbi veneris ad nos, agam tibi gratias coram. Interim cura, vt viuas suauiter. Datum e coelo empyreo Idibus Septembribus. Anno.1498. Sub sigillo annuli mei. Haec epistola clam posita est in altari, vbi facturus erat rem diuinam. Ea peracta, subornatus est, qui eum submoneret de re, quasi casu deprehensa. Nunc eam circumfert epistolam, et ostendat ceu rem sacram, nihilque credit certius, quam eam e coelo perlatam ab angelo.

THOMAS. Istud non est liberasse hominem insania, seu mu-/
206r tasse insaniae genus.

ANSELMVS. Sic est profecto, nisi quod nunc insanit suauius.

THOMAS. Antehac non soleo multum tribuere fabulis quae vulgo feruntur de spectris, sed posthac multo minus tribuam; suspicor enim ab hominibus credulis et Fauni similibus multa pro veris prodita literis, quae simili artificio sunt adsimulata.

ANSELMVS. Ego pleraque huius generis esse credo.

LB 752-756
ASD 424-429

ALCVMISTA
LALVS, PHILICOVS

PHILICOVS. Quid est nouae rei, quod sic Lalus apud sese ridet, ac pene in cachinnos soluitur, subinde signans se cruce? Interpellabo felicitatem hominis. Salue multum amicissime Lale, videris mihi admodum felix.

LALVS. Atqui felicior ero, si te impartiam hoc gaudio.

PHILICOVS. Fac igitur quamprimum me bees.

LALVS. Nosti Balbinum?

PHILICOVS. Senem illum eruditum, ac vitae etiam laudatae?

LALVS. Sic est vt dicis, sed nullus est mortalium qui sapit omnibus horis, aut qui sit vndiquaque perfectus. Habet hoc vir ille inter multas egregias dotes naeui; iam olim insanit in artem, quam vocant alcumisticam.

PHILICOVS. Haud tu quidem naeuum narras, sed insignem morbum.

---

5 Idib.

LALVS. Vtcunque est, ille toties delusus ab hoc hominum genere tamen dudum mirifice passus est sibi dari verba. /

(206v) PHILICOVS. Quo pacto?

LALVS. Adijt illum sacerdos quidam, salutauit honorifice, mox sic exorsus est: Doctissime Balbine, mirabere fortassis, quod ignotus sic interpellem te, quem scio nunquam non sanctissimis studijs occupatissimum. Annuit Balbinus, qui mos est illi, nam verborum est mire parcus.

PHILICOVS. Prudentiae narras argumentum.

LALVS. Verum alter prudentior sic pergit: Ignosces tamen huic meae importunitati, si cognoris causam, quur te adierim. Dic, inquit Balbinus; sed paucis, si potes. Dicam, inquit, quanto potero compendio. Scis, vir omnium doctissimus, esse varia mortalium fata. Ego nescio, vtro in numero me ponam, felicium an infelicium. Etenim si meum fatum altera ex parte contemplor, videor mihi pulchre felix; sin ex altera, nihil me infelicius. Vrgente Balbino, vt rem conferret in compendium, Finiam, inquit, doctissime Balbine. Id erit mihi facilius apud virum, cui totum hoc negocium sic notum est, vt nulli notius.

PHILICOVS. Rhetorem mihi depingis, non alcumistam.

LALVS. Mox audies alcumistam. A puero mihi, inquit, contigit haec felicitas, vt artem omnium maxime expetendam discerem; illam inquam totius philosophiae medullam alcumisticam. 207r Ad nomen alcumistices nonnihil experrectus est Balbi-/nus, gestu duntaxat. Caeterum gemitu iussit, vt pergeret. Tum ille: Sed, o me miserum, inquit, qui inciderim in eam viam, quam non oportuit. Quum Balbinus rogasset, quasnam vias diceret, Scis, inquit, optime, quid enim te fugit, Balbine, virum vndiquaque doctissimum, duplicem esse huius artis viam: alteram, quae dicitur longatio; alteram, quae dicitur curtatio. At mihi malo quodam fato contigit in longationem incidere. Balbino scistante, quod esset discrimen viarum, Impudentem me, inquit, qui haec apud te loquar, cui sciam haec omnia sic esse nota, vt nulli notiora. Itaque supplex huc ad te accurri, vt misertus nostri, digneris impartire nobis viam illam felicissimam curtationis. Quo peritior es huius artis, hoc potes minore negocio communicare nobis. Noli tantum Dei donum caelare fratrem

---

20 Alcumistam
21 Alcumistam
23 Alcumisticam
24 Alcumistices
37 dei

dolore periturum. Ita te Iesus Christus semper maioribus locupletet dotibus. Quum hic non faceret obstandi finem, Balbinus fateri coactus est, se prorsus ignorare quid esse longatio, aut curtatio; iubet exponat ipse vim harum vocum. Tum ille: Quanquam, inquit, scio me loqui peritiori, tamen, quandò ita iubes, faciam. Qui totam aetatem in hac arte diuina contribuerunt, duabus rationibus vertunt rerum species: altera quae breuior est, sed / plusculum habet periculi; altera quae longior (207v) est, sed eadem tutior. Ego mihi videor infelix, qui hactenus sudarim in ea via, quae meo animo non arridet, neque quenquam nancisci potuit, qui alteram, cuius amore depereo, vellet indicare. Tandem Deus immisit in mentem, vt te adirem virum non minus pium quam doctum. Doctrina tibi praestat, vt facile possis dare quod peto; pietas commouebit, vt velis opitulari fratri, cuius salus tibi in manu est. Ne longum faciam, quum huiusmodi sermonibus veterator ille amouisset a se suspicionem fuci, fidemque fecisset, sibi viam alteram esse perspectissimam, iampridem pruriebat Balbino animus. Tandem non temperans sibi: Valeat, inquit, illa curtatio, cuius ego ne nomen quidem vnquam audiui, tantum abest, vt teneam; dic mi bona fide, longationem tenes exacte? Phy, inquit ille, ad vnguem, sed displicit prolixitas. Quum Balbinus rogasset, quantum temporis requireretur, Nimium, inquit, totus pene annus, sed interim tutissima est. Ne labora, inquit Balbinus, etiam si toto biennio sit opus, modo fidas arti tuae. Vt rem in pauca conferam; conuenit inter eos, vt negocium aggrederentur clam in aedibus Balbini hac lege, vt ille suppeditaret operam, Balbinus sumptum, lucrum ex aequo ac bono / diuideretur. Quanquam impostor (208r) modestus vltro totum lucrum, quod prouenisset, Balbino deferebat, vtrinque iuratum est de silentio, quod faciunt qui mysterijs initiantur. Iam initio numeratur pecunia, vnde artifex mercaretur ollas, vitra, carbones, reliquaque quae ad instruendam officinam pertinent. Ibi noster alcumista suauiter in scorta, aleam et compotationes decoquit eam pecuniam.

PHILICOVS. Hoc nimirum est vertere rerum species.

LALVS. Vrgente Balbino vt rem aggrederetur: An non tenes, inquit, illud: "Dimidium facti qui coepit habet"? Magnum est bene praeparare materiam. Tandem coepit adornari fornax. Hic rursus erat opus nouo auro, velut illecebra venturi auri. Siquidem vt piscis non capitur absque esca, ita aurum alcumistis non prouenit, nisi pars auri admisceatur. Interea Balbinus totus erat in supputationibus, subducebat enim, si vncia pareret

quindecim, quantum esset lucri rediturum ex vncijs his mille. Tantum enim decreuerat insumere. Quum hanc quoque pecuniam decoxisset alcumista, iamque mensem vnum atque alterum multum operae simulasset circa foles et carbones, roganti Balbino, ecquid procederet negocium, primum obmutuit; vrgenti tandem (208v) respondit, sicut solent res praeclarae, quae semper / difficiles habent aditus, causabatur erratum in emendis carbonibus, quernos enim emerat,quum abiegnis esset opus, aut colurnis. Ibi pereierant aurei centum, nec eo segnius reditum est ad aleam, data noua pecunia, mutati carbones. Iamque maiore studio res coepta est, quam antea, quemadmodum in bello milites, si quid secus accidit quam vellent, virtute sarciunt. Quum menses iam aliquot ferbuisset officina et expectaretur foetus aureus, ac ne mica quidem auri esset in vasis (iam enim et illud omne decoxerat alcumista), inuenta est alia causatio, nimirum vitra quibus vsus fuerat, non fuisse temperata, sicut oportuit. Etenim vt non ex quouis ligno Mercurius fingitur, ita non quibuslibet vitris conficitur aurum. Quo plus erat impensum, hoc minus libebat desistere.

PHILICOVS. Sic solent aleatores, quasi non multa satius sit hoc perdere quam totum.

LALVS. S[i]c est. Deierebat alcumista, nunquam sibi sic impositum fuisse, nunc errore deprehenso, caetera fore tutissima et hoc dispendij magno cum foenore sarturum sese. Mutatis vitris, tertia instaurata est officina. Admonebat alcumista rem felicius successuram, si Virgini matri, quae, vt scis, Paralijs colitur, mitteret aliquot aureos dono; artem enim (209r) esse sacram nec absque fauore numinum rem prospere geri. / Id consilium vehementer placuit Balbino, homini pio, vt qui nullum praetermitteret diem, quin perageret rem diuinam. Suspecit religiosam profectionem alcumista, nimirum in proximum oppidulum, atque illic votiuam pecuniam decoxit in ganeis. Reuersus domum, nunciat sibi summam esse spem, negotium ex animi sententia sucessurum, adeo diuam Virginem votis suis visam annuere. Vbi multo iam tempore sudatum esset, ac ne mica quidem auri nasceretur vsquam, expostulanti Balbino respondit sibi nihil vnquam tale accidisse in vita toties artem experto, nec

---

17 mercurius
26 virgini
32 votinam emendatum est in erratis
34 virginem

satis posse coniectare, quid esset in causa. Quum diu diuinatum esset, tandem illud venit in mentem Balbino, num quo die praetermisisset audire sacrum, aut dicere preces horarias, quae vocant: nam nihil succedere his omissis. Ibi impostor, Rem, inquit, acu tetigisti. Me miserum, semel atque iterum id admissum est per obliuionem, et nuper a prolixo conuiuio surgens, oblitus sum dicere salutationem Virginis. Tum Balbinus: Non mirum, inquit, si res tanta non succedit. Recipit artifex se pro praetermissis sacris duobus duodecim auditurum, et pro vnica salutatione decem repositurum. Quum alcumistam prodigum subinde defecisset pecunia, nec suppeterent petendi causae, tan
(209v) tem hanc technam / commentus est. Redijt domum admodum exanimatus, ac voce lamentabili: Perij, inquit, funditus, Balbine, perij, actum est de capite meo. Obstrupuit Balbinus, et tanti mali causam auebat cognoscere. Subodorati sunt, inquit, aulici quod egimus, nec aliud expecto, quam vt mox deducat in carcerem. Ad hanc vocem expalluit etiam serio Balbinus; nam scis apud nos capitale esse si quis alcumisticam exerceat absque principis permissu. Pergit ille: Non, inquit, metuo mortem, vtinam illa contingat, metuo quiddam crudelius. Roganti quid hoc esset: Rapiar, inquit, aliquo in turrim. Illic per omnem vitam cogar his laborare, quibus non libet. An vlla mors est, quae non potior esse debeat, quam talis vita? Ibi res ventilata est consultatione. Balbinus, quoniam callebat artem rhetoricam, pulsauit omnes status, si qua periculum vitari posset: Non potes, inquit, inficiari crimen? Nequaquam, ait ille. Inter regios satellites res sparsa est, et habent argumenta, quae dilui non possint. Ne defendi quidem factum poterat ob legem manifestam. Quum multis in medium adductis, nihil videretur firmi praesidij, tandem alcumista, cui iam opus erat praesente pecunia: Nos, inquit, Balbine, lentis consilijs agi
210r mus. Atqui res poscit / praesens remedium. Iam arbitror adfuturos, qui me abripiant in malam rem. Denique quum nihil occurreret Balbino, tandem alcumista: Nec mihi quicquam occurrit, inquit, neque quicquam superesse video, nisi vt fortiter peream, nisi forte hoc placet, quod vnum superest, vtile magis quam honestum, nisi quod durum est telum necessitas. Scis, inquit, hoc hominum genus auidum esse pecuniae, eoque facilius corrumpi posset, vt sileant. Quamuis durum sit illis furcife-

---

7 virginus
24-25 Rhetoricam

ris dare quod profundant, tamen vt nunc res sunt, nihil video melius. Idem visum est Balbino, ac numerauit aureos triginta, quibus redimeret silentium.

PHILICOVS. Miram Balbini liberalitatem mihi praedicas.

LALVS. Imo in re honesta citius dentem extudisse ab eo, quam numum. Sic prospectum est alcumistae, cui nihil erat periculi, nisi quod non haberet, quod daret amicae.

PHILICOVS. Demiror Balbino in tantum nihil esse nasi.

LALVS. Hic duntaxat naso caret, in caeteris nasutissimus. Rursum noua pecunia instruitur fornax, sed praemissa ad Virginem matrem precatiuncula, vt coeptis faueret. Iam totus exierat annus, dum illo nunc hoc nunc illud causante, luditur opera et perit impensa. Interim extitit casus quidam ridiculus.

PHILICOVS. Quisnam?

(210v) LALVS. Alcumista furtiuam consuetudinem habebat / cum vxore cuiusdam aulici; maritus concepta suspicione, coepit obseruare. Tandem cum illi nunciatum esset, sacrificum esse in cubiculo, praeter expectationem redijt domum, pulsat hostium.

PHILICOVS. Quid facturus homini?

LALVS. Quid? Nihil suaue, aut occisurus erat, aut exacturus. Vbi maritus instans minitaretur se vi effracturum hostium, ni aperiret vxor, magnopere trepidatum est, et circunspicitur praesentaneum aliquod consilium. Nec erat aliud, quam quod ipsa dabat res. Abiecit tunicam, ac per fenestram angustam deiecit sese non absque periculo, nec sine vulnere, ac fugit. Scis tales fabulas ilico spargi. Itaque permanauit et ad Balbinum. Neque id fore non diuinarat artifex.

PHILICOVS. Hic itaque medius tenetur.

LALVS. Imo felicius elapsus est hinc quam e cubiculo. Audi technam hominis. Nihil expostulabat Balbinus, sed nubilo vultu satis indicabat se non ignorare quod vulgo ferebatur. Nouerat ille Balbinum esse virum pium, in nonnullis pene dixerim supersticiosum. Et qui tales sunt qui in quamuis magno peccato, facile condonant supplici. Itaque data opera inijcit mentionem de successu negocij, queritans non perinde succedere, vt solet, aut vellet, addebat se vehementer mirari quid esset 211r in causa. Ibi per occasionem / commotus Balbinus, qui alioqui

---

11-12 virginem
36 quieritans emendatum est in erratis

videbatur destinasse silentium, et erat qui facile commoueretur. Non est, inquit, obscurum qui obstet, peccata obstant, quo minus succedat, quod a puris pure tractari conuenit. Ad hanc vocem artifex procubuit in genua subinde tundens pectus, vultu voceque lachrymabili: Verissimum, inquit, dixisti, Balbine; peccata, peccata, inquam, obstant, sed mea peccata, non tua. Non enim pudebit me turpitudinem meam apud te velut apud sacerdotem sanctissimum confiteri; vicerat me carnis infirmitas, pertraxerat me Satanas in laqueos suos. Et, o me miserum, e sacrificio factus adulter. Non tamen omnino perijt hoc munus, quod misimus Virgini matri. Perieram certo exitio, ni illa succurrisset. Iam maritus effringebat fores, fenestra erat arctior, quam vt possem elabi. In tam praesentaneo periculo venit in mentem sanctissimae Virginis, procidi in genua, obtestatus sum, si gratum fuisset munus, vt opitularetur. Nec mora, repeto fenestram, sic enim vrgebat necessitas, et satis amplam reperi ad effugium.

PHILICOVS. Credidit ista Balbinus?

LALVS. Credidit. Imo etiam ignouit, et admouit religiose, ne se praeberet ingratum beatissimae Virgini. Numerata est rursus pecunia, danti fidem se posthac rem sacram pure tractaturum.

(211v) PHILICOVS. / Quis tandem finis?

LALVS. Perlonga est fabula, sed ego paucis absoluam. Quum eiusmodi commentis diu lusisset hominem, neque mediocrem pecuniarum vim ab eo extorsisset, tandem venit illo, qui nebulonem a puero uouerat. Is facile diuinans, illum idem agere apud Balbinum, quod nusquam non egerat, clam aggreditur illum, exponit qualem artifex domi suae foueret, monet vt quam primum ableget hominem, ni malit ipsum aliquando compilatis scrinis fugere.

PHILICOVS. Quid hic Balbinus? Videlicet curauit hominem conijciendum in carcerem.

LALVS. In carcerem? Imo numerauit viaticum, obtestans per omnia sacra, ne quod accidisset, effutiret. Et sapuit, mea quidem sententia, qui hoc maluerit, quam esse fabula conuiuiorum et fori, deinde venire in periculum confiscationis. Nam impos-

---

9 satanas
11 virgini
14 virginis

tori nihil erat periculi, artis tantum tenebat, quantum asinus quiuis; et in hoc genere fauorabilis est impostura. Quod si furti crimen intentasses, a suspendio tutum reddebat vnctio, neque quisquam lubens gratis alat talem in carcere.

PHILICOVS. Miseresceret me Balbini, nisi ipse gauderet deludi.

LALVS. Nunc mihi properandum est in aulam, alias referam his etiam multum stultiora.

PHILICOVS. Quum vacabit et audiam lubens, et fabulam pensabo. /

212r
LB 756-757
ASD 430-432

HIPPOPLANVS
AVLVS, PHAEDRVS

AVLVS. Deum immortalem, ὡς σεμνοπροσωπεῖ noster Phaedrus, et subinde in coelum suspicit! Adoriar. Quid accidit nouae rei, Phaedre?

PHAEDRVS. Quam ob rem istuc interrogas, Aule?

AVLVS. Quoniam e Phaedro mihi videris factus Cato, tanta est in vultu seueritas.

PHAEDRVS. Non mirum, amice, modo confessus sum peccata mea.

AVLVS. Phy, iam desino mirari; sed dic, age, bona fide confessus es omnia?

PHAEDRVS. Omnia quae quidem in mentem veniebant, vnico duntaxat excepto.

AVLVS. Cur vnum hoc reticuisti?

PHAEDRVS. Quia nondum potuit mihi displicere.

AVLVS. Oportet esse peccatum suaue.

PHAEDRVS. An peccatum sit, nescio, sed tamen si vacat audies.

AVLVS. Audiam equidem lubens.

PHAEDRVS. Scis quanta sit impostura apud nostros in his qui vendunt aut locant equos?

AVLVS. Plus scio quam vellem, non semel ad illis delusus.

PHAEDRVS. Nuper incidit mihi iter, cum satis prolixum, tum etiam accelerandum. Adeo quendam ex illis, quem dixisses eius generis minime malum, et intercedebat mihi cum homine nonnihil etiam amicitiae. Narro mihi rem seriam esse, opus esse praestrenuo equo, si nunquam praebuisset se mihi bonum (212v) virum nunc praestaret. / Ille policetur sese sic mecum acturum,

vt ageret cum fratre suo charissimo.

AVLVS. Fortassis et fratri impositurus.

PHAEDRVS. Inducit in stabulum, iubet vt eligam ex omnibus equis quencunque vellem. Tandem vnus plus caeteris arridebat, ille probat iudicium meum, deierans eum equum frequenter a multis expetitum esse, se eum maluisse seruare amico singulari, quam ignotis addicere. Conuentum est de precio, numeratur pecunia praesens, conscendo. Mira alacritate gestiebat equus in egressu, dixisses feroculum esse. Nam erat obesulus et pulchellus. Vbi iam equitassem sesqui horam, sensi plane lassum, ne calcaribus quidem impelli posse. Audieram tales ab illis ad imposturam ali, quos e specie iudicares insignes, caeterum laboribus impatientissimos. Ego continuo mecum: captus sum. Age, par pari referam, vbi rediero domum.

AVLVS. Quid hic consilij capiebas eques absque equo?

PHAEDRVS. Id quod res dabat. Deflexi in proximum vicum, illic clam apud quendam mihi notum deposui equum, et conduxi alterum, profectus sum quo destinaram, reuersus sum, reddo conductitium equum, reperio meum sophistam, vt erat, obesum et pulchre requietum, eo vectus redeo ad impostorem, rogo vt
213r in stabulo suo alat dies aliquot, donec / repetiero. Percontatur quam commode me gesserit, ego vero deiero per omnia sacra, me nunquam in vita conscendisse tergum equi felicioris, volasse potius quam ambulasse, nec tam longo itinere vnquam sensisse lassitudinem, nec pilo factum ob laborem macriorem. Haec cum illi persuasissem vera, tacitus secum cogitabat, equum illum alium esse quam hactenus suspicatus esset. Itaque priusquam abirem, rogabat num mihi venalis esset equus. Primo negabam, quod si incideret iter denuo, non facile foret nancisci similem. Attamen nihil esse mihi tam charum, quod non esset venale precio largo etiamsi quis meipsum, inquam, cuperet emptum.

AVLVS. Nae tu pulchre Cretensem agebas cum Cretensi.

PHAEDRVS. Quid multis? Non dimittit me, nisi pronunciata equi indicatura. Indicaui non paulo pluris quam emeram. Digressus ab homine, mox suborno, qui mihi partem agat huius fabulae, pulchre instructum atque edoctum. Is ingressus domum inclamat locatorem, ait sibi opus esse insigni equo et laboris egregie patienti. Alter ostendi multos, et pessimum quenque

---

20 pulcre

maxime praedicat, solum illum quam mihi vendiderat, quoniam existimabat vere talem qualem praedicaueram, non laudat. At
(213v) alter ilico rogat, num / et ille venalis esset, nam descripseram illi formam equi, et locum indicaram. Locator primum obticescere, atque alios ambitione praedicare. Quum iste caeteris vtcunque probatis semper ageret de vno illo, tandem locator apud se. Plane fefellit me iudicium de illo equo, siquidem hic peregrinus statim agnouit hunc inter mones. Quum instaret ille, tandem hic venalis est, inquit, sed precio fortasse deterreberis. Non est, inquit ille, magnum precium, si rei dignitas respondeat. Indica. Indicauit aliquanto pluris, quam indicarem ipsi, captens et hoc lucri. Tandem conuenit de pretio, datur arra satis magna, nempe regalis aureus, ne qua suspicio incideret simulatae emptionis. Iubet equo dari pabulum, se mox ait rediturum et adducturum, dat etiam stabulario drachmam. Ego simul atque cognoui pactionem esse firmam, sic vt rescindi non posset, rursus ocreis et calcaribus armatus redeo ad locatorem, anhelus clamo. Adest ille, rogat quid velim: Ilico, inquam, adornetur equus meus. Nam e vestigio proficiscendum est ob rem maxime seriam. Atque modo, inquit, mandabas, vt aliquot dies alerem equum tuum. Verum, inquam, sed praeter expectationem obiectum est negocium, idque regium, quod nullam patitur dilationem. Hic ille: eliges ex omnibus quem voles, tuum habere non potes. Rogo quam ob rem./
214r Quoniam venditus est, inquit. Ibi ego simulata magna perturbatione, prohibeant, inquam, superi quod dicis. Hoc obiecto itinere, non venderes eum equum, etiamsi quis numeret quadruplum. Incipio rixam, clamo me perditum. Tandem incaluit et ille: quid opus, inquit, his iurgijs? Indacasti equum, ego vendidi, si numero precium, nihil habes, quod mecum agas, sunt in hac vrbe leges, ad exhibendum equum me non potes compellere. Quum diu clamassem, aut equum exhiberet, aut emptorem, tandem iratus numerat precium. Emeram quindecim aureis, aestimaram viginti sex. Ille aestimarat triginta duobus. Cogitabat apud se, prestat hoc lucri facere, quam equum reddere. Abeo dolenti similis, ac vix placatus etiam data pecunia. Ille rogat vt boni consulam, se alijs in rebus pensaturum hoc incommodi. Sic impositum est impostori. Habet equum nullius precij. Expectat vt qui arram dedit, veniat numerarum pecuniam. At nemo venit nec vnquam venturus est.

AVLVS. Interim nunquam tecum expostulauit?

PHAEDRVS. Qua fronte aut quo iure id faceret? Conuenit quidem semel atque iterum, questus est de fide emptoris. Verum ego vltro expostulaui cum homine, dicens illum eo malo dignum, qui praepropera venditione tali equo me spoliarit. / Hoc (214v) est crimen tam bene collocatum mea sententia, vt non possim inducere animum confiteri.

AVLVS. Ego mihi statuam poscerem si quid tale designasse, tantum abest, vt confessurus sim.

PHAEDRVS. An ex animo loquaris nescio; mihi tamen addis animum, quo magis lubeat talibus facere fucum.

LB 757-759
ASD 433-437

ΠΤΩΧΟΛΟΓΙΑ

IRIDES, MISOPONVS

IRIDES. Quam ego huc nouam auem video aduolare? Agnosco faciem, sed vestis non conuenit. Aut ego prorsus hallucinor, aut hic est Misoponus. Audendum est. Compellabo hominem, quam libet pannosus. Salue, Misopone.

MISOPONVS. Iridem video.

IRIDES. Salue Misopone.

MISOPONVS. Tace, inquam.

IRIDES. Quid, an saluere non vis?

MISOPONVS. Non isto quidem nomine.

IRIDES. Quid accidit? An non es idem, qui fueras? An cum veste mutatur et nomen?

MISOPONVS. Non, sed verus receptum est.

IRIDES. Quis tum eras?

MISOPONVS. Apitius.

IRIDES. Ne te pudeat veteris sodalis, si quid melioris obtigit fortunae; non diu est, quod eras ordinis nostri.

MISOPONVS. Concede huc sodes, et audies rem omnem. Non pudet ordinis vestri, sed pudet primi ordinis.

IRIDES. Quem ordinem narras, Franciscanorum?

MISOPONVS. Nequaquam, o bone, sed decoctorum.

215r IRIDES. Nae tu istius ordinis so/dales habes quam plurimos.

MISOPONVS. Eram re lauta, prodegi strenue, vbi res defecit, nullus agnoscebat Apitium, profugi pudore, verti me ad

---

16 panuosus

vestrum collegium, noc malui quam fodere.

IRIDES. Sapuisti. Sed vnde subito nouus nitor corporis? Nam de veste mutata non perinde miror.

MISOPONVS. Quamobrem?

IRIDES. Quia dea Lauerna multos subito ditat.

MISOPONVS. An suspicaris me furto parasse rem?

IRIDES. Hoc fortassis ignauius.Rapina igitur

MISOPONVS. Non per vestram Peniam, neque furto, neque rapina; sed de nitore corporis prius expediam, quod tibi videtur mirabilius.

IRIDES. Nam apud nos eras totus vlcerosus.

MISOPONVS. Nimirum sum vsus amicissimo medico.

IRIDES. Quoniam?

MISOPONVS. Non alio quam meipso, nisi si quem arbitraris mihi meipso amiciorem.

IRIDES. Atqui nesciebam te callere rem medicam antehac.

MISOPONVS. Totum illum ornatum ipse pigmentis affixeram, ture, sulphure, resina, visco, linteis, cruore. Vbi visum est quod affixeram, detraxi.

IRIDES. O impostorem, nihil te videbatur miserabilius. Poteras in tragoedia sustinere personam Iob.

MISOPONVS. Sic tum ferebat egestas, quanquam fortuna non nunquam et cutem mutare solet.

IRIDES. Dic igitur de fortuna. Repertus est thesaurus aliquis?

MISOPONVS. Non, sed repertus est quaestus vestro paulo / (215v) commodior.

IRIDES. Qui potuisti facere quaestum quum non suppeteret sors?

MISOPONVS. Artem quaeuis terra alit.

IRIDES. Intelligo. Dicis artem incidendi loculos.

MISOPONVS. Bona verba. Dico artem alcumisticam.

IRIDES. Vix quindecim dies sunt, quod nos relinquisti, et artem assequutus es, quam alij vix multis annis perdiscunt?

MISOPONVS. Nactus sum viam compendiariam.

IRIDES. Quam, obsecro?

MISOPONVS. Ars vestra conflauerat mihi quatuor ferme aureos. Bona quadam fortuna incidi in veterem congerronem, qui

---

32 Alcumisticam

nihilo felicius rem administrarat quam ego. Compotabamus, coepit (vt sit) narrare suas fortunas, paciscor hac lege, vt ille biberet immunis, mihi communicaret artem. Communicauit bona fide, ea nunc vectigal est mihi.

IRIDES. Non licet discere?

MISOPONVS. Tibi vel gratis impartiam ob pristinum sodalicium. Scis nusquam non inueniri plurimos huius artis auidissimos.

IRIDES. Audiui et credo.

MISOPONVS. In horum familiaritatem quacunque occasione memet insinuo, iacto artem. Vbi sensero larum hiantem, escam paro.

IRIDES. Quo pacto?

MISOPONVS. Vltro eos moneo, ne temere credant eius artis professoribus. Nam plerosque esse impostores, id agentes praestigijs suis, vt exhauriant loculos incautorum.

216r IRIDES. Istuc proemij parum ac accommodum / tuo negocio.

MISOPONVS. Imo illud etiam addo, nequid mihi ipsi credant, ni rem certam oculis ac manibus deprehenderint.

IRIDES. Miram artis fiduciam mihi narras.

MISOPONVS. Iubeo illos adesse, dum peragitur metamorphosis, iubeo attentos esse, quoque minus dubitent, iubeo vt ipsi manibus rem omnem peragant, me procul spectante, ne digitum admouente, liquefactam materiam iubeo vt purgent ipsi, aut aurifici purgandam deferant, praedico quantum argenti auriue sit eliquandum, denique quod eliquatum est, iubeo vt pluribus aurificibus deferant ad lydium lapidem explorandum. Reperiunt pondus praedictum, reperiunt purgatissimum aurum aut argentum, nihil enim refert, nisi quod minore periculo mihi dem res tentatur in argento.

IRIDES. Proinde nihil habet ars tua fuci.

MISOPONVS. Imo meus fucus est.

IRIDES. Nondum video praestigium.

MISOPONVS. Faxo vt videas. Primum paciscor de percede, eam nolo mihi numerari, nisi prius aedito artis experimento. Trado illis puluisculum quasi huiusui conficiatur totum negocium. Rationem conficiendi pulueris non communico, nisi magna mercede redemerint. Exigo iusiurandi, ne proferant arcanum (216v) artis intra sex menses cuiquam mortalium aut immorta/lium.

IRIDES. Nondum audio fucum.

---

15 agentis

MISOPONVS. Fucus omnis est in vno carbone in hoc parato. Excauo carbonem, in eum infero liquefactum argentum, quantum praedico reddendum, post infusum puluerem, sic instruo vas, vt non solum inferne et a lateribus cingatur prunis, verum etiam superne, persuadeo hoc esse artis. Inter carbones, qui superne imponuntur, vnum admisceo qui tegit argentum aut aurum. Id vi caloris liquefactum defluit in reliquam materiam, quae liquescit, puta stannum aut aes, repurgatione facta, inuenitur quod admixtum est.

IRIDES. Ars expedita, sed quomodo fallis, si alter rem agat suis manibus?

MISOPONVS. Quum is me praescribente perfecit omnia prius quam moueatur vas alcumisticum, accedo iam et circunspicio, ne quid forte sit omissum. Aio mihi videri superne deesse vnum atque alterum carbonem, clam appono meum, fingo me eum tollere ex aceruo reliquorum, at illic ante sic positum, vt nulli poscit agnosci, et illum fallere. Tollo.

IRIDES. Caeterum quum illis absque te periculum facientibus non succedit, quid adfers?

MISOPONVS. Mihi nihil est periculi, iam numerata pecunia. Aliquid comminiscor, aut ollam fuisse insynceram, aut carbo-
217r nes viciosos, aut igneum parum scite tempera/tum. Denique pars est artis, quam profiteor, non diu haerere in eodem loco.

IRIDES. An tantus est prouentus istius artis, vt te possit alere?

MISOPONVS. Et quidem splendide posthac tu quoque si sapis, relinques istam miseriam, et nostro accedes ordini.

IRIDES. Imo citius illud agam, vt te reuocem in nostrum ordinem.

MISOPONVS. Vt volens repetam quod semel effugi,ac deseram bonum, quod inueni?

[IRIDES]. Habet hoc nostra professio, dulcescit assuetudine. Proinde quum multi sint, qui deficiunt ab instituto diui Francisci aut Benedicti, quem vnquam vidisti, qui diutius versatus in ordine nostro defecerit? Nam tam paucis mensibus vix gustare poteras, quid esset mendicitas.

MISOPONVS. Is gustus me docuit esse rem omnium miserrimam.

IRIDES. Quur igitur nemo deficit?

MISOPONVS. Fortasse quia natura miseri sunt.

IRIDES. Ego hanc miseriam ne cum regum quidem fortuna

31-32 quod inueni? Habet hoc

commutarim. Nihil enim regno similius, quam mendicitas.

MISOPONVS. Quid ego audio? Nihil niui similius quam carbo.

IRIDES. Dic mihi qua re potissimum beati sunt reges?

MISOPONVS. Quia faciunt quod animo collubitum est.

IRIDES. Ista libertas qua nihil suauius, nemini regum magis adest quam nobis. Nec dubito quin multi reges sint qui nobis inuideant. Siue bellum est, siue pax, nos tuto viuimus, (217v) non describimur / ad militiam, non vocamur ad munia publica, non censemur, quum populus expilatur exactionibus, nullus inquirit in vitam nostram; si quid admissum est, etiam atrocius, quis dignetur in ius vocare mendicum? Etiamsi pulsamus hominem, pudet pugnare cum mendico. Regibus nec in pace, nec in bello licet suauiter agere, et quo maiores sunt, hoc plures metuunt. Nos veluti Deo sacros etiam religione quadam metuit vulgus offendere.

MISOPONVS. Sed interim sordescitis in pannis et casulis.

IRIDES. Quid ista faciunt ad veram felicitatem? Extra hominem sunt,quae narras. His pannis debemus nostram felicitatem.

MISOPONVS. At vereor, ne vobis breui peritura sit felicitas istius bona pars.

IRIDES. Qui sic?

MISOPONVS. Quia iam hoc mussant ciuitates, ne mendicis liberum sit quolibet euagari sed vnaquaeque ciuitas suos alat mendicos et in his, qui valent, adigantur ad laborem.

IRIDES. Quur hoc moliuntur?

MISOPONVS. Quia comperiunt ingentia facinora sub mendicitatis praetextu perpetrari. Deinde non minimam perniciem ex vestro ordine nasci.

IRIDES. Istiusmodi fabulas frequenter audiui. Id fiet ad Calendas Graecas.

MISOPONVS. Fortasse citius quam velles. /

---

15 deo

218r
LB
759-766
ASD
438-449

CONVIVIVM FABVLOSVM

POLYMYTHVS, GELASINVS, EVTRAPELVS, ASTEVS, PHILYTHLVS, PHIGELOS, EVGLOTIVS, LEROCHARES, ADOLESCHES

POLYMYTHVS. Vt non decet ciuitatem bene institutam esse sine legibus ac principe, ita nec conuiuium oportet ἄναρχον esse καὶ ἄνομον .

GELASINVS. Isthuc vero perplacet, vt vnus totius populi nomine respondeam.

POLYMYTHVS. Heus puer, adfer huc talos, horum suffragijs decernetur regnum, cuicunque fauerit Iupiter. Euge, Eutrapelo fauit Iupiter. Non fuere sortes caecae, non poterat magis idoneus eligi, etiamsi singulas tribus viritim collecta fuissent puncta. Vulgo iactatur prouerbium, non tam vanum quam parum Latinum: Nouus rex nouus lex. Νομοθέτει γοῦν, ὦ βασιλεῦ.

EVTRAPELVS. Quod felix faustumque sit huic conuiuio. Primum edico, ne quis hic proferto praeter ridiculas fabulas. Cui deerit fabula, drachma mulctator, ea pecunia in vinum insumitur, atque in legitimis fabulis etiam ex tempore conficta habentor, modo seruetur τὸ πιθανὸν καὶ τὸ πρέπον . Si nulli defuerit fabula, duo quorum alter lepidissimam, alter frigi-
(218v) dissimam fabulam dixerit, / vini precium pendunto, conuiuator a vini sumptu immunis esto, ciborum sumptum vnus suppeditato. Huius rei si quis inciderit controuersiae, Gelasinus arbiter ac iudex esto. Haec si vos sciueritis rata sunto; qui legi parere noluerit, abito, sic tamen vt postridie ad compotationem redire ius fasque sit.

GELASINVS. Legem a rege latam, nostris suffragijs ratam esse volumus. Sed vnde proficiscetur fabularum circulus?

EVTRAPELVS. Vnde nisi a conuiuatore?

ASTEVS. Licetne, rex, dicere tria verba?

EVTRAPELVS. An tu credis nefastum esse conuiuium?

ASTEVS. Iureconsulti negant legem esse, quae non sit aequa.

EVTRAPELVS. Assentior.

ASTEVS. At tua lex aequat optimam fabulam pessimae.

EVTRAPELVS. Vbi voluptas quaeritur, ibi non minus laudis

---

3 Philythlos
30 cõuitatore emendatum est in erratis

promeretur, qui pessime dixit, quam qui optime, eo quod non minus delectet. Velut inter cantores nemo voluptati est, nisi qui aut insigniter bene cecinerit, aut egregie male. Nonne plures rident audito coccye, quam audita luscinia? Hic mediocritas laudem non habet.

ASTEVS. At quur plectuntur, qui laudem auferunt?

EVTRAPELVS. Ne nimia felicitas prouocet illis Nemesin aliqua, si simul et laudem auferrent et immunitatem.

ASTEVS. Per Bromium, Minos ipse nunquam tulit legem aequiorem.

PHILYTHLVS. Nullam feres legem de modo bibendi? /

219r EVTRAPELVS. Dispectare, sequar exemplum Agesilai Lacedaemoniorum regis.

PHILYTHLVS. Quid is fecit?

EVTRAPELVS. Is quum tempore quodam symposiarchus talorum arbitrio delectus esset, rogante architriclino, quantum cuique vini iuberet apponi: Si largior, inquit, vini copia parata est, dato cuique quantum poposcerit; si malignior, omnibus ex aequo distributo.

PHILYTHLVS. Quid sibi voluit Lacon ille quum haec diceret?

EVTRAPELVS. Hoc agebat, vt neque temulentum, neque rursum querulum esset conuiuium.

PHILYTHLVS. Qui sic?

EVTRAPELVS. Quia sunt qui gaudent largius bibere, sunt qui gaudent parcius, reperiuntur et abstemij, qualis dicitur fuisse Romulus. Itaque si nulli datur vinum, nisi poscenti, primum nemo compellitur adbibendum, et tamen nihil desiderant, quibus grata est largior potatio. Ita sit vt nemo tristis sit in conuiuio. Rursus si parcior copia vini distribuitur aequis portionibus in singulos, satis habent qui bibunt moderatius, neque quisquam in aequalitate potest obmurmurare, quando qui largius erat habiturus, aequo animo componit sese ad temperantiam. Hoc exemplum si placet vtar. Volumus enim hoc conuiuium fabulosum esse non vinosum.

PHILYTHLVS. Quid igitur bibebat Romulus?

EVTRAPELVS. Idem quod bibunt canes.

(219v) PHILYTHLVS. An non istud indignum re/ge?

---

16 delestus et tuique emendata sunt in erratis
20 cum
32 obmurmare

EVTRAPELVS. Nihilo magis quam quod reges spirant aere cum canibus communi, nisi quod illud interest, rex non bibit eandem aquam, quam biberet canis, sed aerem quem efflauit rex, haurit canis, et vicissim quem afflauit canis, haurit rex. Plus gloriae tulisset Alexander ille magnus, si cum canibus bibisset. Nihil enim peius regi, qui tot hominum milibus vigilat, quam vinolentia. Caeterum Romulum abstemium fuisse declarat apophtegma non infestiuiter ab illo dictum. Etenim quum quidam videns illum abstinere a vino, dixisse vinum ille futurum, si omnes biberent quemadmodum ille. Imo, inquit, tum arbitror fore charissimum si biberent omnes vinum, quemadmodum ego. Bibo enim quantum libet.

GELASINVS. Vtinam hic adesset noster Ioannes Batzemus canonicus Constantiensis, qui nobis Romulum quendam referret, nam et is abstemius non minus est quam dicitur, alioqui comis ac festiuus conuiua.

POLYMYTHVS. Age, si simul potestis, non dicam sorbere et flare, quod Plautus ait esse difficile, sed edere et audire, quod est perfacile, bonis auibus auspicabor fabulandi munus. Si parum erit lepida fabula, scitote Batauam esse. Opinor aliquot vestrum auditum Macci nomen.

220r GELASINVS. Non ita / diu est quod perijt.

POLYMYTHVS. Is quum venisset in ciuitatem quae dicitur Leidis, ac vellet nouus hospes innotescere ioco quopiam, nam is erat homini mos, ingressus est officinam calcerarij, salutat. Ille cupiens extrudere merces suas, rogat nunquid vellet. Maceo conijciente oculos in ocreas ibi pensiles, rogat sutor num vellet coreas. Annuente Macco, quaerit aptas tibijs illius, inuentas alacriter protulit, et, vt solent, inducit illi. Vbi iam Maccus esset eleganter ocreatus: Quam belle, inquit, congrueret his ocreis par calceorum duplicatis soleis. Rogatus an et calceos vellet, annuit. Reperti sunt, et additi pedibus. Maccus laudabat ocreas, laudabat calceos. Calcearius tacite gaudnes, succinebat illi laudanti, sperans precium aequius, posteaquam emptori tantopere placeret merx. Et iam nonnula contracta familiaritas.Hic Maccus: Dic mihi, inquit, bona fide, nunquamne vsu venit tibi, vt quem sic ocreis et calceis ad cursum armasse, quemadmodum nunc armasti me, abierit non numerato precio? Nunquam, ait ille. Atqui si forte, inquit,

---

14 Canonicus
23 cum

veniat vsu, quid tu tum faceres? Consequerer, inquit calcearius, fugientem. Tum Maccus: Serione ista dicis, an ioco? Plane serio, inquit alter, loquor, et serio facerem.
(220v) Experiar, ait Maccus. En pro calceis praecurro, / tu cursu se quere. Simulque cum dicto coniecit in pedes. Calcearius e vestigio consequutus est quantum poterat clamitans: Tenete furem, tenete furem. Ad hanc vocem quum ciues vndique prosilissent ex aedibus, hoc commento cohibuit illos Maccus, ne quis manum inijceret, ridens ac vultu placido: Ne quis, inquit, remoretur cursum nostrum, certamen est de cupa ceruisiae. Itaque iam omnes praeberent se certaminis spectatores. Suspicabantur autem calcearium dolo clamorem eum fingere. Vt hac occasionem anteuerteret. Tandem calcearius cursu victus, sudans et anhelans domum redijt. Maccus tulit brabeum.

GELASINVS. Maccus iste effugit quidem calcearium, at non effugit furem.

POLYMYTHVS. Quam ob rem?

GELASINVA. Quia fruem ferebat secum.

POLYMYTHVS. Forte tum non erat ad manum pecunia, quam postea resoluit.

GELASINVS. Verum erat actio furti.

POLYMYTHVS. Ea quidem post intentata est, sed iam magistratibus aliquot innotuerat Maccus.

GELASINVS. Quid attulit Maccus?

POLYMYTHVS. Quid attulit, rogas, in causa tam inuincibili? Magis periclitatus est actor quam reus.

GELASINVS. Qui sic?

POLYMYTHVS. Quia grauabat illum actione calumniae, et intendebat legem Rhemiam quae dictat, vt qui crimen intenderit, quod probare non possit, poenam ferat, quam laturus / (221r) erat reus, si conuictus fuisset. Negabat se contrectasse rem alienam inuicto domino, sed vltro deferente, nec vllam precij mentionem intercessisse. Se prouocasse calcearium ad certamen cursus, illum accepisse conditionem, nec habere quod queratur, quum esset cursu superatus.

GELASINVS. Haec actio non multum abest ab vmbra asini. Quid tandem?

---

5 coiecit impedes
30 quo emendatum est in erratis

POLYMYTHVS. Vbi satis risum est, quidam e iudicibus vocauit Maccum ad coenam, et numerauit calceario precium. Simile quiddam accidit Dauentriae me puero. Erat tempus illud, quo regnant piscatores, frigent lanij. Quidam adstabat ad fenestram fructuariae siue Graece mauultis, oporapolidis, foèminae vehementer obesae, oculis intentis in ea quae proposita venum erant. Illa ex more inuitauit, si quid vellet; et quum videret hominem intentum ficis: Vis, ait, ficos? Sunt perquam elegantes. Quum ille annuisset, rogat quot libras vellet. Vis, inquit, quinque libras? Annuenti tantum ficorum effudit in gremium. Dum illa reponit lances, ille se subducit, non cursu, sed placide. Vbi prodisset acceptura pecuniam, vidit emptorem abire, insequitur maiore voce quam cursu. Ille dis simulans pergit quo coepit ire: tandem multis ad foeminae vo-
(221v) cem concurrentibus, re/stitit. Ibi in populi corona agitur causa. Risus odoritur. Emptor negabat se emisse, sed quod vltro delatum fuisset, accepisse. Si vellet experiri apud iudices, se compariturum.

GELASINVS. Age narrabo fabulam tuae non admodum dissimilem, fortasse nec inferiorem, nisi quod haec non habet autorem perinde celebrem atque est Macqus. Pythagoras mercatum diuidebat in tria hominum genera, quorum alij prodissent vt venderent, alij vt emerent. Hoc vtrumque genus aiebat solicitum esse, proinde nec felix; alios non ob aliud venire in forum, quam vt spectent quid illic proferatur, aut quid agatur. Hos solos esse felices, quod vacui curis, gratuita voluptate fruerentur. Atque ad hunc modum dicebat philosophum versari in hoc mundo, quemadmodum illi versarentur in mercatu. Verum in nostris emporijs quartum hominum genus obambulare solet qui nec emunt nec vendunt, nec ociosi contemplantur, sed obseruant solicite, si quid possint inuolare. Atque in hoc genere reperiuntur quidam mire dextri, dicas esse Mercurio fauente natos. Conuiuator dedit fabulam cum coronide, ego dabo cum prooemio. Nunc accipite quod nuper accidit Antuerpiae. Sacri-
222r ficus quidam receperat illic mediocrem summam pecuniae,/ sed argentae. Id impostor quidam animaduerterat; adijt sacrificium, qui gestabat in zona crumenam nummis turgidam, salutat ciuiliter, narrat sibi datum negotium a suis, vt vici sui parocho mercaretur nouum pallium sacrum, quae summa vestis est

---

21 Phytagoras
37 numis

sacerdoti rem diuinam peragenti. Rogat hac in re commodaret sibi tantillum operae, vt secum iret ad eos, qui vendunt huius modi pallia quo videlicet ex modo corporis ipsius sumeret maius aut minus, nam sibi videri staturam ipsius, cum parochi magnitudine vehementer congruere. Hoc officium quum leue videretur, facile pollicitus est sacrificus. Adeunt aedes cuiusdam, prolatum est pallium, sacrificus induit, venditor affirmat mire congruere; impostor quum nunc a fronte, nunc a tergo contemplatus esset sacrificum, satis probauit pallium, sed causatus est a fronte breuius quam par esset. Ibi venditor, ne non procederet contractus negat id esse palij vitium, sed crumenam turgidam efficere, vt ea parte offenderet breuitas. Quid multa? Sacrificus deponit crumenam, denuo contemplantur. Ibi impostor auerso sacrifico crumenam arripit, ac semet in pedes conijcit. Sacerdos cursu insequitur, vt erat palliatus, et sacrificum venditor. Sacrificus clamat: Tenete furem; ven-
(222v) ditor clamat: Tenete sacrificum; / impostor clamat: Cohibete sacrificum furentem. Et creditum est, quum viderent illum sic ornatum in publico currere. Itaque dum alter alteri in mora est, impostor effugit.

EVTRAPELVS Dignus qui non simplici suspendio pereat, tantus artifex.

GELASINVS. Nisi iam pendet.

EVTRAPELVS. Vtinam non solus, sed vna cum illo, qui talibus portentis fauent in perniciem reipublicae.

GELASINVS. Non fauent gratis. Catena est, quae demissa in terras pertingit ad Iouem.

EVTRAPELVS. Ad fabulas redeundum.

ASTEVS. Ad te redit ordo, si fas est regem in ordinem cogere.

EVTRAPELVS. Non cogar, imo volens veniam in ordinem, alio qui tyrannus essem, non rex, si leges quas alijs praescribo, recusem.

ASTEVS. Veruntamen aiunt principem esse supra leges.

EVTRAPELVS. Istuc non omnino falso dictum est, si principem accipias summum illum principem, quem tum vocabant Caesarem. Deinde si sic accipias superiorem legibus, quod alij coacti vtcunque seruant, illum suapte multo cumulatius praestare. Quod enim animus est corpori, hoc est bonus princeps

---

25 Reipubl.

reipublicae. Quid opus est addere bonus, quando malus princeps non est princeps, quemadmodum spiritus impurus, qui inuasit corpus hominis, non est animus. Sed ad fabulam, et arbi-
223r tror conuenire, vt rex / regiam fabulam adferam. Lodouicus Galliarum rex eius nominis vndecimus, quum rebus domi turbatis peregrinaretur apud Burgundiones, occasione venationis nactus est familiaritatem cum Conone quodam homine rustico, sed animi simplicis ac synceri. Nam hoc genus hominibus delectantur monarchae. Ad huius aedes frequenter diuerterat rex ex venatu, et vt plebeis rebus nonnunquam delectantur magni principes, apud eum magna cum voluptate vescebatur rapis. Mox vbi Lodouicus restitutus, iam rerum potiretur apud Gallos, submouit Cononem vxor, vt regem veteris hospicij commonefaceret, adiret, et rapas aliquot insignes illi dono adferret. Tergiuersatus est Conon, se lusurum operam, principes enim non meminisse talium officiorum. Sed vicit vxor, deligit Conon rapas aliquot insignes, accingitur itineri. Verum ipse per viam captus illecebra cibi paulatim deuorauit omnes, vna duntaxat excepta insigniter magna. Vbi Conon prorepsisset in aulam, qua rex erat iturus, statim agnitus est a rege, et accersitus. Ille magna cum alacritate detulit munus. Rex maiore cum alacritate accepit, mandans cuidam e proximis vt diligenter reponetur inter ea, quae haberet charissima. Cononem iubet secum prandere; a prandio egit Cononi gratias, et cupi-
(223v) enti re/petere rus suum, iussit pro rapa numerari mille coronatos aureos. Huius rei fama quum vt fit, per omne regis famulitium esset peruagata, quidam ex aulicis dono dedit regi equum non inelegantem. Rex intelligens illum prouocatum benignitate, quam praestiterat Cononi, captare praedam vultu maiorem in modum alacri accepit munus, et conuocatis primoribus consultare coepit, quo munere pensaret equum tam bellum tanque preciosum. Interim qui donarat equum spes opimas animo concipiebat, sic cogitans: si sic pensauit rapam donatam a rustico, quanto munificentius pensaturus est equum talem oblatum ab aulico? Quum regi veluti de re magna consultanti alius aliud responderet, diuque vana spe lactatus esset captator, tandem rex: Venit, inquit, in mentem quod illi donem, et accersito ex proceribus quopiam, dicit in aurem vt adferat id quod reperiret

---

1 Reip.
33 rappam

in cubiculo (simulque locum designat) serico diligenter obuolutum. Adfertur rapa, eam vt erat obuolata, rex sua manu donat aulico, addens sibi videri bene pensatum equum cimelio, quod sibi constitisset mille coronatis. Digressus aulicus dum tollit linteum, pro thesauro reperit, non carbones, quod aiunt, sed rapam iam subaridam. / Ita captator ille captus, risui fuit omnibus. 224r

ASTEVS. Iam si permittis, rex, vt plebeius loquar regalia, referam quod ex tua fabula venit in mentem de eodem Lodouico. Nam vt ansa ansam ita fabula trahit fabula. Quidam famulus, quum vidisset pediculum repentem in veste regia, flexis genibus ac sublata manu significat se nescio quid officij praestare velle. Lodouico praedebente se, sustulit pediculum et clam abiecit. Rogante rege quid esset, puduit fateri. Quum insteret rex, fassus est fuisse pediculum. Laetum, inquit, omen est, declarat enim me esse hominem, quod hoc genus vermiculor peculiariter infestet hominem, praesertim in adolescemtia. Iussitque pro officio numerari coronatos quadraginta. Post dies aliquammultos, alter quidam qui viderat illi feliciter cessisse tam humile officium, nec animaduertens, plurimum interesse, ex animo facias quid, an arte, simili gestu aggressus est regem, ac rursus illo se praebente, simulabat se tollere quiddam e veste regia, quod mox abijceret. Quum vrgeret rex tergiuersantem, vt diceret quod esset, mire simulato pudore, tandem respondit esse pulicem. Rex intellecto fuco, quid, inquit, an tu me facies canem? Iussit tolli hominem, ac pro captatis quadraginta coronatis infligi .xl. plagas.

(224v) PHILYTHLVS. Non / tutum est vt audio cum regibus facetijs ludere. Quemadmodum enim leones se nonnunquam placide praebent fricanti, ijdem vbi lubitum est, leones sunt, et iacet collusor, itidem fauent principes. Sed adferam tuae fabulae fabullam non dissimilem, ne recedamus interim a Lodouico, cui pro delectamento erat coruos hiantes fallere. Dono acceperat alicunde decem milia corona torum (quoties autem principibus obtigit noua pecunia, venantur omnes officiarij, et captant aliquam praedae partem; id non fugiebat Lodouicum). Quum igitur ea pecunia exprompta esset in mensa, quo magis irritaret spem omnium, sic loquutus est circunstantibus: Quid? an non videor rex vobis opulentus? Vbi collocabimus tantam pecuniae vim? Donatitia est, donari vicissim conuenit. Vbi nunc sunt

---

5 tolit

amici, quibus pro suis in me officijs debeo? Adsint nunc, priusquam effluat hic thesaurus. Ad hanc vocem accurrere permulti, nemo non sibi sperabat aliquid. Rex quum vidisset aliquem maxime inhiantem, et iam oculis deuorantem pecuniam, ad eum conuersus: Amice, inquit, quid tu narras? Ille commèmorabat se diu aluisse falcones regios, summa fide, nec sine grauibus impendijs, Alius aliud adferebat, suum quisque officium
225r verbis quantum poterat / exaggerabat, idque non sine mendacijs. Rex omnes benigne audiebat, et singulorum orationem comprobabat. Haec consultatio dilata est in longum tempus, quo diutius spe metuque torqueret omnes. Adstabat inter hos primus cancellarius. Nam et hunc iusserat acciri. Is caeteris prudentior, non praedicabat officia sua, sed agebat spectatorem fabulae. Ad hunc tandem conuersus rex: Quid, inquit, narrat meus cancellarius? Solus ille nihil petit, nec praedicat officia sua. Ego, inquit cancellarius, plus accepi a benignitate regia, quam promeruerim, nec vlla de re magis solicitus sum, quam vt regiae in me munificentiae respondeam; tantum abest, vt velim flagitare plura. Tum rex: Vnus igitur, inquit, omnium non eges pecunia? Ne egerem, inquit alter, iam tua praestitit benignitas. Ibi rex versus ad alios: Nae ego sum, inquit, regum omnium magnificentissimus, qui tam opulentum habeam cancellarium. Hic magis accensa spes est omnibus, futurum vt pecunia caeteris distribueretur, quandoquidem ille nihil ambiebat. Ad hunc modum vbi satis diu lusisset rex, coegit cancellarium, vt totam eam summam domum auferret. Moxque versus ad caeteros iam moestos: Vobis, inquit, erit alias expectanda occasio.

(225v) PHILOGELOS. Fortasse frigidius videbitur, quod / narraturus sum, proinde deprecor doli mali suspitionem fuci vt ne videar de industria ambisse immunitatem, petens vt munus quod forte vacabat in eo pago, in quo habitabat, iuberet in ipsum transferri. Rex audita petitione, expedite respondit: Nihil efficies, videlicet amputans omnem spem impetrandi, quod petebatur. Petitor item mox actis regi gratijs discessit. Rex ex ipsa fronte colligens hominem esse non omnino sinistri ingenij, suspicansque illum non intellexisse quid respondisset, iubet eum reuocari. Redit. Tum rex: Intellexeras, inquit, quid tibi responderim? Intellexi. Quid igitur dixi? Me nihil effecturum. Quur igitur agebas gratias? Quoniam, inquit, est domi quod agam, proinde magno meo incommodo persequuturus eram hic spem ancipitem, nunc beneficium interpretor, cito negasse bene

ficium, meque lucratum, quicquid eram perditurus, si vana spe lactatus fuissem. Ex eo responso rex coniectatus hominem minime segnem, vbi pauca percontatus esset: Habetis, inquit, quod petis, quo nihil bis agas gratias; simulque versus ad officiarios: Expediantur, inquit, huic sine mora diplomata, ne hic diu suo damno haereat.

226r EVTRAPELVS. Non deest quod / referam de Lodouico, sed malo de nostro Maximiliano, qui vt nequaquam solitus est defodere pecuniam, ita clementissimus erat in eos, qui decoxerant, modo nobilitatis titulo commendarentur. Ex hoc hominum genere quum cuidam inueni vellet opitulari, mandauit illi legationem vt a ciuitate quadam, titulo nescio quo, peteret centum milia florenorum. Talis autem erat titulus, vt si quid impetratum esset dexteritate legati, pro lucro duci posset. Legatus extorsit milia quinquaginta, Caesari reddidit .xxx. Caesar laetus insperata praeda, dimisit hominem, praeterea nihil inquirens. Interea quaestores et rationales olfecerant plus acceptum fuisse, quam exhibitum, interpellant Caesarem, vt accerseret hominem. Accitus est; venit ilico. Tum Maximilianus: Audio, inquit, te accepisse milia quinquaginta. Fassus est. Non exhibuisti nisi triginta milia. Fassus est et hoc. Reddenda est, inquit, ratio. Promisit se facturum, ac discessit. Rursum quum nihil esset actum, interpellantibus officiarijs, reuocatus est. Tum Caesar: Nuper, inquit, iussus es reddere rationem. Memini, inquit ille, et in hoc sum. Caesar suspicans illi rationem nondum satis esse subductam, passus est illum sic abire. Quum sic eluderet, officiarij vehementer instabant, clamitantes (226v) non / esse ferendum, vt ille tam palam illuderet Caesari. Persuaserunt, vt accersitus iuberetur inibi praesentibus ipsis exhibere rationem. Annuit Caesar. Accitus venit ilico, nihil tergiuersatus. Tum Caesar: Nonne, inquit, pollicitus es rationem? Pollicitus, respondit ille. Iam, inquit, opus est, en adsunt qui excipient, nec est diutius tergiuersandi locus. Assidebant officiarij paratis ad id codicillis. Ibi iuuenis sat dextre: Non detrecto, inquit, rationem, inuictissime Caesar. Verum huiusmodi rationum non sum admodum peritus, vt qui nunquam sunt peritissimi, si vel semel video quemadmodum illi tractent huiusmodi rationes, ego facile imitabor. Rogo iubeas illos vel exemplum aedere, videbunt me docilem. Caesar sensit dictum hominis, quod non intelligebant hi in quos dicebatur, ac subridens: Verum, inquit, narras, et aequum postulas. Ita iuuenem demisit. Subindicabat enim sic illos Caesari solere

reddere rationem, quemadmodum ipse reddiderat, nimirum vt bona pecuniae portio penes ipsos maneret.

LEROCHARES. Nunc tempus est, vt ab equis, quod aiunt, ad asinos descendat fabula, a regibus ad Antonium sacrificum Louaniensem, qui Philippo cognomen/to Bono fuit in delicijs, huius 227r viri feruntur multa vel iucunde dicta, vel iocose facta, sed pleraque sordidiora. Nam plerosque lusus suos condire solitus est vnguento quodam, quod non admodum eleganter sonat, sed peius olet, diligam vnum ex mundioribus. Inuitarat vnum atque alterum bellum homunculum forte obuium in via. Quum redisset domum, reperit culinam frigidam. Nec erat nummus in loculis, quod illi nequaquam erat insolens. Hic opus erat celeri consilio. Subduxit se tacitus, et ingressus culinam foeneratoris, quicum erat illi familiaritas, quod frequenter ageret cum illo, digressa ancilla, subduxit vnam ex ollis aeneis, vna cum carnibus iam coctis, ac veste tectam defert domum; dat coquae, iubet protinus effundi carnes et ius in aliam ollam fictilem, simulque foeneratoris ollam defricari donec niteret. Eo facto mittit puerum ad foeneratorem, qui deposito pignore drachmas duas a foeneratore sumat mutuo, sed accipiat chirographum, quod testaretur talem ollam missam ad ipsum. Foenerator non agnoscens ollam, vtpote defrictam ac nitentem, recipit pignus, dat chirographum, et numerat pecuniam, ea pecunia puer emit vinum. Ita prospectum est conuiuio. Tandem quum apararetur prandium (227v) foeneratori, desiderata est olla. Hic / iurgium aduersus coquam. Ea quum grauaretur constanter affirmauit, neminem eo die fuisse in culina praeter Antonium. Improbum videbatur hoc, suspicari de sacrifico. Tandem itum est ad illum, exploratum an esset apud illum olla, ne musca quidem olla reperta. Quid multis? Serio flagitata est ab illo olla, quod solus ingressus esset in culinam, quo tempore desiderata est. Ille fassus est sumpsisse commodato ollam quandam, sed quam remisisset illi, vnde sumpserat. Id quum illi pernegarent, et incaluisset contentio, Antonius adhibitis aliquot testibus: Videte, inquit, quam periculosum est, cum horum hominibus agere sine chirographo, intenderetur mihi propemodum actio furti, ni manum haberem foeneratoris. Et protulit syngrapham. Intellectus est dolus, fabula magno cum risu per totam regionem dissipata est, ollam oppignoratam ipsi cuius erat. Huiusmodi dolis libentius fauent homines, si commissi sint in personas odiosas, praesertim eos, qui solent alijs imponere.

---

11 numus

ADOLESCHES. Nae tu nobis mare fabularum aperuisti, nominato Antonio, sed vnam duntaxat, eamque breuem referam, quam audiui nuperrime. Agitabant simul conuiuium aliquot belli, vt
228r dicunt, homunculi, quibus nihil prius in / vita quam ridere. Inter hos erat Antonius, atque alter item, et ipse celebris hoc genere ludis, ac velut aemulus Antonij. Porro quemadmodum inter philosophos si quando conueniunt proponi solent questiunculae de rebus naturae, ita hic statim nata est quaestio quae nam esset hominis pars honestissima. Alius deuinabat oculos, alius cor, alius cerebrum, alius item aliud; et suae quisque diuinationis rationem adferebat. Antonius iussus dicere sententiam, dixit os sibi videri partem omnium honestissimam, et addidit causam nescio quam. Tum alter ille, ne quid ipsi conueniret cum Antonio, respondit eam partem qua sedemus sibi honestissimam. Quum id videretur omnibus absurdum, attulit hanc causam, quod is diceretur vulgo honoratissimus, qui primus consideret; hoc honoris competere parti quam dixisset. Applausum est huic sententiae et risum est affatim. Placuit homo sibi de hoc dicto, visusque est in eo certamine victus Antonius. Dissimulauit Antonius, qui non ob aliud detulerat ori primam honestatis laudem, nisi quod sciret illum velut aemulum suae gloriae, diuersam partem nominaturum. Post dies aliquot, quum rursus vterque vocatus esset ad idem conuiuium, ingressus Antonius offendit aemulum cum alijs aliquot confabulantem dum adornatur coena. Et auersus, emisit clarum ven-
(228v) tris / crepitum ante faciem alterius. Ille indignatus: Abi, inquit, scurra, vbi nam didicistis mores istos? Tum Antonius: Etiam indignaris, inquit, si te salutassem ore, resalutasses, nunc te saluto parte corporis, vel te iudice omnium honestissima, et scurra vocor. Sic recuperauit prius amissam gloriam Antonius. Diximus omnes, nunc superest, vt pronuntiet iudex.

GELASINVS. Id faciam, sed non priusquam suum quisque cyathum ebiberit. En auspicor. Sed lupus in fabula.

POLYMYTHVS. Haud laenum omen adfert Leuinus Panagathus.

LEVINVS. Quid actum est inter tam lepidos congerrones?

POLYMYTHVS. Quid aliud? Certatum est fabulis, donec lupus interuenires.

LEVINVS. Huc igitur adsum vt perficiam fabulam, volo vos omnes cras apud me prandere prandium theologicum.

---

8 questio

GELASINVS. Scythicum promittis conuiuium.

LEVINVS. Αὐτὸ δείξει . Nisi fatebimini hoc fuisse vobis quouis fabuloso conuiuio iucundius, non recuso dare poenas in coena. Nihil iucundius, quam quum serio tractantur nugae.

LB
766-774
ASD
453-469

PVERPERA
EVTRAPELVS, FABVLLA

EVTRAPELVS. Salua sit optima Fabulla.

FABVLLA. Salue multum Eutrapele. Sed quid tandem nouae rei accidit, quo nunc salutator insolens aduèneris, quem hoc triennio toto nemo nostrum vidit? /

229r EVTRAPELVS. Dicam: forte praeteriens has aedes, vidi cornicem obuinctam candido linteo. Demirabar quid esset causae.

FABVLLA. Adeone hospes es in hac regione, vt ignores hoc esse symbolum puerperij in aedibus?

EVTRAPELVS. Eho an non prodigium est, videre cornicem albam? Sed extra iocum, sciebam maxime, verum suspicari non potui te puellam vix dum egressam decimum sextum annum, tam mature didicisse difficillimam artem gignendi liberos, quam aegre discunt quaedam ante annos triginta.

FABVLLA. Vt tu semper es quod diceris, Eutrapele.

EVTRAPELVS. Vt nunquam deest Fabullae fabula. Demiranti igitur commodum occurrit Polygamus.

FABVLLA. Is qui nuper extulit vxorem decimam?

EVTRAPELVS. Is ipse, sed quod te fugit, opinor, rursum tam ambitiose procum agit, quasi hactenus vixerit coelebs. Hic percontanti quid accidisset nouae rei, Muliebre corpus, inquit, in his aedibus per medium sectum est in duo. Ob quod, inquam, facinus? Si verum est, inquit, quod rumore populari iactatur, hic mater familias sustinuit deglubere maritum suum, simulque cum risu subduxit sese.

FABVLLA. Homo crasse facetus!

EVTRAPELVS. Ego me protinus intro conijcio, tibi felicem partum gratulaturus.

FABVLLA. Salutem mihi gratulare si voles, Eutrapele, felicem partum gratulaberis, quum quod enixa / sum videris de se praebere specimen boni viri. (229v)

---

18 difficilimam
22 Poligamus
25 celebs
28 rumorae emendatum est in erratis

EVTRAPELVS. Pie tu quidem et vere, mea Fabulla.

FABVLLA. Nullius Fabulla sum, nisi Petronij.

EVTRAPELVS. Vni quidem Petronio paris, ac non vni viuis, opinor. Caeterum hoc quoque gratulor, quod puerum enixa es.

FABVLLA. Sed quas ob causas felicium iudicas peperisse masculum, quam foeminam?

EVTRAPELVS. Quin tu potius Fabulla Petronij (iam vereor mea dicere) illud mihi expeditis, quas ob causas vos magis gaudetis peperisse masculos quam foeminas?

FABVLLA. Quid alij sentiant nescio, ego nunc me gaudeo peperisse masculum, quia sic visum est Deo. Si maluisset ille puellam, maluissem et ipsa.

EVTRAPELVS. An putas Deo tantum esse ocij, vt etiam parturientibus obstetricetur?

FABVLLA. Quid agat ille potius, Eutrapele, quam vt propagatione seruet, quod condidit?

EVTRAPELVS. Quid agat, o bona? Imo ni Deus esset, non arbitror suffecturum tot negotijs. Exulat Christiernus Danorum rex pius, Euangelij fautor. Franciscus Galliarum rex hospes est Hispaniarum nescio quam ex ipsius animi sententia, vir certe dignus meliore fortuna. Carolus molitur nouam totius orbis monarchiam. Ferdinandus rerum suarum satagit in Germania; Bulimia pecuniarum vrget aulas omnes, periculosos motus
230r concitant agricolae, nec stragibus ab / instituto deterrentur, populus meditatur anarchiam, periculosis factionibus collabitur Ecclesiae domus; hinc atque distrahitur illa Iesu tunica inconsutilis. Vinea Domini ab vno iam apro vastatur, simulque periclitatur sacerdotum cumdecimis autoritas, theologorum dignitas, monachorum maiestas; nutat confessio, vacillant vota, labascunt leges pontificiae, vocatur in discrimen eucharistia, expectatur Antichristus, totus orbis parturit, nescio quid magni mali. Interim superant et imminent Turcae, nihil non populaturi, si successerit quod agunt, et tu rogas, quid agat potius? Imo tempus arbitror, vt suo quoque regno prospiciat in tempore.

FABVLLA. Quod hominibus videtur, id Deo fortasse videtur nullius momenti. Sed ab hac fabula Dei personam si vis, secludamus. ‡ Nescio vnde natum sit hoc iocandi cacoethes vt malint nonnulli, non amicum inquam, quam dictum, sed Deum

---

26 ecclesiae
27 domini
38ss IF add.
39 deum

ipsum perdere. Isti e sacris dicteria sua concinnant; loca sacra trahunt ad lasciuos sensus, haereticos agunt maxime, cum cachinatur bellissime. Quare Dei personam vt dixi ab istis nugis secludamus. ‡ Dic quae te causae moueant, vt felici-
(230v) cius existimes peperisse / catulum quam catellam?

EVTRAPELVS. Piae mentis est, hoc iudicare optimum, quod dedit Deus citra controuersiam optimus. Verum si Deus tibi daret poculum crystallinum, nonne maximas ageres gratias?

FABVLLA. Agerem.

EVTRAPELVS. Quid si idem daret vitreum, num pares ageres? Sed vereor ne tibi molestiam adferam pro solatio, haec apud te philosophans.

FABVLLA. Imo Fabullae nihil est iam a fabulis periculi. Iam quartam hebdomadam decumbo, satisque valeo vel ad luctam.

EVTRAPELVS. Quin igitur e nido prouolas?

FABVLLA. Vetuit rex.

EVTRAPELVS. Qui rex?

FABVLLA. Imo tyrannus.

EVTRAPELVS. Qui quaeso?

FABVLLA. Syllaba dicam: mos.

EVTRAPELVS. Heu quam ipse rex multa praeter aequum exigit. Pergamus igitur philosophari de crystallo et vitro.

FABVLLA. Marem, vti conijcio natura praestatiorem ac firmiorem iudicas quam foeminam.

EVTRAPELVS. Sic arbitror.

FABVLLA. Nimirum viris autoribus. Num igitur viri viuaciores sunt quam foeminae? Num a morbis immunes?

EVTRAPELVS. Nequaquam. Sed in genere viribus antecellunt.

FABVLLA. Sed ipsi rursus superant a camelis.

EVTRAPELVS. Imo prior creatus est masculus.

FABVLLA. Prior conditus est Adam quam Christus. Et solent artifices in posterioribus seipsos vincere.

EVTRAPELVS. At Deus mulierem viro subiecit.

FABVLLA. Non statim melior est qui imperat, et nuptam
231r subijcit non foeminam; / ac rursus nuptam ita subijcit, vt cum vtrique sit potestas alterius, mulierem tamen velit viro morem gerere, non vt praestantiori, sed vt ferociori. Dic, Eutrapele: vter infirmior, qui cedit alteri, an cui ceditur?

EVTRAPELVS. Tibi quidem hic cedam si mihi declararis quid

---

3 dei
29 Camelis

senserit Paulus scribens Corinthijs, quum viri caput dicit esse Christum, mulieris caput virum; rursus quum virum dicit imaginem et gloriam Dei, mulierem gloriam viri.

FABVLLA. Istud expediam, si mihi declararis an solis viris datum esse membra Christi.

EVTRAPELVS. Absit, id quidem datum est omnibus hominibus per fidem.

FABVLLA. Quid sit igitur, tv caput vnum quum sit, non habeatr omnibus membris commune? Deinde quum Deus hominem fingeret ad imaginem sui, vtrum hanc imaginem expresserit in corporis figura, an in animi dotibus?

EVTRAPELVS. In animi dotibus.

FABVLLA. At in his quid tandem habent viri nobis praecellentibus? In vtro sexu plures sunt temulentiae, rixae, caedes, bella, rapinae, et adulteria?

EVTRAPELVS. At soli viri bellum gerimus pro patria.

FABVLLA. Sed idem saepius deferto loco turpiter fugitis nec semper pro patria, sed frequentius pro sordido salariolo deseritis vxorem et liberos et peiores gladiatoribus vltro
(231v) corpora vestra / traditis in seruilem necessitatem, vel moriendi, vel occidendi. Iam vt maxime iactes mihi virtutem bellicam, nemo vestrum si semel esset expertus quid sit pare re, non mallet decies in acie stare, quam subire semel quod nobis toties est experiendum. In bello non semper venitur ad manus; et si venitur, non in quauis exercitus parte discrimen. Tui simil es disponuntur in acie media. Alius est in subsidijs, alius tuto sedet post principia. Denique plurimos seruat deditio fuga. Nobis cominus cum morte conflictandum est.

EVTRAPELVS. Ista non nunc primum audio, verum suntne vera quae dicuntur?

FABVLLA. Nimium vera.

EVTRAPELVS. Visne igitur, Fabulla, vt marito suo persuadeam ne posthac te contingat? Nam eo pacto tuta fueris ab isto discrimine.

FABVLLA. Equidem nihil malim si possis.

EVTRAPELVS. Quid praemij feret orator hic si persuaserit?

FABVLLA. Dabo decem linguas bubulas fumo duratas.

EVTRAPELVS. Istas malim quam decem linguas lusciniarum. Non reijcio conditionem, verum contractum hunc ratum esse nolim priusquam intercesserit stipulatio.

FABVLLA. Addatur si libet, et si qua est alia cautio.

EVTRAPELVS. Si fiet ex animi tui sententia, post mensem

exactum.

FABVLLA. Quin potius nunc fit ex animi mei sententia?

232r EVTRAPELVS. Dicam quia vereor / ne post mensem non sit eadem animi tui sententia. Itaque et tibi soluendum esset duplex praemium, et mihi duplex esset sumenda opera persuadendi ac dissuadendi.

FABVLLA. Age, fiat vt voles, sed interim perge demonstrare, quare viri sexus sit praestantior foemineo.

EVTRAPELVS. Video te meditatam hanc monomachiam, quam ob rem in praesentia quidem consultius arbitror tibi concedere. Congredar alias, sed armatis, nec absque subsidiario milite. Nam vbi lingua res geritur, ne septem quidem viri pares sunt vni foeminae.

FABVLLA. Nimirum hoc telo armauit nos natura, quamquam ne vos quidem elingues estis.

EVTRAPELVS. Fortassis, sed vbi puellus?

FABVLLA. In conclaui proximo.

EVTRAPELVS. Quid illic, coquit olus?

FABVLLA. Nugator, apud nutricem est.

EVTRAPELVS. Quam mihi nutricem narras? an est alia nutrix quam ea quae mater est?

FABVLLA. Quid ni? vulgo fit.

EVTRAPELVS. Pessimum mihi nominas autorem rei bene gerendae vulgum, Fabulla. Vulgo peccant, vulgo luditur alea, vulgo commeatur ad fornices, vulgo fraudatur, potatur, insanitur.

FABVLLA. Sic amicis visum est, censuerunt enim parcendum huic aetati tam tenerae.

EVTRAPELVS. Atqui si natura dedit vires ad concipiendum haud dubie dedit et ad lactandum.

FABVLLA. Probabile quidem est.

(232v) EVTRAPELVS. Dic mihi, nonne / sentis esse dulcissimum matris vocabulum?

FABVLLA. Sentio.

EVTRAPELVS. Itaque si fieri posset, patereris aliam mulierem esse matrem tui partus?

FABVLLA. Minime gentium.

EVTRAPELVS. Quur igitur volens plusquam dimidiatum matris nomen transfers in foeminam alienam?

FABVLLA. Bona verba, Eutrapele, non diuido filium, sola totaque sum mater.

EVTRAPELVS. Imo hic tibi, Fabulla, reclamat in os ipsa natura. Quur terra dicitur omnium parens? An quod gignat tantum

imo multo magis quod nutriat ea quae genuit. Quod aqua gignit, in aquis educatur. In terra nullum animantis aut plantae genus nascitur, quod eadem terram succo suo non alat. Nec est vllum animantis genus, quod non alat suos foetus. Vlulae, leones, et viperae educant partus suos et homines suos foetus abijciunt? Obsecro te, quid crudelius ijs, qui prolem educationis taedio dicuntur exponere?

FABVLLA. Abominanda dicis.

EVTRAPELVS. Atqui non perinde factum abominantur homines. An non expositionis genus est, infantulum tenerum, adhuc a matre rubentem, matrem spirantem, matris opem ea voce implorantem, quae mouere dicitur et feras, tradere integris, quam totus infans tuus?

233r FABVLLA. Delecta est / mulier salubri corporis temperatura.

EVTRAPELVS. Hoc medici certius iudicent quam tu. Sed finge hic illam tibi vel parem, vel aliquanto, si vis, superiorem. An nihil interesse censes, vtrum tenellus cognatum illum et familiarem hauriat succum, et calore iam assueto foueatur, an alienis cogatur assuescere? Triticum in aliud solum iactum, degenerat in auenam aut siliginem. Vitis in alium collem translata, mutat ingenium. Plantula reuulsa a parente terra flacescit ac velut emoritur, eoque quantum fieri potest cum terra natiua transferunt.

FABVLLA. Imo narrant plantas translatas et insita exuere syluestre ingenium et fructus aedere generosiores.

EVTRAPELVS. At non protinus vt natae sunt, o bona. Veniet et olim hoc tempus si Deus voluerit, vt adolescentem tuum ableges ab aedibus, literis iam ac seuerioribus disciplinis imbuendum, quae functio patris est potius quam matris. Nunc aetas tenera fouenda est. Porro quum ad salubritatem firmitatemque corporis plurimum refert qualis sit alimonia, tum vero praecipue quo succo tenerum illud ac molle corpusculum imbuatur. Nam hic quoque locum habet illud Flacci dictum: "Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu".

FABVLLA. De corpore non ita multum laboro, modo sit ani-
(233v) mus qualem op/tamus.

EVTRAPELVS. Pie tu quidem, sed partim philosophice.

---

28 deus
31 cum
35 reccens/Testa

FABVLLA. Quam ob rem?

EVTRAPELVS. Quur igitur quoties concidis holus, quereris aciem cultri retusam esse, et iubes exacui? Quur acum reijcis obtusa cuspide,quum ea res non adimat artem?

FABVLLA. Non deest ars, sed obstat instrumentum parum idoneum.

EVTRAPELVS. Quur quibus est opus oculorum acie, vitant lolium et cepas?

FABVLLA. Quia vitiant oculos.

EVTRAPELVS. Nonne animus est qui cernit?

FABVLLA. Est, nam nihil vident exanimes. Sed quid agat faber, vitiata securi?

EVTRAPELVS. Agnoscis igitur corus esse mentis organum?

FABVLLA. Apparet.

EVTRAPELVS. Et fateris vitiato corpore, non agere animum, aut incommodius agere?

FABVLLA. Non dissimile veri dicis.

EVTRAPELVS. Age, videor mihi nactus ingenium philosophicum. Finge igitur animum hominis demigrare in corpus galli gallinacei, num aederet vocem quam nunc aedimus?

FABVLLA. Nequaquam.

EVTRAPELVS. Quid obstaret?

FABVLLA. Quia desunt labra, dentes et lingua similis; nec epiglottis, nec tres adsunt cartilagines a tribus motae musculis, ad quos pertinent nerui a cerebro demissi, nec fauces nec os simile.

EVTRAPELVS. Quid si in corpus suis?

FABVLLA. Grunniret suillo more.

EVTRAPELVS. Quid si in corpus cameli?

234r FABVLLA. Cane/ret vt canit camelus.

EVTRAPELVS. Quid si in corpus asini, quod euenit Apuleio?

FABVLLA. Ruderet, opinor, vt asinus.

EVTRAPELVS. Nimirum fatetur hoc ille, quum cuperet inclamare Caesarem, contractis quantum potuit labris, vix 'o' sonuit, Caesarem nullo pacto potuit exprimere. Idem quum fabulam auditam, ne excideret, describere cuperet, damnauit cogitationem tam asininam, quum vngulas intueretur solidas.

FABVLLA. Et merito.

EVTRAPELVS. Ergo lippientibus oculis minus videt animus;

---

19 daemigrare emendatum est in erratis

oppletis sordibus auribus, minus audit; vbi cerebrum occupat pituita, minus olfacit; vbi stupet membrum, minus sentit; vbi malis humoribus vitiata est lingua, minus gustat.

FABVLLA. Negari non potest.

EVTRAPELVS. Non ob aliud nisi quia vitiatum est organum.

FABVLLA. Arbitror.

EVTRAPELVS. Nec inficiaris, plerunque vitiari cibo potuque.

FABVLLA. Fateor, sed quid isthuc ad bonam mentem?

EVTRAPELVS. Proinde quid lolium ad perspicaces oculos?

FABVLLA. Quia vitiat organum animi.

EUTRAPELVS. Probe respondes. Verum illud expedit, vnde sit quo alius alio celerius intelligit, ac tenatius meminit? Alius alio, citius irascitur, aut moderatius adit?

FABVLLA. Sic conditus est animus.

(234v) EVTRAPELVS. Non sic elaberis. / Vnde sit, vt qui prius fuit ingenio celeri, felici memoria, postea fiat obliuiosus ac tardus, siue plaga, siue casu, siue morbo, siue senio?

FABVLLA. Tu nunc mihi videre sophistam agere.

EVTRAPELVS. Proin tu contra fac agas sophistriam.

FABVLLA. Opinor hoc te velle dicere, quod animus quemadmodum cernit et audit per oculos et aures, ita per organa quaedam intelligit, meminit, amat, odit, irascitur, et placatur?

EVTRAPELVS. Recte coniectas.

FABVLLA.Quae tandem sunt ista organa? et vbi sunt?

EVTRAPELVS. Oculos vbi sunt vides.

FABVLLA. Et aures, et nares, et palatum vbi sit scio. Et toto corpore contactum esse video, nisi quum stupor occupat membrum.

EVTRAPELVS. Amputato pede, tamen intelligit animus.

FABVLLA. Intelligit itidem et manu.

EVTRAPELVS. At qui vehementem plagam accipit in tempus capitis, aut in occipitium, concidit mortuo similis omnique sensu suo vacat.

FABVLLA. Istud aliquoties vidi.

EVTRAPELVS. Ex loco colligis intra cranium esse intellectus, voluntatis ac memoriae organa, minus quidem crassa, quam sunt aures et oculi, sed tamen materialia. Quandoquidem et spiritus quos habemus in corpore subtilissimos corporales sunt.

FABVLLA. An ista quoque vitiantur cibo potuque?

EVTRAPELVS. Maxime.

235r FABVLLA. Cerebrum procul abest / a stomacho.

EVTRAPELVS. Ita summa fumarij pars abest a foco, tamen illi si insideas, senties vaporem.

FABVLLA. Non experiar.

EVTRAPELVS. At si mihi non credas, sciscitate e ciconijs. Itaque refert qui spiritus, qui vapores a stomacho subuolent in cerebrum et in organa mentis. Nam hi si crudi sint ac frigidi, recidunt in stomachum.

FABVLLA. Nae tu mihi metam distillatoriam describis, qua ex floribus herbisque succum exhalantem excipimus.

EVTRAPELVS. Haud ita male coniectas. Nam hepar cui fel adhaeret, ignis loco est, stomachus patella, cranium summae metae colophon; atque adeo si vis, nasus fistulae plumbeae vice fungatur, itaque ex hoc mutuo fluxu ac refluxu humorum, nascitur fere quicquid est morborum, vt varie delabitur varius humor nunc in oculos, nunc in stomachum, alias in scapulas, interim in ceruicem alioue. Quoque magis intelligas. Quur qui vino immodico sese ingurgitant, sunt male memores? Qui cibis aluntur subtiliorum spirituum, minus torpent ingenio? Quur coriandrum memoriam emendat? Elleborus mentem purgat? Quur expletio vehemens epilepsim adducit, quae stuporem adfert simul omnibus sensibus, quemadmodum et somnus profun-
(235v) dus? De/nique vt immodica sitis aut inedia, ingenij memoriaeque vim elidit in pueris, ita cibus immodicus in pueris gignit ingenij stuporem, si credimus Aristoteli, nimirum igniculo mentis velut obruto ingesta materia.

FABVLLA. Estne igitur corporeus animus, vt a rebus corporalibus afficiatur?

EVTRAPELVS. Animi rationalis natura non corrumpitur quidem ipsa, sed organis vitiatis, impenditur illius vis et actio, velut artifex frustra valet arte si destituatur idoenis instrumentis.

FABVLLA. Quanta quaue specie est animus?

EVTRAPELVS. Ridicule percontaris de magnitudine aut figura, quum fatearis incorporalem.

FABVLLA. Ego corpus intelligo quod sentitur.

EVTRAPELVS. Imo quae non sentiuntur perfectissima sunt velut Deus et angeli.

FABVLLA. Audio Deum et angelos spiritus appellari at spiritum sentimus.

---

38 deus
39 deum

EVTRAPELVS. Hac voce literae sacrae ob rudes homines balbutiunt, mentem significantes ab omni commercio rerum sensibilium.

FABVLLA. Quid igitur interest inter angelum et animum?

EVTRAPELVS. Hoc ipsum quod inter limacem et cochleàm, aut si mauis testudinem.

FABVLLA. Corpus igitur domicilium est animi, magis quam instrumentum.

EVTRAPELVS. Nihil vetat instrumentum adiunctum dici domicilium. Atque hac quidem de re veriant philosophorum sententiae. Sunt qui dicant corpus esse vestem animae, sunt / qui 236r domicilium, sunt qui instrumentum, sunt qui harmoniam. Horum quodcunque dixeris, consequitur actiones animi corporis affectionibus impediri. Primum, si quod vestis est corpori, idem corpus est animo, quantum ad corporis valetudinem faciat vestis,declarauit Hercules; ne quid de coloribus aut pilorum pelliumque generibus referam. Caeterum an eadem anima sufficiat pluribus corporibus deterendis, quemadmodum corpus multas deterit vestes, viderit Pythagoras.

FABVLLA. Non incommodum foret si iuxta Pythagoram liceret, vt vestibus ita corporibus mutatorijs vti. Sic vt mensibus hybernis sumeretur corpus obesum, crassaeque texturae, aestiuis rarius et gracilius.

[EVTRAPELVS]. Atqui parum opinor vestibus detritis, tandem et corpus deterimus, ita multis corporibus detritis, tandem et senesceret deficeretque.

FABVLLA. Non sane.

EVTRAPELVS. Iam quemadmodum ad corporis salubritatem agilitatemque refert, qua veste sit amictum, ita refert quod corpus circunferat anima.

FABVLLA. Profecto si corpus vestis est animae, video multos homines admodum varie cultos.

EVTRAPELVS. Sic est. Et tamen nonnulla pars huius rei is(236v)ta in nobis quam / commode vestiatur anima.

FABVLLA. Valeat igitur vestis, dic aliquid de domicilio.

EVTRAPELVS. Atqui ne quod dico tibi videatur commentum, Fabulla; ipse dominus Iesus suum corpus templum appellat. Et Petrus Apostolus suum corpus tabernaculum appellat. Nec defuerunt qui corpus dixerunt animae sepulchrum, σῶμα dictum arbi

---

23-24 et gracilius. Atqui fortasse lapsu typographi

trantes, quasi σῆμα ; alij carcerem mentis appellarunt, nonnulli praesidium, velut arcem munitam. Quorum animus est vndiquaque purus, in templo habitat. Qui non tenentur amore rerum corporalium, horum animus agit in tabernaculo, libenter exiliturus, si vocet imperator. Qui prorsus excaecati sunt vitijs spurcissimis, vt nunquam aspirent ad auram libertatis Euangelicae, horum animus iacet in sepulchro. Caeterum qui moleste luctantur cum vitijs nec adhuc possunt quod volunt, horum animus habitat in carcere, subinde clamans ad libertorem omnium: Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo, Domine. Qui grauiter pugnant cum satana, vigilantes et excubantes aduersus insidias illius, qui circuit vt leo, quaerens quem deuoret, horum animus versatur in praesidio, vnde iniussu imperatoris non licet discedere.

FABVLLA. Si corpus est animi domicilium plurimos video,
237r quorum animus male / habitet.

EVTRAPELVS. Sic est, videlicet in aedibus perstillantibus, opacis, ventis omnibus obnoxijs, fumosis, pituitosis, laceris ac ruinosis, denique putribus et infectis. Et tamen Cato primam felicitatis partem iudicat bene habitare.

FABVLLA. Tolerabilis res, si liceret in aliud immigrare domicilium.

EVTRAPELVS. Emigrare non licet, nisi quum euocat locator. Verumtamen si non libet emigrare, licet arte curaque nostra domicilium animi commodius reddere, quemadmodum in aedibus mutantur fenestrae, atollitur solum, incrustantur aut conuestiuntur tabulatu parietes, situs igni suffituque purgatur. Id in senili corpore iamque ruinam minitante difficillimum est. Plurimum autem conducit, si puerile corpus ab ipso protinus ortu sicut oportet curetur.

FABVLLA. Tu quidem matrem ac nutricem medicam esse iubes.

EVTRAPELVS. Plane iubeo, quod attinet ad delectum ac moderationem cibi potusque, motus, somni, balneorum, vnctionum, frictionum, vestitus. Quam multos esse censes, qui grauissimis morbis ac vitijs obnoxij sunt, epilepsiae, gracilitati, imbecillitati, infirmo cerebro, stupori mentis, non ob aliud, nisi quod a nutricibus indiligenter curati sunt?

(237v) FABVLLA. Demiror te, non pro pictore factum fuisse / Fran

---

6 spuricissimis
10-11 domine
28 difficilimum

ciscanum, qui tam belle concioneris.

EVTRAPELVS. Vbi te Claranam videro, tum ego tibi Francis canus concionabor.

FABVLLA. Ego sane libens scire cupiam, quid sit anima, de qua multa audimus dicimusque, quum nemo viderit.

EVTRAPELVS. Imo nemo non videt, cui sunt oculi.

FABVLLA. Video pictas animas infantuli specie. Verum quur non adduntur alae, quemadmodum angelis?

EVTRAPELVS. Quoniam de labentibus e coelo fractae sunt alae si qua Socraticis fabulis habenda fides.

FABVLLA. Quomodo igitur subuolare dicuntur in coelum?

EVTRAPELVS. Quoniam fides et charitas faciunt vt illis renascantur alae. Has alas petebat ille, pertaesus domicilium sui corporis, dum clamat: "Quis dabit mihi pennas sicut colum bae, et volabo et requiescam?". Nec enim alias alas habet ani ma, quum sit incorporea, nec vllam habet speciem, quae corporis oculis sit conspicua, sed tertius cernantur ea quae vide mus animo. Credisne Deum esse?

FABVLLA. Maxime.

EVTRAPELVS. At nihil minus videri potest quam Deus.

FABVLLA. Videtur in rebus conditis.

EVTRAPELVS. Itidem videtur animus ex actione. Si quaeris quid agat in corpore viuo, contemplare corpus exanime. Quum vides hominem sentire, cernere, audire, moueri, intelligere, 238r meminisse, rationari, certius / vides animam adesse. quam nunc vides hunc cantharum,potest enim falli sensus vnus, tot argumenta sensuum non fallunt.

FABVLLA. Proinde si non potes ostendere animam, sic illam notis quibusdam pinge, quasi mihi velis describere Caesarem, quem nondum vidi.

EVTRAPELVS. Aristotelis definitio in promptu est.

FABVLLA. Quae? Nam aiunt istum esse probum rerum omnium depictorem.

EVTRAPELVS. Anima est actus corporis organici physici, vitam habentis in potentia.

FABVLLA. Quur actum vocat potius quam iter aut viam?

EVTRAPELVS. Non hic cauetur aurigis aut equitibus, sed animae ratio definitur. Et actum vocat formam, cuius naturae est agere, quum materiae ratio sit pati. Omnis autem corporis motus naturalis ab animo proficiscitur. Est autem varius corpo

---

18 deus
26 cantarum

ris motus.

FABVLLA. Intelligo. Sed quur addit organici?

EVTRAPELVS. Quoniam anima nihil agit nisi per organa, hoc est, instrumenta corporis.

FABVLLA. Quur addit physici?

EVTRAPELVS. Quia Daedalus frustra fingeret tale corpus. Ideoque addit vitam habentis in potentia. Forma non agit in quoduis, sed in materiam capacem.

FABVLLA. Quid si angelus immigraret in corpus hominis?

EVTRAPELVS. Ageret quidem, sed non per organa naturalia, nec vitam daret corpori, si abesset animam.

(238v) FABVLLA. Habeone iam / totam animae rationem?

EVTRAPELVS. Habes Aristotelicam.

FABVLLA. Equidem accepi celebrem esse philosophorum, et vereor ne sapientum centuriae mihi scribant haereseos dicam, si quid refrager. Alioqui quicquid adhuc dixit de anima hominis, competit in asinum et bouem.

EVTRAPELVS. Imo in scarabeum quoque et limacem.

FABVLLA. Quid igitur interest animum bouis et hominis?

EVTRAPELVS. Qui dicunt animam nihil aliud esse quam harmoniam qualitatum corporis, faterentur non ita multum interesse, videlicet harmonia soluta, perire pariter animas vtriusque. Ne ratione quidem distinguitur bouis et hominis anima, sed quod bouum minus sapit quam hominum, quemadmodum videre est et homines, qui minus sapiunt quam bos.

FABVLLA. Nae isti bubulam habent mentem.

EVTRAPELVS. Attamen illud ad te pertinet, quod pro testudinis qualitate modulatior est harmonia.

FABVLLA. Fateor.

EVTRAPELVS. Nec parui refert, ex quo ligno quaue figura sit facta testudo.

FABVLLA. Verisimile dicis.

EVTRAPELVS. Nec ex quorumlibet animantium intestinis fiunt canorae fides.

FABVLLA. Audiui.

EVTRAPELVS. Atque hae quidem ex aeris circumfusi madore aut siccitate laxantur, contrahuntur nonnunquam et rumpuntur.

FABVLLA. Istuc vidi non semel.

239r EVTRAPELVS. / Hic igitur potes opem praestare non vulgarem infantulo tuo, vt animus illius testudinem habeant bene temperatam, minimeque vitiatam, ne laxa sit segnitie, ne stridula sit iracundia, ne rauca sit temulentia. Nam hos affectus

inserit in nobis nonnunquam educatio victusque ratio.

FABVLLA. Adlonitionem accipio, sed expecto quo pacto tuearis Aristotelem.

EVTRAPELVS. Ille quidem descripsit in genere animam animantem, vegetantem, ac sentientem. Anima dat vitam, sed non protinus animal est quod viuit. Viuunt enim et senescunt et moriuntur arbores, et non sentiunt, quamquam his quoque nonnulli sensum tribuunt stupidum. In adhaesis vix deprehenditur sensus, in spongia deprehenditur ab auulsoribus, in arboribus materiarum caesores sensum comperiunt, si quid illis credimus. Aiunt enim, si palma ferias truncum arboris, quam velis caedere, quemadmodum fere solent materiarij, difficilius arbor inciditur, vt semet contraxit metu. Quod autem viuit aut sensit animal est. Nihil autem prohibet esse vegetabile, quod non sensit veluti fungi, betae, caules.

FABVLLA. Ista si viuunt vtcunque, si sentiunt vtcunque, si mouentur quum adolescunt, quid prohibet eodem dignari animalis cognomine?

EVTRAPELVS. Non ita visum est maioribus, neque nobis (239v) fas est ab illorum placitis discedere, ac / refert quidem ad hoc quod nunc agimus.

FABVLLA. Atqui non feram eandem esse animam scarabei et hominis.

EVTRAPELVS. Non est eadem, o bona, sed ratio quadantenus communis est. Animat, vegetat, sensibile reddit corpus tuum anima tua. Idem agit scarabei anima in suo corpore. Nam quod quaedam aliter, aut aliud agit anima hominis quam scarabei, partim in causa est materia. Non canit, non loquitur scarabeus, quia caret organis ad haec idoneis.

FABVLLA. Illud igitur dicis, si anima scarabei demigraret in corpus hominis, idem ageret, quod agit anima humana.

EVTRAPELVS. Imo, ne si mens quidem angelica, quemadmodum dixi. Nihil autem interest inter angelum et animam humanam, nisi quod hominis anima in hoc condita est vt agat corpus humanum naturalibus organis instructum, quemadmodum anima scarabei non mouet nisi corpus scarabei, angelus non in hoc conditus est vt animet corpus, sed vt absque corporalibus organis intelligat.

FABVLLA. Num idem potest anima?

---

11 trunctum

EVTRAPELVS. Potest quidem a corpore semota.

FABVLLA. Non est igitur sui iuris dum est in corpore?

EVTRAPELVS. Non profecto, nisi si quid accidat praeter communem naturae cursum.

FABVLLA. Verum tu mihi pro vna anima plures animas effudisti, animantem, vegetantem, sensibilem, intelligentem, me-
240r morem, / volentem, irascentem, concupiscentem. Mihi satis erat vna.

EVTRAPELVS. Eiusdem animae diuersae sunt actiones, ex his sortitur cognomina.

FABVLLA. Non satis assequor quod dicis.

EVTRAPELVS. At faciam vt assequaris. Tu in cubiculo es vxor, in officina es textrix aulaeorum, in taberna es aulaeorum venditrix, in culina es coqua, inter famulos et famulas es domina, inter liberos es mater, et tamen omnia es eadem in domo.

FABVLLA. Satis tu quidem pingui Minerua philosopharis. Sic igitur est animus in corpore, quemadmodum ego in domo?

EVTRAPELVS. Sic.

FABVLLA. Atqui dum ego texo in officina, non coquo in culina.

EVTRAPELVS. Neque enim tu es anima tantum, sed anima corpus circumferens, corpus autem non potest simul pluribus inesse locis; anima quoniam est forma simplex, sic est in toto corpore, vt in singulis corporis partibus sit tota, quaquam non idem agat per omnes partes, nec eodem modo per quomolibet affectas. Nam sapit ac meminit in cerebro, irascitur in corde, concupiscit in hepate, audit in auribus, cernit in oculis, olfacit in naribus, gustat in palato et lingua, sentit in omnibus partibus, quae neruacem aliquid habent adiunctum. Neque enim sentit in pilis,nec summis vnguibus, ac ne /
(240v) pulmo quidem per se sentit nec hepar, fortasse nec lien.

FABVLLA. Proinde in quibusdam partibus animat tantum ac vegetat.

EVTRAPELVS. Ita videtur.

FABVLLA. Si in vno homine facit haec omnia, consequitur in foetus in vtero materno, statim vt augescit, quod est vitae signum, simul et sentiat et intelligat, nisi forte vnius hominis initio plures sunt animae, deinde caeteris cedentibus, vna peragit omnia. Ita vt primum homo fuerit planta, mox animal, postremo homo.

EVTRAPELVS. Quod dicis fortasse non admodum absurdum vi-

deatur Aristoteli. Nobis probabilius est simul cum vita infundi rationalem animam, sed quae velut igniculus, immersa materiae supra modum humidae nondum queat exerere vires suas.

FABVLLA. Animus igitur illigatus est corpori quod agit mouetque.

EVTRAPELVS. Non aliter quam testudo domui quam circumfert.

FABVLLA. Eam mouet quidem, sed sic vt simul moueatur, quemadmodum gubernator flectit nauem quo vult, sed ipse interim cum naui mouetur.

EVTRAPELVS. Imo quemadmodum sciturus voluit caueam rotatilem, mobilis interim et ipse.

FABVLLA. Sic et afficit anima corpus, ac vicissim afficitur?

EVTRAPELVS. Sane quod ad operationes attinet.

FABVLLA. Ergo quod ad naturam pertinet, par est anima morionis animae Salomonis.

EVTRAPELVS. Nihil absurdum. /

241r FABVLLA. Itaque pares sunt et angeli, quandoquidem carent materia quae parit, vt ais, inaequalitatem.

EVTRAPELVS. Iam satis philosophiae. Quum potius haec theologos torqueant, nos hoc agamus, quod coepimus. Si tota mater esse vis, cura corpusculum infantuli tui, quo posteaquam sese explicuit ex vaporibus mentis igniculus, bonis et commodis organis vtatur. Quoties audis puerum tuum vagientem, crede illum hoc abs te flagitare. Quum vides in pectore tuo duos istos veluti fonticulos turgidos, ac lacteo liquore vel suapte sponte manantes, crede naturam admonere te tui officij. Alioqui quum infans iam fari meditabitur, ac blanda balbutie te mammam vocabit, qua fronte hoc audies ab eo, cui mammam negaris, et ad conductitiam mammam relegaris, perinde quasi caprae aut oui subiecisses? Vbi iam erit fandi potens, quid si te pro matre vocet semimatrem? Virgam expedies, opinor. Atque vix semimater est, quae recusat alere quod peperit. Potior geniturae pars est nutricatio teneri puelli. Alitur enim non solum lacte, sed et fragantia materni corporis; requirit eundem liquorem, iam notum et familiarem, quem hausit in corpore et vnde coaluit. Atque ego idem sum in hac sententia, vt existi-
(241v) mem in pueris ex lactis natura et indolem vitiari, non aliter

---

21-22 Theologos
29 cum
38 Atque ego quidem (1533,p.376) IF mut. (ASD,p.467) (fortasse lapsus typographi)

quam in frugibus et plantis terrae succus mutat ingenium eius quod alit. An putas temere vulgo dici: Iste maliciam cum lacte nutricis imbibit? Ne illud quidem opinor, quod a Graecis dici solet vt nutrices, quum significant aliquem male pasci, paululum enim praemansi in os inserunt infanctis, maximam partem deglutiunt ipsae. Proinde ne peperit quidem, quae quod enixa est mox abijcit. Istuc enim abortire est, non parere. Et in tales foeminas mihi competere Graecorum videtur etymologia, qui μήτηρ dici putant a μὴ τηρεῖν hoc est, a non seruando. Nam prorsus conductitiam nutricem infantulo adhuc a nutre tepenti asciscere, genus est expositionis.

FABVLLA. Accederem, ni delecta esse mulier, in qua nihil desideres.

EVTRAPELVS. Vt nihil referat, quod lac bibat mollis infantia, quam saliuam cum praemanso cibo deglutiat, vt talis contigerit nutrix, qualem haud scio an vlla reperiatur, an putas vllam esse quae nutricationis omne taedium deuorare possit, quemadmodum mater? sordes, assessiones, vagitus, morbos, seruandi nunquam satis diligentem curam? Si est quae pariter amet, vt mater, erit quae pariter curet. Quin et illud fiet,
242r vt segnius amet te filius, nati/ua illa charitate velut in duas matres distracta nec tu simili pietate duceris erga filium, vt iam grandior minus libenter sit obtemperatus iussis tuis et tu frigidius illius curam habitura in cuius loribus fortasse videbis nutricem. Praecipuus autem discendi gradus est, mutuus inter docentem ac discentem amor. Ergo si nihil decesserit illi natiuae pietatis fragrantiae, facilius illi instillabis praecepta recte viuendi. Neque enim hic parum valet mater, vel ob hoc quod materiam tractet mollissimam, et in omnia sequacem.

FABVLLA. Vt video, non tam facilis est res peperisse, quam vulgus existimat.

EVTRAPELVS. Si mihi parum habes fidei, en tibi Paulus aperte de muliere loquens: Salua, inquit, fiet per liberorum generationem.

FABVLLA. Salua est igitur quae peperit?

EVTRAPELVS. Nequaquam, sed addit, si liberi permanserit in fide. Nondum absoluisti genitricis munus, nisi primum tenerum corpusculum filij, mox animum aeque mollem recta educa-

---

11 adsciscere

tione fingis.

FABVLLA. Atqui isthuc matribus in manu non est, vt filij perseuerent in pietate.

EVTRAPELVS. Fortassis, sed tantum habet momenti vigilans admonitio, vt Paulus existimet matribus imputandi si liberi degenerent a pijs moribus. Denique si praestiteris quod in te
(242v) situm est, Deus opem / suam coniunget cum tua diligentia.

FABVLLA. Mihi quidem, Eutrapele, tua persuasit oratio, si queas idem persuadere parentibus et marito.

EVTRAPELVS. Istuc ad me recipio, modo tu me tuo iuues suffragio.

FABVLLA. Polliceor.

EVTRAPELVS. Sed licetne videre puellum?

FABVLLA. Licet maxime. Heus, Syrica, voca nutricem vna cum infante.

EVTRAPELVS. Scitus admodum puer. Vulgo dicitur veniam deberi primum experienti. At tu prima statim experientia, summam artis expressisti.

FABVLLA. Non est sculptilis imago, vt arte sit opus.

EVTRAPELVS. Verum sed fusile sigillum est. Vtcumque res habet, felicissime cecidit, vtinam pari felicitate cadant imagines, quas intexis aulaeis.

FABVLLA. At tu contra felicius pingis quam gignis.

EVTRAPELVS. Sic visum est naturae cum omnibus paria facere. Quam solicita est natura ne quid pereat. Duos homines in vno repraesentauit, nasus et oculi patrem referunt, frons ac mentem matrem exprimunt. An tu posses hoc tam charum pignus alienae fidei concredere? Mihi bis crudeles videntur esse quae id facere sustinent. Quandoquidem non solum faciunt id infantis, quem ablegant, periculo, verum etiam suo propterea quod in his lac auersione corruptum saepenumero periculosos morbos pariat. Itaque fit vt dum vnius formae corporis consu-
243r lunt, parum consulant duorum cor/porum vitae; dumque cauent ne contingat praeproperum senium, conijciunt sese in mortem praepoperam. Quodest inditum puero nomen?

FABVLLA. Cornelius.

EVTRAPELVS. Hoc erat nomen aui paterni. Vtinam virum integerrimum et moribus nobis referat.

---

1 finxeris (1533,p.378) IF mut. (ASD,p.468)
10 FAB. Istuc

FABVLLA. Dabitur opera, quod quidem in nobis erit. Sed heus, Eutrapele, vnum quiddam obnixe te rogarim.

EVTRAPELVS. Imo puta me tuum esse mancipium, imperabis et impetrabis quae voles.

FABVLLA. Proinde non prius te manumittam, quam hoc mihi beneficium coeptum absoluas.

EVTRAPELVS. Quodnam?

FABVLLA. Vt praescribas mihi primum, quibus rationibus queam infantis valetudini consulere, deinde quum erit firmior, quibus rudimentis ad pietatem praeparandus sit rudis animus.

EVTRAPELVS. Id faciam lubens pro mea quidem sapientia, sed proximo colloquio; nunc orator adeo maritum ac parentes.

FABVLLA. Praecor exorator vt sies.

LB 817-818
ASD 555-558

(...) ECHO

IVVENIS. Cupio paucis te consulere, si vacat.

ECHO. Vacat.

IVVENIS. Et si venio tibi gratus iuuenis.

ECHO. Venis.

IVVENIS. Sed potesne mihi de futuris dicere vera, Echo?

ECHO. Ἔχω.

IVVENIS. Et Graece nosti? Quid istuc noui?

ECHO. Noui.

IVVENIS. Qualia tibi videntur Musarum studia?

ECHO. Δία.

IVVENIS. Censes igitur terendos autores, qui conducunt (243v) ad bonas / literas.

ECHO. Teras.

IVVENIS. Quam igitur mentem habent isti, qui haec studia linguis traducunt suis?

ECHO. Suis.

IVVENIS. Sed vtinam harum cultores similiter essent et pietatis studiosi.

ECHO. O si.

IVVENIS. Nunc quorundam improbitas omnes reddit inuisos.

ECHO. Ἰσως.

---

14 Colloquia quae inscribuntur "Peregrinatio Religionis ergo", Ἰχθυοφαγία et "Funus" omissa sunt ab Ioanne Fernando (LB 774C-817C) (ASD, p.470-551)

20 Ἔχω emendatum est in erratis in Ἔξω sed inepte

23 musarum

IVVENIS. Et multis hominum peccatum confertur in nomen eruditionis.

ECHO. Ὄνοις.

IVVENIS. Atqui vulgo videntur non infirmi.

ECHO. Firmi.

IVVENIS. Quid facere censes eos, qui terunt aetatem in sophistico doctrinae genere?

ECHO. Nere.

IVVENIS. Fortassis telas aranearum.

ECHO. Harum.

IVVENIS. Ac Penelppes telas texunt ac retexunt.

ECHO. Texunt.

IVVENIS. Cui suades vt me dem vitae instituto?

ECHO. Tuto.

IVVENIS. Erit auspicatum, si vxorem duxero?

ECHO. Sero.

IVVENIS. Quid si mihi veniat vsu, quod his qui incidunt in vxores parum pudicas, parumque frugiferas?

ECHO. Feras.

IVVENIS. Atqui cum talibus morte durior est vita.

ECHO. Vita.

IVVENIS. Siccine in rebus humanis dominari fortunam?

ECHO. Vnam.

IVVENIS. Magis fortasse expediat, vt aliquis prae coniugio monachi institutum eligat.

ECHO. Ligat.

IVVENIS. Quid superest remedij, vbi quem astrinxerit iam nodus insolubilis?

ECHO. Bilis.

IVVENIS. Attamen miserum est homines viuere solos.

ECHO. Ὄλως.

IVVENIS. Cuiusmodi censes horum temporum aliquos monachos?

ECHO. Ἄχος.

IVVENIS. Quid igitur istos mouet, qui suspiciunt illos vt semideos?

ECHO. Δέος.

244r IVVENIS. Quid captant / plerique qui ambiunt sacerdotium?

ECHO. Ocium.

IVVENIS. Praeterea nihil habet sacerdos?

ECHO. Κέρδος.

---

20 vitu emendatum est in erratis

IVVENIS. Quid bonae rei contingit illis qui sunt episcopi?

ECHO. Κόποι.

IVVENIS. At nulli magis viuunt in ocio.

ECHO. Scio.

IVVENIS. Quae res illos admonere poterit vt intelligent quantum sustineant onus?

ECHO. Ὁ νοῦς.

IVVENIS. Ergo res præclara est sacerdotium, si quis se in eo gerendo qualem oportet praebeat.

ECHO. Beat.

IVVENIS. Quid fructus erit, si me conferam in aulas eorum, qui praecellunt monarchiae dignitate?

ECHO. Ate.

IVVENIS. At non paucos video qui solent illinc sibi praeclaram felicitatem ariolari.

ECHO. Λάροι.

IVVENIS. At interim dum incedunt holosericati, vulgo videntur homines magnifici.

ECHO. Fici.

IVVENIS. Foris igitur aureos, intus ficulneos homines dicis, si quis inspiciat cominus?

ECHO. Minus.

IVVENIS. Nihil igitur praeclari sunt, quos pro dijs veneramur byssinos.

ECHO. Σίνος.

IVVENIS. Nec militare genus magno aestimabis fortasse.

ECHO. Asse.

IVVENIS. Magnum quiddam pollicentur, e syderibus et futura praedicunt astrologi.

ECHO. Λόγοι.

IVVENIS. At strenue laborant grammatici.

ECHO. Εἰκῇ.

IVVENIS. Non placet opinor legulei homines semper famelici.

ECHO. Λύκοι.

IVVENIS. Qualis ero si fiam opifex?

ECHO. Fex.

---

13 praecelunt/monarchica (1533,p.490) IF mut. (ASD,p.557)
33 ἐκῇ emendatum est in erratis

(244v) IVVENIS. Itane nihil praeterea adferunt / artes boni aut mali?

ECHO. Ali.

IVVENIS. Fuerone beatus si persuadero in bonis literis?

ECHO. Eris.

IVVENIS. Sed quae res dabit vt adsit pietas?

ECHO. Aetas.

IVVENIS. Decem iam annos aetatem triui in Cicerone.

ECHO. Ὄνε.

IVVENIS. Vnde tibi subit me asinum dicere?

ECHO. E re.

IVVENIS. Fortassis hoc dicis, non sic huic incumbendum, vt alios relinquam.

ECHO. Inquam.

IVVENIS. Non placet igitur is qui si per omnem vitam tantum in hoc torqueat vt fiat Ciceronianus?

ECHO. Ἄνους.

IVVENIS. Quid superest natu grandibus, quorum aetas ad haec discenda non est tempestiua?

ECHO. Stiua.

IVVENIS. Facundior esses, opinor, si longius adessem.

ECHO. Essem.

IVVENIS. Non me delectant sermones dissyllabi.

ECHO. Abi.

IVVENIS. Coepi prior, video non posse vitari, quin posterior desinas.

ECHO. Sinas.

IVVENIS. Iam igitur tibi videor satis instructus ad ea probe gerenda, quae sunt in vita?

ECHO. Ita.

IVVENIS. Proinde si me voles abire, dicito.

ECHO. Ito.

LB 818-820
ASD 561-565

ΠΟΛΥΔΑΙΤΙΑ, DISPAR CONVIVIVM
SPVDVS, APITIVS

SPVDVS. Heus, heus, Apiti.

APITIVS. Non audio.

SPVDVS. Heus, inquam, Apiti.

APITIVS. Quis hic est tam molestus interpellator?

SPVDUS. Est seriae rei quiddam, quod te volo.

APITIVS. At ego ad rem seriam propero.

11 Ere? fortasse lapsu tipographi

SPVDVS. Quo nam?

APITIVS. Ad coenam.

245r SPVDVS. / Hac ipsa de re tecum volebam agere.

APITIVS. Non vacat nunc actoribus operam dare, ne actum agam.

SPVDVS. Nihil feceris dispendij, comitabor te quod properas.

APITIVS. Age dic, modo tribus verbis.

SPVDVS. Magno studio molior conuiuium, in quo nulli displiceam conuiuarum, placeam omnibus. Eius artis quoniam tu principatum tenes ad te velut ad oraculum confugio.

APITIVS. Responsum accipe, et quidem iuxta veterum morem ἔμμετρον . Nulli vt displiceas, nullos inuitare memento.

SPVDVS. Atqui solemne est epulum, multos excipiam oportet.

APITIVS. Quo plures inuitaris, hoc pluribus displiceas oportet. Quae fuit vnquam tam bene vel conscripta vel acta fabula, vt toti placuerit theatro?

SPVDVS. Sed age. Comi delitium Apiti, subleua me tuo consilio; habeo te post hac numinis loco.

APITIVS. Sit igitur hoc primum consilium, ne conare quod fieri non potest.

SPVDVS. Quid nam?

APITIVS. Vt conuiuator omnibus placeas. Tanta est palatorum varietas.

SPVDVS. At saltem vt paucioribus displiceam.

APITIVS. Voca paucos.

SPVDVS. Non licet.

APITIVS. Voca pares, et ingenijs congruentes.

SPVDVS. Ne id quidem mihi liberum est. Vitari non potest, quin et multos vocem et dissimiles, denique nec eiusdem linguae, neque nationis homines.

(245v) APITIVS. Nae tu mihi vere con/uicium narras, non conuiuium, in quo facile possit talis exoriri lusus, qualem Hebraei narrant accidisse in structura Babel, vt petenti frigidam aliquis porrigat calidam.

SPVDVS. Opitulare te quaeso. Gratum experieris ac memorem.

APITIVS. Age quando electio non est tui arbitrij, in re mala dabo bonum consilium. Haud parui refert adhilaritatem conuiuij, quo quisque loco sedeat.

SPVDVS. Verissimum.

APITIVS. Ea res vt tibi cedat prospere, fac vt sortibus

distribuantur accubitus.

SPVDVS. Pulchre mones.

APITIVS. Deinde ne sic paulatim a summo ad imum procedant patinae, vt sigma literae vel serpentis potius imaginem pingant, aut vltro citroque reciprocent, quemadmodum olim in conuiuijs myrtus tradi solet.

SPVDVS. Quid igitur?

APITIVS. Sed ad singulas conuiuarum tetradas appone patinas ternas, sic vt quarta media promineat, quemadmodum pueri tribus nucibus imponunt quartam; in singulis sit atque aliud cibi genus, quo quisque quod libet aligat.

SPVDVS. Placet. Sed quoties mutabo patinas?

APITIVS. Quot partibus constat oratio rhetorica?

SPVDVS. Quinque, ni fallor.

APITIVS. Quot actibus constat fabula?

SPVDVS. Apud Horatium legi: "Ne sit quinto productior actu".

APITIVS. Toties mutabis patinas, vt proemium sit, iussu-
246r lentum, conclusio vel / epilogus ex varijs bellariorum generibus conflatus.

SPVDVS. Quem probas in patinis ordinem?

APITIVS. Eundem quem Pyrrhus in acie.

SPVDVS. Quid ais?

APITIVS. Quemadmodum in oratione, ita nec in conuiuio decet proemium esse elaboratum. Rursus epilogus varietate commendetur potius quam apparatu. In tribus atque medijs seruanda Pyrrhi disciplina, vt in vtroque cornu sit aliquid eximium in media acie vulgarior apparatus. Hoc pacto fiet, vt nec sordidus videare, nec fastidiosa copia sis molestus.

SPVDVS. Satis expedite de cibis, superest vt quomodo bibendum doceas.

APITIVS. Nulli omnium cyathum appones, sed pueris dato negocium, vt vbi percontati didicerint quo quisque vini genere delectetur, alacriter ad nutum cuique quod volet porrigant. Ea ex re duplex erit commodum. Nam et parcius bibetur et iucundius, non solum ob id quia subinde recens dabitur potus, verum etiam quod nemo bibet nisi sitiens.

SPVDVS. Optimum profecto consilium. Sed qui fieri poterit vt hilarescant omnes?

APITIVS. Id vt fiat, partim in te situm est.

SPVDVS. Qui nam?

APITIVS. Tenes illud: "Ante omnia vultus accessere boni".

SPVDVS. Quorsum istud?

APITIVS. Vt conuiuas comiter excipias, fronteque hilari
(246v) compelles, sermonem ad cuiusque aetatem, affectum, ac / mores attemperans.

SPVDVS. Accedam vt dicas melius.

APITIVS. Nosti linguas?

SPVDVS. Propemodum omnium.

APITIVS. Vt tua quemque lingua subinde appelles, vtque conuiuium fabulis amoenioribus hilarescat, varias misce materias de rebus, quarum quisque libenter meminit, et nullius dolore audiuntur.

SPVDVS. Quas dicis huiusmodi materias?

APITIVS. Sunt peculiares ingeniorum differentiae, quas ipse melius perspicies, ego generatim attingam aliquot. Senes gaudent commemorare quae multorum fugiunt memoriam, admiratores temporum, in quibus ipsi floruerunt. Matronis dulce est refricari memoriam eius temporis, quum a procis ambirentur. Nautae quique diuersas ac longinquas mundi regiones inuiserunt, libenter ea narrant quae quia nemo vidit, mirantur omnes. Est et anteactorum lalorum, iuxta prouerbium iucunda recordatio, si modo eius sint generis, vt cum probro coniuncta non sint, vt militiae profectionum, naufragiorumque discrimina. Postremo de sua cuique arte grata est confabulatio deque hisce rebus, quarum vsum callet. Haec sunt ferme generalia, peculiares affectus singulatim describi non queant, sed exempli causa est aliquis laudis appetentior, alius vult haberi doctus, alius
247r gaudet videri diues; est hic loquacior, ille / pauciloquus, nonnullos reperies tetricos, alios contra blandiores. Sunt qui nolint videri senes quum sint; sunt rursus qui volunt haberi grandiores quam sint, affectantes hoc esse mirandos, quod belle portant aetatem; sunt foeminae quae sibi de forma placent, sunt aliae putidulae. His cognitis affectibus, haud difficile est miscere sermones vnicuique gratos, vitatis his quae moerorem afferunt.

SPVDVS. Nae tu perpulchre tenes artem conuiuatoriam.

APITIVS. Phy. Si tantudem temporis et operae mihi consumptum esset in vtroque iure, medicina ac theologia, quantum impensum est huic arti, iamdudum et inter iureconsultos, medicos ac theologos doctoris et titulum et lauream tulissem.

33-34 merorẽ
37 Medicina/Theologia

SPVDVS. Credo.

APITIVS. Sed heus, tu ne quid erres, hic cauendum est ne fabulae sint nimium prolixae aut ne exeant in temulentiam. Quemadmodum enim vino nihil iucundius, si modice sumpseris, contra nihil molestius, si supra quam sat est, hauseris, ita vsu venit in fabulis.

SPVDVS. Vera praedicas. Sed huic incommodo quodnam ostendis remedium?

APITIVS. Vbi senseris suboriri τὴν ἄοινον μέθην per occasionem interseca sermonem et argumentum diuersum intersere. Frustra opinor te monerem, ne cui suus dolor in conuiuio refrice-
(247v) tur, vtcunque Plato iudicat in / conuiuijs quibusdam vicijs esse medendum, vino discutiente tristiciam, et offensae memoriam abolente. Verum istud te monitum oportuit, ne nimium crebro salutes conuiuas, tametsi probo vt interdum, obambulans, nunc hos nunc illos comiter appelles. Oportet enim conuiuator bonum motoriam agere fabulam. Nihil autem inciuilius quam ibi commemorare quod cibi genus sit, qua coctum arte, quanti emptum. Idem de vino dictum puta. Quin extrenuandum etiam modice quod apponitur. Alioqui nimis diligens extenuatio apparatus, idem agit quod ostentatio. Satis est bis aut ad summum ter dixisse: Boni consulite. Si parum lautus est apparatus, animus certe lautissimus est. Interdum sales aspergendi sunt, sed qui nihil habeant dentis. Profuerit et illud, subinde sua quemque compellare lingua, sed paucis. Dicendum erat initio, quod mihi nunc tandem venit in mentem.

SPVDVS. Quidnam?

APITIVS. Si non placet sortito dare locos, cura vt tres ex omnibus eligas natura festiuos, minimeque mutos, quorum vnum collocabis in capite mensae, alterum e regione, tertium in medio, qui silentium ac tristitiam caeterorum discutiant. Quod si perspexeris conuiuium vel silentio tristius esse, vel
248r clamoribus tumultuosum aut etiam ad rixas ten/dere.

SPVDVS. Hoc crebro sit apud nos quid tum faciendum?

APITIVS. Accipe rem mihi multo vsu compertam.

SPVDVS. Expecto.

APITIVS. Inducite duos mimos, siue γελωτοποιούς, qui sine ridiculum aliquod argumentum gesticulatione repraesentent.

SPVDVS. Quur sine voce?

---

37 Mimos

APITIVS. Vt par sit omnium voluptas, aut nihil loquantur, aut linguae loquantur omnibus aeque nota. Gestibus loquentes omnes pariter intelligent.

SPVDVS. Quod argumentum mihi narras, non satis intelligo.

APITIVS. Sunt innumera, puta vxorem decertantem cum marito de principatu, aut simile quipiam e media vita. Quo magis erit ridicula saltatio, hoc plus egit omnibus voluptatis. Hos oportet esse semifatuos, alioqui qui plane fatui sunt, quaedam interdum effutiunt imprudentes quae laedunt.

SPVDVS. Ita tibi precor semper propitium Comum, vt mihi dedisti fidele consilium.

APITIVS. Addam coronidem quin potius repetam, quod initio dixeram, ne nimium sis anxius vt placeas omnibus, non hic tantum sed in omni vita atque ita fiet, vt citius placeas omnibus. Optimum enim in vita, ne quid nimis.

LB
820-822
ASD
566-571

BEATVS, BONIFACIVS

BEATVS. Saluus sit Bonifacius.

BONIFACIVS. Etiam atque etiam saluus sit Beatus. Sed vtinam essemus uterque quod dicimur, tu diues ego formosus.

BEATVS. Itane parum tibi videtur / habere nomen magnificum?

(248v)

BONIFACIVS. Mihi quidem minimum momenti, nisi res adsit.

BEATVS. At plerique mortales aliter affecti sunt.

BONIFACIVS. Fieri potest, vt mortales sint isti, homines esse non credo.

BEATVS. Et homines sunt, o bone, nisi putas etiam nunc sub humana specie camelos et asinos ambulare.

BONIFACIVS. Hoc citius crediderim quam homines, qui pluris nomen faciant quam rem.

BEATVS. In certis rerum generibus, fateor plerique malunt rem quam nomen, in multis contra.

BONIFACIVS. Hoc quid sit non satis assequor.

BEATVS. Atqui penes non ipsos exemplum est. Tu Bonifacius diceris, et habes quod diceris; sed si esses alterutro spolian dus, vtrum malles habere malam faciem an pro Bonifacio dici Cornelius?

BONIFACIVS. Equidem malim vel Thersites dici, quam habere prodigiosam faciem, an bonam habeam nescio.

BEATVS. Itidem ego si diues essem, et aut res aut nomen esset deponendum, malim Irus dici quam re spoliari.

BONIFACIVS. Assentior vera loquenti.

BEATVS. Idem vsu veniet, opinor, in his qui sunt prospera valetudine, aut alijs corporis praediti commodis.

BONIFACIVS. Probabile est.

BEATVS. At quam multos videmus qui mallent nomen eruditi, pijque viri, quam esse docti bonique.

BONIFACIVS. Plurimos istiusmodi noui.

249r BEATVS. An non apud hos plus habet momenti / quam res?

BONIFACIVS. Videtur.

BEATVS. Iam si quis nobis adesset dialecticus, qui scite definiret quid sit rex, quid episcopus, quid magistratus, quid philosophus, fortassis et hic inueniremus qui mallent nomen quam rem.

BONIFACIVS. Ita profecto, si rex est qui legibus et aequitate populi commodum spectat, non suum, si episcopus, qui totus inuigilat gregi dominico, et si magistratus est, qui animo consulit reipublicae et si philosophus est qui neglectis, fortunae commodis, tantum studet bonae menti parandae.

BEATVS. Hic vides quantum huius generis exemplorum possim aggerere.

BONIFACIVS. Sane plurimum.

BEATVS. An hos omnes negabis esse homines?

BONIFACIVS. Vereor ne nos ipsi nomen hominis amittamus.

BEATVS. At si homo est animal rationale, quantum abest hoc a ratione, vt in corporis commodis verius quam bonis, et in externis, quae fortuna dat simul et eripit quum libet, rem malimus quam nomen, in veris animi bonis, nomen pluris faciamus quam rem?

BONIFACIVS. Praeposterum, me Hercle, iudicium si quis attendat.

BEATVS. Eadem autem est ratio in contrarijs.

BONIFACIVS. Expecto quid dicas.

BEATVS. Idem iudicandum de nominibus rerum fugiendarum, quod dictum est de vocabulis expetendarum.

BONIFACIVS. Apparet.

BEATVS. Magis enim horrendum est esse tyrannum quam tyranni nomen, et si malus / episcopus iuxta sententiam Euangelicam fur est et latro, non tam haec omnia sunt nobis detestanda quam ipsa res. (249v)

---

10 Dialecticus
11 Episcopus
17 reip.
37 euangelicam

BONIFACIVS. Conuenit sane.

BEATVS. Tu de caeteris similiter colligito.

BONIFACIVS. Prorsus intelligo.

BEATVS. Nonne fatui nomen auersantur omnes?

BONIFACIVS. Et quidem maxime.

BEATVS. Nonne fatuus esset qui aureo piscaretur hamo, qui vitrum anteponeret gemmis, qui chariores haberet equos quam vxorem ac liberos?

BONIFACIVS. Is esset quouis Corebo stultior.

BEATVS. An non tales sunt, qui procurrunt in militiam, spe lucri non admodum magni, corpus et animam exponentes periculo, qui student congerendis opibus quum animum habeant omnium bonarum rerum egenum, qui vestes et aedes exornant, quum animus neglectus ac squalidus iaceat, qui corporis valetudinem anxie tuentur, animam tot capitalibus morbis laborantem negligunt? Denique qui fugacissimis huius vitae voluptatibus, cruciatus merentur aeternos?

BONIFACIVS. Ipsa ratio fateri cogit, plus quam fatuos esse.

BEATVS. Atque his fatuis quum plena sint omnia, vix inuenias qui ferre possit fatui vocabulum, quum adeo non adhorreant a re.

BONIFACIVS. Sic est profecto.

BEATVS. Age, scis quam sint apud omnes inuisa vocabula, mendacis ac furis.

BONIFACIVS. Sunt inuisissima, nec sine causa.

BEATVS. Fateor. Sed quum stuprare coniuges alienas sit 250r furto sceleratius, tamen adulteri cogno/mine quidam etiam gloriantur, ad furti conuitium ilico stricturi gladium.

BONIFACIVS. Ita res habet apud complures.

BEATVS. Ita quum multi scortis vinoque perditissimi sint, et sint libenter ac palam, tamen ad ganeonis nomen offenduntur.

BONIFACIVS. Hi nimirum rem sibi gloriae ducunt, quum vocem rei debitam horreant.

BEATVS. Sed vix aliud nomen auribus nostris videtur intolerabilius quam mendacis.

BONIFACIVS. Noui qui hoc conuicium caede sint vlti.

BEATVS. Sed vtinam pariter abominentur rem. Nunquam accidit tibi, vt qui promiserat se mutuum ad certum diem redditurum, falleret.

BONIFACIVS. Frequenter etiam, quum id deierasset, neque

id semel, sed iterum atque iterum.

BEATVS. Fortasse non erant soluendo.

BONIFACIVS. Imo erant, sed commodius esse ducebant non reddere creditum.

BEATVS. An hoc non est mentiri?

BONIFACIVS. Planissime.

BEATVS. Auderes istiusmodi creditorem sic compellare: Quur mihi toties mentiris?

BONIFACIVS. Non nisi paratus essem ad pugnam.

BEATVS. An non simili modo quotidie verba dant latomi, fabri, aurifices, et vestiarij, pollicentes ad certum diem, nec tamen praestantes, etiamsi magni referat tua?

BONIFACIVS. Mira impudentia, sed adde his aduocatos pollicentes operam.

(250v) BEATVS. Potes addere sexcenta nomina. Nemo / tamen horum laturus sit mendacis vocabulum.

BONIFACIVS. Hoc genere mendaciorum plena sunt omnia.

BEATVS. Itidem furis nomen nemo tolerat, quum a re non perinde omnes abhorreant.

BONIFACIVS. Expecto vt dicas clarius.

BEATVS. Quid interest eumqui rem tuam tollit e scrinio, et inter eum qui depositum abiurat?

BONIFACIVS. Nihil, nisi quod sceleratior est, qui spoliat etiam fidentem.

BEATVS. At quam pauci sunt, qui depositum reddunt; aut si reddunt, non dant integrum?

BONIFACIVS. Opinor esse perpaucos.

BEATVS. Nemo tamen istorum ferat furis vocabulum quum rem non horreant.

BONIFACIVS. Admodum.

BEATVS. Iam mihi reputa, quid vulgo fiat in tractandis pupillorum bonis, in testamentis ac legatis, quantum haereat digitis tractantium?

BONIFACIVS. Frequenter totum.

BEATVS. Furtum amant, vocabulum detestantur.

BONIFACIVS. Maxime.

BEATVS. Quid agant qui res fisci tractan, qui monetam publicam cudunt deteriorem, qui nunc aucta, nunc diminuta nummorum aestimatione, priuatorum rem accidunt, fortasse nobis non admodum liquet, de his quae quotidie experimur loqui, nec fas est. Qui sumit mutuum aut qui conflat aes alienum, hoc animo vt reddat si liceat nunquam, quantulum abest a fure?

BONIFACIVS. Cautior fortasse dici potest, melior nequaquam.

251r BEATVS. At horum quum ingens vbique / sit numerus, nemo tamen tolerat furis nomen.

BONIFACIVS. Animum solus Deus nouit, proinde apud homines obaerati vocantur, non fures.

BEATVS. Quantuli refert quo nomine dicantur apud homines modo sint fures apud Deum. Certe suus cuique notus est animus. Ad haec qui, quum debeat multum, quod obtigit pecuniae nequiter prodigit, qui posteaquam decoxit in vna ciuitate delusis creditoribus fugit in aliam, hospites quaerens quibus imponat, idque facit crebrius nonne satis declarat quo sit animo?

BONIFACIVS. Satis superque. Sed tamen isti solent hoc fucare colore, quod faciunt.

BEATVS. Quonam?

BONIFACIVS. Multum multisque debere, praedicant id sibi cum magnatibus atque adeo regibus esse commune, eoque qui sunt hoc ingenio praediti fere nobilitatis opinionem affectant.

BEATVS. In quem vsum?

BONIFACIVS. Dictu mirum, quantum equiti licere velint.

BEATVS. Quo iure? quibus legibus?

BONIFACIVS. Haud alijs quam quibus praefecti maris vindicant sibi, quicquid eiectum est naufragio, etiamsi extet dominus, quibus alij suum esse volunt quicquid apud furem aut praedonem deprehenderint.

BEATVS. Istiusmodi liges possent fures condere.

BONIFACIVS. Et facerent si queant tueri, et haberent quod excusarent si bellum indicant priusquam furentur.

(251v) BEATVS. Quis hoc iuris dedit equiti / potius pediti?

BONIFACIVS. Militiae fauor. Sic enim exercentur ac bellum, quo promptiores sint ad spoliandum hostem.

BEATVS. Sic, opinor, Pyrrhus exercebat suos ad bellum.

BONIFACIVS. Non, sed Lacedaemonij.

BEATVS. Abeant in malam crucem cum suo exercitio. Sed vnde nomen hoc tantae praerogatiuae?

BONIFACIVS. Quibusdam obuenit a maioribus, alij mercantur aere, quidam asciscunt.

BEATVS. An licet asciscere cui libet?

BONIFACIVS. Licet si mores respondeant.

---

5 deus
8 deum
19 Post hunc sermonem, nomina personarum commutantur
33 Lacedamonij

BEATVS. Qui?

[BONIFACIVS]. Si nihil bonae rei gerat, si splendide vestiatur, si incedat anulatus, si grauiter scortetur, aleam ludat assidue, si certat chartis, si compotationibus ac voluptatibus aetatem absumat, si nihil loquatur plebeium, sed arces, pugnas ac bella mera crepat, Thrasonica omnia. Ista sibi permitunt bellum cui velint indicere, etiamsi pedem vbi ponant non habent.

BEATVS. Equites mihi narras equuleo dignos. Atque tales habent non paucos Sicambria.

LB
822-824
ASD
575-584

CHARON, GENIVS ALASTOR

CHARON. Quid ita properas gestiens, Alastor?

ALASTOR. Opportune tu quidem, o Charon. Ad te properabam.

CHARON. Quid nouae rei?

ALASTOR. Nuncium fero tibi Proserpinaeque laetissimum futurum.

252r CHARON. Effer igitur quod fers, teque exo/nera.

ALASTOR. Furiae non minus gnauiter quam feliciter gesserunt suum negocium, nullam orbis partem non infecerunt malis tartareis, dissidijs, bellis, latrocinijs, pestilentijs, adeo iam caluae amissis colubris sint, et exhaustae venenis obambulent, quaerentes quicquid vsquam est viperarum et aspidum, quando tam glabrae sunt quam ouum, et pilum non habent in capite, neque quicquam in pectore succi efficacis. Proinde tu cymbam ac remos appares. Mox enim ventura est tanta vmbrarum multitudo, vt verear ne non sufficias omnibus transmittendis.

CHARON. Ista nos non fugerant.

ALASTOR. Vnde rescieras?

CHARON. Ossa pertulerat ante biduum.

ALASTOR. Vt illa dea nihil est velocius. Sed quid tu igitur hic cessas relicta cymba?

CHARON. Ita nimirum res ferebat. Huc profectus sum, vt mihi comparem validam aliquam triremem. Nam mea cymba iam vetustate putris ac sutilis, non sufficerit huic oneri, si vera sunt quae narrauit Ossa. Quanquam quid opus erat Ossa? Res ipsa compellit. Nam naufragium feci.

ALASTOR. Nimirum totus distillas, suspicabar te redire e

1-2 Qui? Si nihil fortasse lapsu typographi

balneo.

CHARON. Imo enataui e Stygia palude.

ALASTOR. Vmbras vbi reliquisti?

CHARON. Natant cum ranis.

ALASTOR. Sed quid narrauit Ossa?

CHARON. Tres orbes monarchas capitalibus odijs in mutuum
(252v) exitium ruere, nec / vllam orbis Christiani partem immunem esse
a belli furijs. Nam tres illi reliquos omnes pertrahunt in belli
consortium; omnes esse talibus a nimis, vt nemo velit alteri
cedere: nec Danum, nec Polonum, nec Secotum, nec Turcam interim esse in ocio; moliri dira; pestilentiam vbique saeuire apud Hispanos, apud Britannos, apud Italos, apud Gallos. Ad haec nouam esse luem ex opinionum varietate natam, quae sic vitiauit omnium animos, vt nulla vsquam sit syncera amicitia, sed frater fratri diffidat, nec vxori cum marito conueniat. Spes est hinc quoque nascituram olim magnificam hominum perniciem, si res a linguis et calamis ad manus peruenerit.

ALASTOR. Haec omnia verissime narrauit Ossa. Nam ipse plura vidi his oculis, assiduus comes et adiutor Furiarum, quae nullo tempore magis declararunt se suo dignas nomine.

CHARON. Atqui periculum est, ne quis daemon exoriatur, qui subito adhortetur ad pacem, et sunt mortalium animi mutabiles. Nam audio apud superos esse polygraphum quendam, qui calamo suo non desinit insectari bellum, et ad pacem cohortari.

ALASTOR. Ille iam pridem surdis canit. Olim scripsit pacis profligatae querimoniam, nunc eidem extinctae scripsit epi
253r taphium. Sunt alij contra, qui non minus iuuent rem no/stram, quam ipsae Furiae.

CHARON. Quinam isti?

ALASTOR. Quidam male feriati homines vel nobilitatis vel religionis, literaturae etiam specie. Adeo nulla pars vitae malis. Qui non recedunt ab aulis principum; instillant in aurem amorem belli, hortantur eodem proceres ac plebem, in Euangelicis illis concionibus clamitant bellum esse iustum, sanctum ac pium. Quoque magis mireris hominum fortem animum, clamitant idem apud vtranque partem. Apud Gallos concionantur Deum stare

---

2 stigia ementadum est in erratis
19 furiarum
28 furiae
30-32 AL. Sunt animalia quaedam pullis et candidis pallijs, cinericijs tunicis, uarijs ornata plumis, haec nunquam recedunt (1533,p.503-504) IF mut. (ASD,p.578)
36 deum

pro Gallis, nec vinci posse qui Deum habeat protectorem. Apud Anglos et Hispanos, hoc bellum non a Caesare geri, sed a Deo: tantum praebeant se viros fortes, victoriam esse certam. Quod si quis interciderit, eum non perire, sed recta subuolare in coelum, sicut erat, armatum.

CHARON. Forte sic arbitrantur, Non deerunt tamen viri religiosi ac pij qui aut aliter sentiant, aut de re adeo controuersa non audeant in alterutram partem pronunciare. Caeterum vtcunque res habeat, in tam perpetuo bello, vbi res Christiana tam aperte periclitatur, nollem esse Franciscus, nollem esse Carolus.

ALASTOR. Accedit huc iuuentus, rerum imperitia, gloriae sitis, ira, animus ad id vocatur natura propensus. His facile imponitur, nec difficile perpellitur plaustrum suapte sponte propendens ad ruinam.

(253v) CHARON. Ego / istis animalibus lubens aliquid boni fecero.

ALASTOR. Appara lautum conuiuium. Nihil potes gratius.

CHARON. Ex maluis, lupinis et porris. Nam apud nos non alia est, vt scis, annona.

ALASTOR. Imo ex perdicibus, capis, et phasianis si vis esse gratus conuiuator.

CHARON. Sed quae res istos mouet vt tantopere promoueant bellum? Aut quid hinc metuunt commodi?

ALASTOR. Quia plus emolumenti capiunt e morientibus, quam ex viuis. Sunt testamenta, multaque alia non aspernanda lucra. Denique malunt in castris versari, quam in suis aluearibus. Bellum multos gignit ‡ satrapas ‡ , episcopos, qui in pace ne teruncij quidem fiebant.

CHARON. Sapiunt.

ALASTOR. Sed quid opus est triremi?

CHARON. Nihil si velim in media palude rursus naufragium facere.

ALASTOR. Ob multitudinem?

CHARON. Scilicet.

ALASTOR. Atqui vmbrae vehis, non corpora. Quantulum autem ponderis habent vmbrae?

---

1 deum
2 deo
6-11 CH. Et habetur istis tanta fides?
AL. Quid non potest simulata religio? Accedit (1533,p.504) IF mut. (ASD,p.578)
11 Carlus
27 IF add.

CHARON. Sint tipulae, tamen tipularum tanta vis esse potest, vt onerent cymbam. Tum scis et cymbam vmbratilem esse.

ALASTOR. At ego memini videre me cum esset ingens turba, nec cymba caperet omnes, a clauo tuo tria milia vmbrarum pendere nonnunquam, nec tu pondus vllum sentiebas.

CHARON. Fateor tales esse animas quae paulatim demigra-
254r runt e corpore phtisi / aut hectica tenuato. Caeterum quae subito reuelluntur e crasso corpore, multum corporeae molis secum ferunt. Tales autem mittit apoplexia, cynanche, pestilentia, sed praecipue bellum.

ALASTOR. Non opinor Gallos aut Hispanos adferre multum ponderis.

CHARON. Multo minus quam caeteri, quanquam et horum animae non omnino veniunt plumeae. Caeterum e Britannis et Germanis belle pastis veniunt duntaxat vehens, et nisi iacturam fecissem, perieram vna cum cymba, vectoribus et naulo.

ALASTOR. Ingens discrimen.

CHARON. Quid interea censes fieri, cum accedunt crassi satrapae, Thrasones et Pyrgopolinices?

ALASTOR. Ex his qui pereunt in iusto bello, nullos arbitror ad te venire. Nam aiunt eos recta subuolare in coelum.

CHARON. Quo subuolent nescio; vnum illud scio: quoties bellum est, tot ad me veniunt saucij lacerique, vt demirer vllum superesse apud superos. Nec solum veniunt onustae crapula et abdomine, verum etiam bullis et sacerdotibus alijsque rebus plurimis.

ALASTOR. At ista non deferunt secum, sed nudae veniunt ad te.

CHARON. Verum, sed quae recentes veniunt, somnia talium rerum secum adferunt.

ALASTOR. Itane grauant somnia?

CHARON. Grauant cymbam meam, quod dixi, grauant? iam de-
(254v) merserunt. / Postremo tot obulos putas nihil habere sarcinae?

ALASTOR. Equidem arbitror, si ferant aereos.

CHARON. Proinde certum est mihi prospicere de naui quae sufficiant oneri.

ALASTOR. O te felicem.

CHARON. Quid ita?

ALASTOR. Quia propediem ditesces.

---

7 hetica emendatum est in erratis in hestica sed inepte

CHARON. Ob multitudinem vmbrarum?

ALASTOR. Nae.

CHARON. Siquidem suas opes secum adferant. Nunc qui in cymba deplorant se apud superos reliquisse regna, praesulatus, abbatias, auri talenta innumera, ad me nihil adferunt praeter obolum. Itaque quod iam annis ter mille mihi cornasum est, id totum est effundendum in vnam triremem.

ALASTOR. Sumptum faciat oportet, qui quaerit lucrum.

CHARON. Atqui mortales, vt audio, felicius negociantur, qui fauente Mercurio ditescunt intra triennium.

ALASTOR. Sed ijdem decoquunt nonnunquam. Tuum lucrum minus, sed certius.

CHARON. Nescio quam certum: si quis deus nunc exoriatur, qui res principium componat, sors haec tota mihi perierit.

ALASTOR. Ista quidem de re iubeo vt me sponsore in vtranque aurem dormias. Intra decennium totum nihil est,quod pacem metuas. Vnus Romanus pontifex sedulo quidem hortatur ad concordiam, sed laterem lauat. Murmurant et ciuitates taedio malorum; conferunt susurros populi nescio qui, dictantes iniquum
255r vt ob priuatas iras aut ambitionem duorum triumue / res humanae sursum deorsum misceantur, sed vincent, mihi crede, quamlibet recta consilia Furiae. Caeterum quid opus erat hac gratia petere superos? An apud nos non sunt fabri? Certe Vulcanum habemus.

CHARON.Pulchre, si quaeram nauim aeream.

ALASTOR. Minimo accersetur aliquis.

CHARON. Ita est, sed deficit nos materia.

ALASTOR. Quid audio, nihil illic syluarum?

CHARON. Etiam nemora quae fuerant in campis Elysijs adsumpta sunt.

ALASTOR. In quem tandem vsum?

CHARON. Exurendis haereticorum vmbris, adeo vt nuper coacti simus e terrae visceribus carbones effodere.

ALASTOR. Quid, an istae vmbrae non possunt minore sumptu puniri?

CHARON. Sic visum est Rhadamanto. ‡ Quid tamen non licet iure in impios? ‡

ALASTOR. Vbi triremem mercatus eris, vnde remiges parabuntur?

---

8 lucum emendatum est in erratis
20 triumue re res
22 furiae
36-37 IF add.

CHARON. Meae partes sunt tenere clauum, remigent vmbrae si velint tranijcere.

ALASTOR. At sunt quae non didicerunt remum agere.

CHARON. Apud me nullus est eximius; remigant et monarchae, remigant et cardinales sum quisque vicem, non minus quam plebei tenues siue didicerint, siue non didicerint.

ALASTOR. Tu fac dextro Mercurio féliciter mercare triremem. Ego non te remorabor amplius. Orco laetum adferam nuncium. Sed heus, heus Charon.

CHARON. Quid est?

(255v) ALASTOR. Fac matures reditum, ne te mox / obruat turba.

CHARON. Imo iam plus quam ducenta millia offendes in ripa praeter illas quae natant in palude. Properabo tamen quantum licebit. Dic illis me mox adfuturum.

LB 826-830 ASD 591-600

(...)

ΑΓΑΜΟΣ ΓΑΜΟΣ SIVE CONIVGIVM IMPAR

PETRONIVS, GABRIEL

PETRONIVS. Vnde nobis Gabriel tam tetrica fronte? Num ex antro Trophonij?

GABRIEL. Im a nuptijs.

PETRONIVS.Nunquam vidi vultum minus nuptialem. Nam qui nuptijs interfuerunt, totos postea sex dies solent hilariores amoenioresque videri, senes etiam reiuuenescere ad annos decem. Quas igitur tu mihi nuptias narras? Mortis opinor cum Marte?

GABRIEL. Imo iuuenis generosi cum puella sedecim annos in qua nihil desideres siue formam spectes, siue mores, siue genus, siue fortunam. Quid multi ? Ioue marito digna videri poterat.

PETRONIVS. Hui,tam teneram puellam tam vetulo?

GABRIEL. Reges non senescunt.

PETRONIVS. Vnde igitur isthac tristicia? Fortasse sponso inuides, qui tibi captatam praedam victor praeripuit.

GABRIEL. Phy! nihil minus.

PETRONIVS. Num tale quid accidit, quale memorant de conuiuio Lapitharum?

GABRIEL. Nequaquam.

---

4 Monarchae
5 Cardinales
7 mercere (1533, p.507; 1636, p. 506; ASD, p. 584, l. 156)
15 Colloquium quod inscribitur "Synodus Grammaticorum" omittitur ab Ioanne Fernando (LB 824C-826E; ASD,p.585-590)

PETRONIVS. Quid, an defuit Bacchi liquor?

GABRIEL. Imo superat.

PETRONIVS. Non aderant tibicines?

GABRIEL. Et fidicines, et lyricines et tubicines et vtri/-
256r cines.

PETRONIVS. Quid igitur? Non aderat hymenaeus?

GABRIEL. Frustra tot vocibus ciebatur.

PETRONIVS. Nec Charites?

GABIEL. Ne musca quidem charis. Nec pronuba Iuno, nec au-
10 rea Venus, nec Iupiter Gamelius.

PETRONIVS. Nae tu mihi nuptias loqueris prorsus inauspi-
catas et ἀθέους seu potius ἄγαμον γάμον.

GABRIEL. Magis dicas si vidisses.

PETRONIVS. Non igitur saltatum est?

15 GABRIEL. Imo misere clauditatum.

PETRONIVS. Nullum ergo numen prosperibus istas hilarabat
nuptias?

GABRIEL. Nullum omnino illic aderat praeter vnam deam,
quae Graecis dicitur Psora.

20 PETRONIVS. Pruriginosas opinor nuptias dicis.

GABRIEL. Imo rubiginosas et purulentas.

PETRONIVS. Sed quid est, mi Gabriel, quod haec commemora-
tio tibi lachrymas etiam excutit?

GABRIEL. Haec res, Petroni, vel silici possit extundere
25 lachrymas.

PETRONIVS. Credo, si silex vidisset. Sed obsecro te,
quodnam est hoc tantum mali? Ne cela, nec meum animum diutius
suspendito.

GABRIEL. Nosti Lampridium Eubulum?

30 PETRONIVS. Quo non alius in hac vrbe vir melior aut bea-
tior.

GABRIEL. Quid? Eius filiam Iphigeniam?

PETRONIVS. Florem huius aetatis nominasti.

GABRIEL. Sic est. At scis cui nupserit?

35 PETRONIVS. Sciam, si dixeris.

GABRIEL. Nupsit Pompilio Bleno.

PETRONIVS. Eine Thrasoni, qui neminem non solet occidere
suis gloriosis fabulis?

---

8 charites
27 caela

GABRIEL. Huic ipsi.

(256v) PETRONIVS. At is iam olim celebris est / in hac vrbe, duabus potissimum rebus, mendacijs scabie, quae nondum suum habet nomen, quum ipsa tam multorum habeat nomina.

GABRIEL. Superbissima scabies est, quae nec leprae, nec elephantiasi, nec lichenibus, nec podagrae, nec mentagrae cedat, si res veniat in certamen.

PETRONIVS. Ita praedicant medicorum filij.

GABRIEL. Quid ego nunc, Petroni, depingam puellam tibi non incognitam, quanquam plurimum gratiae addidit ornatus natiuo decori. Mi Petroni, dixisses deam quam piam esse. Nihil illam non decebat. Interim prodijt nobis beatus ille sponsus, trunco naso, alteram trahens tibiam, sed minus feliciter quam solent Suiseri; manibus scabris, halitu graui, oculis languidis, capite obuincto, sanies et e naribus et ex auribus fluebat. Alij digitos habent anulatos, ille etiam in femore gestat anulos.

PETRONIVS. Quid parentibus accidit vt talem filiam tali portento committerent?

GABRIEL. Nescio, nisi quod hodie plerisque videtur adempta mens.

PETRONIVS. Fortasse praediues est.

GABRIEL. Est affatim, sed aere alieno.

PETRONIVS. Si puella veneno sustulisset ambos auos et auias, quod gratius supplicium de illa sumi poterat?

GABRIEL. Si minxisset in patrios cineres, satis poenarum datura fuerat, tali monstro vel osculum dare coacta.

PETRONIVS. Accedo.

257r GABRIEL. Mihi sane factum / hoc crudelius esse videtur quam si illam nudam obiecissent vrsis, aut leonibus, aut crocodilis. Nam aut ferae pepercissent tam insigni formae, aut subita mors finisset cruciatum.

PETRONIVS. Vera praedicas. Mihi plane videtur hoc factum Mozentio dignum, qui mortua, vt inquit Maro, "ingebat corpora viuis, componens manibusque manus, atque oribus ora". Quanquam nec Mozentius, ni fallor, tam immanis erat, vt tam amabilem puellam cadaueri ingeret; nec vllum cadauer est, cui non iungi malis, quam tam putido cadaueri. Siquidem hoc ipsum quod spirat, merum est venenum, quod loquitur pestis est, quod contingit mors est.

GABRIEL. Iam tu mihi cogita, Petroni, quid voluptatis habitura sint illa suauia, illi complexus, illi nocturni lusus, ac blanditiae?

PETRONIVS. Theologos nonnunquam audiui loquentes de impari coniugio. Isthuc demum optimo iure dici potest impar coniugium, quasi gemmam inseras plumbo. Sed interim demiror tennerae virginis audaciam. Solent enim tales puellae lemuris aut laruae conspectum tantum non exanimari. An haec audebit tale cadauer amplecti noctu?

GABRIEL. Habet puella quod excuset, autoritatem parentum, importunitatem amicorum, aetatis simplicitatem; ego parentum
(257v) vesaniam satis mirari non possum. Quis / enim filiam habet tam infelici forma, quam collocare velit homini leproso?

PETRONIVS. Nullus, opinor, si modo vel vnciolam habeat sanae mentis. Mihi si lusca esset eademque clauda, nec minus deformis quam fuit Thersites Homericus, postremo indotata, recusarem istiusmodi generum.

GABRIEL. At haec lues est omni lepra tum tetrior, tum nocentior. Nam citius serpit, et subinde recurrit, ac frequenter occidit, quum nonnunquam lepra sinat hominem ad extremam vsque senectutem viuere.

PETRONIVS. Fortasse latebat parentes sponsi morbus.

GABRIEL. Imo pulchre nouerant.

PETRONIVS. Si tam male volebant filiae, quin potius insutam culleo proiecerunt in Scaldam?

GABRIEL. Profecto leuior fuisset insania.

PETRONIVS. Quae dos commendabat illis sponsum? Procellit arte quapiam?

GABRIEL. Permultis. Strennuus est aleator, potator inuictus, scortator improbus nugandi, mentiendique artifex maximus, praedator non segnis, decoctor eximius, comessator perditus. Quid multis? quum scholae non profiteantur nisi septem artes liberales, hic habet plus quam decem illiberales.

PETRONIVS. Aliquid tamen fuerit oportet, quod illum commendarit parentibus.

GABRIEL. Nihil aliud quam gloriosum equitis nomen.

PETRONIVS. Qualis eques, cui per scabiem vix in sella licet? Sed fortassis habet luculentas possessiones.

258r GABRIEL. Habuit medio/cres, sed ex proteruia, quam fecit, nihil superest praeter vnam turriculam, vnde excurrere solet ad praedam eamque tam belle instructam, vt nolis illic porcos tuos ali. Sed interim nunquam non habet arces in ore et feuda, aliaque magnifica nomina, nusquam non affligit sua insignia.

PETRONIVS. Clypeus quod habet symbolum?

GABRIEL. Tres elephantos aureos, in spacio phoeniceo.

PETRONIVS. Scilicet. Elephas elephanti congruit. Oportet autem hominem esse sanguinarium.

GABRIEL. Imo vinarium. Nam rubro vino mirum in modum delectatur, sic tibi sanguinolentus est.

PETRONIVS. Ad hauriendum igitur vtilis est illi proboscis.

GABRIEL. Maxime.

PETRONIVS. Itaque insignia declarant magnum ac solidum nebulonem, vini gurgitem. Neque enim ille color sanguinis est, sed meri, et aureus elephas indicat, quicquid auri nactus est, vino absumi.

GABRIEL. Sic est.

PETRONIVS. Quid igitur dotis hic Thraso confert ad sponsam?

GABRIEL. Quid? maximam.

PETRONIVS. Qui maximam, decoctor?

GABRIEL. Sine me loqui; maximam, inquam, pessimamque scabiem.

PETRONIVS. Emoriar, ni malim filiam meam equo nuptam, quam tali equiti.

GABRIEL. At ego mortuo nuptam malim. Imo hoc non est homini nubere, sed hominis cadaueri. Hoc spectaculum si vidisses, dic mihi, tenuissesne lachrymas?

PETRONIVS. Qui potuissem, qui vix ista sine lachrymis au
(258v) dio? Adeo parentes ad omnem naturalis pietatis affectum / obsur
duisse, vt filiam unicam, puellam tali forma, tali indole, tam amabilibus moribus, tali monstro in seruitutem traderent, propter mendacem clypeum?

GABRIEL. Atqui facinus hoc quo nihil inuenias, nec immanius, nec crudelius, nec magis impium, hodie magnatum etiam ludus est, quum expediat eos qui reipublicae tractandae nascuntur esse quam prosperrima valetudine. Corporis enim habitus animi vim afficit. Certe hic morbus quicquid est homini cerebri solet exhaurire. Ita sit vt reipublicae praesideant, qui nec animo bene valeant, nec corpore.

PETRONIVS. Non solum integrae mentis ac prospera valetudine conuenit esse qui reipublicae gubernaculis assident, verum etiam forma dignitateque corporis praecellentis. Quanquam enim

---

20 GA. At ego uel monacho nuptam malim (1533,p.517) IF mut. (ASD,p.595)
30 reip.
33 reip.

prima principum commendatio sint sapientia et integritas, tamen nonnihil refert, qua specie corporis sit qui caeteris imperat. Nam si saeuus est multum inuidiae addit corporis deformitas. Si probus et pius, "Gratior est pulchro veniens e corpore virtus".

GABRIEL. Recte.

PETRONIVS. Nonne deplorant earum infelicitatem, quarum coniuges post peractas nuptias in lepram aut morbum incidunt comitialem?

GABRIEL. Merito sane.

PETRONIVS. Quae igitur dementia est, vltro filiam plusquam leproso tradere?

GABRIEL. Plus quam dementia est. Si satrapas paret tolere
259r catulos, / num ad generosam foeminam admittet scabiosum et ignauum canem?

PETRONIVS. Imo magna cura displiceret, vt vndiquaque generosum adiungeret, ne nascantur hybridae.

GABRIEL. Et si dux augere velit equitatum, num ad eximiam equam admitteret morbidum aut degenerem?

PETRONIVS. Ne in commune quidem stabulum reciperet morbidum, ne qua serpat malum ad alios.

GABRIEL. Nec interim referre putant quem admittant ad filiam, et vnde nascantur liberi, non tantum in haereditatem omnium facultatum successuri, verum etiam rempublicam moderaturi?

PETRONIVS. Ne rusticus quidem quemuis equum iungit equae, nec quemuis porcum scrophae, quum taurus gignatur aratro, equus rhedae, porcus culinae.

GABRIEL. Vide quam peruersa sint hominum iudicia, Si quis plebeius patriciae puellae osculum obtrudat, iniuriam putant bello vendicandam.

PETRONIVS. Acerrimo.

GABRIEL. Et ipsi volentes, scientes, prudentes, id quo nihil habent charius, dedunt abominando portento, et priuatim impij in suam gentem, et publice in ciuitatem.

PETRONIVS. Si sponsus subclaudicat alioqui sanus, quam abhorretur a coniugio? Hoc tantum malum non imputatur in sponsalibus.

GABRIEL. (...) Vix hoc faciunt hostes puellis bello captis,

---

39 GA. Si quis filiam elocauit Franciscano, quanta abominatio, quanta deploratio male collocatae uirginis? At illa ueste detracta uirum habet membris ualidis. Ista totam aetatem transi-

(259v) vix piratae faci-/unt scelere abductis; et hoc faciunt parentes vnicae filiae, nec illis datur a magistratu curator?

GABRIEL. Quomodo medicus succurret phrenetico, si ipsum habeat phrenesis?

PETRONIVS. Atqui mirum est a principibus, quorum munus est prospicere reipublicae duntaxat in his, quae ad corpus pertinent, quum in hoc genere nihil prius ac potius sit bona valetudine, hic nullum excogitari remedium. Tanta pestis bonam orbis partem occupauit, et illi interim stertunt, quasi nihil ad rem pertineat.

GABRIEL. De principibus, Petroni, religiose loquendum est. Sed admoue aurem, insusurrabo tria verba.

PETRONIVS. O miseriam, vtinam falsa praedicares.

GABRIEL. Quot morborum genera nasci putas ex vinis corruptis ac mille modis infectis?

PETRONIVS. Innumera, si qua medicis fides.

GABRIEL. Num hic vigilant aediles?

PETRONIVS. Plane vigilant in exigendis vectigalibus.

GABRIEL. Quae sciens nubit morbido, fortasse digna est suo malo, quod asciuit ipsa sibi, quanqum si principatum gerem, vtrunque semouerem ab vrbano commercio. Caeterum si qua nupsisset huic obnoxio lui, qui se sanum mentitus esset, si quis mihi summum pontificium deleget, dirimerem hoc coniugium, etiamsi sexcentis tabulis sponsalibus contractum esset.

PETRONIVS. Quo colore? Nam coniugium rite contractum ab
260r homine non potest / dirimi.

GABRIEL. Quid? tibi videtur rite contractum quod dolo malo contractum est? Non valet contractus, si puella decepta seruo nupsit, quem putabat liberum. Hic cui nupsit, seruus est miserrimae dominae Psorae; atque hoc infelicior est seruitus, quod illa mentem manumittit, vt seruitutem miseram aliqua libertatis spes consolari possit.

PETRONIVS. Sane colorem reperisti.

GABRIEL. Ad haec non est coniugium, nisi inter viuos. Hic mortuo nubitur.

PETRONIVS. Repertus [est] alter color. Sed sineres, opinor, scabiosas scabiosis nubere, iuxta vetus illud adagium,

---

git cum semiuiuo cadauere. Si qua nubit sacerdoti, ludunt in unctum, at haec peius uncto nupsit. (1533,p.519) IF om. (ASD, p.596)
6 reipub.
36 est omissum est fortasse lapsu typographi

ὅμοιον πρὸς ὅμοιον.

GABRIEL. Si hoc mihi liceret, quod expediret reipublicae sinerem quidem iungi, sed inuctos exurerem.

PETRONIVS. Tum tu quidem Phalaridem ageres, non principem.

GABRIEL. An tibi Phalaris videtur medico, qui secat digitos aliquot, aut inurit corporis partem ne totum pereat? Mihi videtur ista crudelitas sed misericordia. Quod vtinam initio nascentis mali fuisset factum. Tum enim paucorum exitio, totius orbis saluti consuli poterat. Et huius facti reperimus exemplum in Gallorum annalibus.

PETRONIVS. At mitius erat illos castrati, ac summoueri.

GABRIEL. Foeminis porro quid faceres?

PETRONIVS. Adderem fibulas.

GABRIEL. Ita quidem profectum esset ne ex malis coruis nascantur mala oua; sed fatebor hoc esse mitius, si tu fatearis illud esse tutius. Nam pruriunt et execti; / nec vno modo (260v) transilit malum, sed osculo, sed colloquio, sed contactu, sed compotatiuncula serpit ad alios. Et videmus huic malo fatalem quandam maliciam aiunctam, vt quisquis eo tenetur, vel nullo suo commodo, gaudeat quam plurimis suam affricare scabiem. Iam submoti possunt fugere, possunt vel noctu, vel ignotis imponere; a mortuis vero nihil est periculi.

PETRONIVS. Tutius fateor, sed haud scio an conueniat Christianae mansuetudini.

GABRIEL. Dic age mihi vnde plus periculi, a simplicibus furibus an ab istis?

PETRONIVS. Fateor pecuniam multo viliorem bona valetudine.

GABRIEL. Et tamen hos Christiani suffigimus in crucem, nec appellatur crudelitas sed iustitia, et si rempublicam spectes, pietas est.

PETRONIVS. Verum ibi plectitur qui damnum dedit.

GABRIEL. Hi scilicet lucrum adferunt. Sed demus hoc malum nulla sua culpa contractum, quum tamen paucos reperias, quibus eam luem non conciliarit nequitia: iureconsulti docent interdum innoxios recte occidi, si id magnopere inersit reipublicae. Quemadmodum Graeci post euersam Troiam occiderunt Astyanactem Hectoris filium ne per illum bellum instauraretur. Nec putant impium, post extinctum tyrannum, et liberos innoxios trucidari. Quid quod nunquam non bellamus Christiani, neque tamen nesci-/

---

34 Iureconsulti

261r mus in bellis maximam malorum partem ad eos redire qui nihil commeruerunt? Idem vsu venit in represalibus, quae vocant. Qui laesit in tuto est, et spoliatur negociator; qui ne factum quidem audiuit, tantum abest vt in culpa fuerit. Quod si tali bus remedijs vtimur in rebus non ita magni momenti, quid censes faciendum in re omnium atrocissima?

PETRONIVS. Vincor veris.

GABRIEL. Tum illud mihi perpende. Apud Italos vt primum scintillare crepit pestilentia, occluduntur aedes; qui laboranti inseruiunt, submouentur a publico. Hoc quidem appellant inhumanitatem, quum summa sit humanitas. Siquidem hac vigilantia sit vt paucis funeribus sopiatur malum. At quanta est humanitas tot millium vitae consuli? Sunt qui parum hospitale putant quod Itali in rumore pestilentiae tempore vespertino hospitem portis submouent, coguntque sub dio noctem agere; at pietas est, paucorum incommodo, maximo reipublicae bono prospicere. Quidam sibi valde fortes videntur et officiosi, quod ausint quemuis pestilentia laborantem accedere, etiamsi nihil illic habeant negocij. At dum reuersi domum inficiunt vxores, liberos et totam familiam, quid ea fortitudine stultitius, quid officio inofficiosius vt salutes alienum, tibi cha-
(261v) rissimos in praesens / vitae discrimen adducere? Hic tamen quanto minus est periculi a pestilentia, quam ab hac scabie? Rarius afflat propinquos, nec fere senes attingit, et quos attigit, aut cito liberat aut restituit sanitati, puriores etiam quam antea fuerant. Haec quid aliud quam perpetua mors est, vel, vt verius dicam, sepultura. Obuoluuntur linteis et vnguentis more cadauerum.

PETRONIVS. Verissime narras. Saltem idem curae dandum erat huic tam excitati malo, quod datur leprosis. Aut si hoc quoque nimium est, nemo barbae syluam patiatur sibi demeti, aut sibi quisque tonsorem praestet.

GABRIEL. Quid si vterque claudat os?

PETRONIVS. Afflant naribus malum.

GABRIEL. Est et isti malo remedium.

PETRONIVS. Quodnam?

GABRIEL. Vt quod solent alcumistae addant personam quae per vitreas fenestellas praebeat lumen oculis, ori naribusque respirationem cornu a persona per anxillas in tergo porrecto.

---

37 alcumici (1533,p.523) IF mut. in Alcumistae (ASD,p.599)

PETRONIVS. Belle, si nihil metuendum est a contactu digitorum, linteorum, pectinis et forpicis.

GABRIEL. Optimum igitur barba vsque ad genua demittere.

PETRONIVS. Ita videtur. Deinde fiat edictum, ne quis idem sit tonsor et chirurgus.

GABRIEL. Ad famem relegas tonsores.

PETRONIVS. Minuant sumptus et aliquanto pluris radant.

GABRIEL. Esto.

PETRONIVS. Tum feratur lex, ne quis cum alio poculum habeat commune.

GABRIEL. Istam vix recipiat Anglia.

PETRONIVS. Neue duo misceantur eodem lecto praeter vxo/-
262r rem et maritum.

GABRIEL. Placet.

PETRONIVS. Ad haec in diuersorijs ne quis hospes indormiat linteis, in quibus alius indormijt.

GABRIEL. Quid facies Germanis qui vix lauant bis in anno?

PETRONIVS. Extimulent lotrices. Praeterea tollatur mos quamuis vetustus salutandi osculo.

GABRIEL. Etiamne in templis?

PETRONIVS. Tabellae sum quisque opponat manum.

GABRIEL. Quid de colloquio?

PETRONIVS. Vitetur illud Homericum Ἄγχι σχὼν κεφαλήν; et vicissim qui auscultat, comprimat labra.

GABRIEL. Vix istis legibus suffecerit duodecim tabulae.

PETRONIVS. Sed quid consulas interim infelici puellae?

GABRIEL. Quid? nisi vt libenter sit misera, quo sit minus misera; et suauio coniugis opponat manum tum armata cum illo dormiat.

PETRONIVS. Quonam hinc properas?

GABRIEL. Recta in museum.

PETRONIVS. Quid facturus?

GABRIEL. Pro epithalamio, quod postulant, scripturus epitaphium.

---

21 manõ
33 Epithalamio/Epitaphium

LB
830-831
ASD
601-602

IMPOSTVRA
LIVINIVS, PHILIPPVS

PHILIPPVS. Salue, Liuine.

LIVINIVS. Saluebo, si vis ita, sed a me tibi caue. Nam est animus imponere tibi nisi caues.

PHILIPPVS. Non est admodum metuendus hostis qui periculum denunciat. Sed age, falle si potes.

LIVINIVS. Ecce, iam fefelli, nec sentis adhuc. Iterum caue.

PHILIPPVS. Cum praestigiarum opinor artifice mihi res est. Nihil enim sentio imposturae.

LIVINIVS. Rursus aduerte mentem tuam ni velis decipi, (262v) sicuti / falsus es non semel.

PHILIPPVS. Hic sum, incipe.

LIVINIVS. Iam dudum mihi quod iubes peractum est.

PHILIPPVS. Quid actum, aut quid peractum? Nihil sentio doli.

LIVINIVS. Iam toties admonitus saltum adhibe attentum animum.

PHILIPPVS. Nouum praestigiarum genus. Ludor vt ais, neque quicquam artis sentio, quum obseruem et oculos et manus et linguam tuam. Sed age, rursus incipe.

LIVINIVS. Iterum atque iterum incipio, atque adeo toties facio, neque tu assequeris laqueos.

PHILIPPVS. Qua re mihi laqueos tendis?

LIVINIVS. Haec tibi inquam lingua dolos parat, nec auribus sentis, nec oculis vides. Nunc saltem habe attentos oculos et aures.

PHILIPPVS. Non possum magis, etiam si de capite ageretur. Sed falle rursum.

LIVINIVS. Iterum ecce fefelli, neque deprehendis artem.

PHILIPPVS. Enecas. Quaeso, dic quodnam est hoc praestigiarum genus?

LIVINIVS. Hactenus sum tibi loquutus carmine, atque adhuc loquor.

PHILIPPVS. Nihil minus sensi quam isthuc.

LIVINIVS. Primum tibi respondi duobus trimetris iambicis. Deinde trochaico tetrametro catalectico. Mox meris creticis sum loquutus. Post haec phalecio hendecassylabo. Deinde meris choriambis. Ad haec meris anapestis. Rursum tribus saphicis. Mox sotadico. Postremo trochaico tetrametro.

PHILIPPVS. Deum immortalem, quiduis suspicabar potius quam istud. Si vixero, aliquando vicem reponam. /

263r LIVINIVS. Huc, si quid potes.

PHILIPPVS. Ecce bis par pari retuli nec dolum percipis.

LIVINIVS. Hui, tam cito?

PHILIPPVS. Minatus sum tibi iambico tetrametro catalecticо, mox addidi creticos quinque.

LIVINIVS. Prorsus accidit vt videо, quod dici solet: Cretensis incidit in Cretensem.

PHILIPPVS. Sic est, sed illud precor vtrique nostrum, ne nobis vnquam occurrat impostura nocentior.

LB
831-833
ASD
603-609

CYCLOPS SIVE EVANGELIOPHORVS
POLYPHEMVS, CANNIVS

CANNIVS. Quid hic venatur Polyphemus?

POLYPHEMVS. Quid vener rogas sine canibus et venaculo?

CANNIVS. Forte nympham aliquam hamadryadem.

POLYPHEMVS. Pulchre diuinasti. En tibi rete venatorium.

CANNIVS. Quid ergo videо? Bacchum in exuuio leonis, Polyphemum cum codice? γαλῆ κροκωτόν.

POLYPHEMVS. Non croco tantum pinxi libellum, sed etiam minio lasurioque.

CANNIVS. Non loquor de croco, sed Graece dixi quiddam. Militaris videtur libellus, nam nodis laminis et circulis aereis armatus est.

POLYPHEMVS. Introspice.

CANNIVS. Videо. Sane per quem bellus est, sed nondum ornasti satis.

POLYPHEMVS. Quid deest?

CANNIVS. Addere debebas tua insignia.

POLYPHEMVS. Quae?

CANNIVS. Sileni caput e dolio prospiciens. Sed quid tractat? artem potaticam?

(263v) POLYPHEMVS. Vide ne quam imprudens / effutias blasphemiam.

CANNIVS. Quid igitur, estne sacri quippiam?

POLYPHEMVS. Est quo nihil sacratius, Euangelium.

CANNIVS. Ἡράκλεις. Quid Polyphemo cum Euangelio?

---

13 POLIPHEMVS
33 blasfemiam
35 euangelium
36 euangelio

POLYPHEMVS. Quin ita rogas quid Christiano cum Christo?

CANNIVS. Nescio, nisi quod te talem magis decet halbardacha. Nam si quis mihi ista specie ignotus occurreret in mari, piratam esse crederem; si in nemore, sicarium.

POLYPHEMVS. Atqui hoc ipsum nos decet Euangelium, ne quem iudicemus iuxta faciem. Quemadmodum enim saepenumero sub tunica cinericea latet animus tyrannicus, ita nonnnunquam attonsum caput, circumtorta barba, torua supercilia, truces oculi, vertet plumam ventilans, sagum militare, caligae intersectae, tegunt Euangelicum animum.

CANNIVS. Quid ni? nonnunquam et sub pelle lupina latet ouis et, si qua fides apologis, sub exuuio leonis latet asinus.

POLYPHEMVS. Imo ego noui qui ouem gestat in vertice, vulpem in pectore, cui libens optarim, vt quam habet nigros oculos, tam habeat candidos amicos, tamque probe inauretur, quam colorem habet inauraturae congruum.

CANNIVS. Si ouem gestat in vertice, qui pileum gestat ouillum, quam tu incedis onustus, quum ouem simul et struthiocamelum gestes in capite? Tum non absurdius facit, qua auem portat in capite, asinum in pectore?

POLYPHEMVS. Mordes.

264r CANNIVS. Sed belle res habue-/rit, si quam tu decorasti varijs ornamentis Euangelium, tam te vicissim exornet. Ornasti coloribus vtinam exornet te bonis moribus.

POLYPHEMVS. Curabitur.

CANNIVS. Vt soles.

POLYPHEMVS. Sed omissis conuicijs. Itane damnas eos qui circunferunt codicem Euangelicum?

CANNIVS. Minime gentium.

POLYPHEMVS. Quid? an tibi videor minimus gentium, vel asinino capite te procerior?

CANNIVS. Non arbitror tanto, si asinus arrigat auriculas.

POLYPHEMVS. Certe bubalino.

CANNIVS. Placet collatio; sed ego minime dixi, non minime.

POLYPHEMVS. Quid interest inter ouum et ouum?

CANNIVS. Quid interest inter medium digitum et infimum?

POLYPHEMVS. Medius est longior.

2-3 habarddacha
5 euangelium
10 euangelicum
23 euangelium
28 euangelicum
34 minimẽ

CANNIVS. Scite, quid interest inter asininas auriculas et lupinas?

POLYPHEMVS. Lupinae sunt breuiores.

CANNIVS. Rem tenes.

POLYPHEMVS. Et ego longa breuiaque palmo et vlna metiri soleo, non auribus.

CANNIVS. Age, qui Christum gestauit dictus est Christophorus: tu qui Euangelium portas, pro Polyphemo dicendus es Euangeliophorus.

POLYPHEMVS. An sanctum non putas portare Euangelium?

CANNIVS. Non nisi tu fatearis esse sanctissimos asinos.

POLYPHEMVS. Quid sic?

CANNIVS. Quia vnus sufficit gestandis tribus istiusmodi codicum milibus nec te crediderim futurum imparem oneri, si probe sis clitellatus.

POLYPHEMVS. Nihil absurdi sic asino tribuere sanctimoniam, quia gestauit Christum.

(264v) CANNIVS. Istam sanctimoniam tibi non inuideo. Et, / si vis donabo tibi reliquias illius asini cui Christus insedit, vt exosculeris.

POLYPHEMVS. Dabis munus gratissimum. Nam asinue ille con tactu corporis Christi consecratus est.

CANNIVS. Sane (...) age dic serio, nonne pium est circunferre codicem Euangelicum?

CANNIVS. Pium, si absit hypocrisis, si vere id fiat.

POLYPHEMVS. Abeat hypocrisis in malam rem, quid militi cum hypocrisi?

CANNIVS. At primum expedi mihi quid sit hypocrisis.

POLYPHEMVS. Quum aliud prae te fers, quam lateat in animo.

CANNIVS. Sed quid praefert circumlatus Euangelij codex? Nonne vitam Euangelicam?

POLYPHEMVS. Opinor.

CANNIVS. Ergo vbi vita non respondet codici nonne hypocrisis est?

POLYPHEMVS. Videtur. Sed quid est vere codicem Euangelicum circunferre?

---

8 euangelium
10 euangelium
23 Christum contigerunt et qui illi impegerunt alapas. PO. Sed (1533,p.527) IF om. (ASD,p.605)
24 euangelicum
26 ad monachos (1533,p.527) IF mut (ASD,p.605)
30 euangelij
31 euangelium
35 euangelium

CANNIVS. Quidam circunferunt manibus, (...) idem possunt et baluli Lutetiani, et asini, et cantherij. Sunt qui circunferant ore, nihil crepantes nisi Christum et Euangelium, hoc est pharisaicum. Quidam circunferunt animo. Proinde vere circunfert, qui et manibus et ore et corde portat Euangelium.

POLYPHEMVS. Vbi sunt isti?

CANNIVS. In templis diaconi, qui portant codicem pronunciant populo, et tenent corde.

POLYPHEMVS. Tametsi non omnes sancti sunt, qui animo gestant Euangelium.

CANNIVS. Ne mihi sophistam agas. Non gestat animo, nisi
265r qui medullitus amat. Nemo / penitus amat, nisi qui moribus exprimit Euangelium.

POLYPHEMVS. Istas subtilitates non assequor.

CANNIVS. At dicam crassiore Minerua. Si lagenam vini Belnensis gestes humeris, quid aliud est quam onus?

POLYPHEMVS. Nihil aliud.

CANNIVS. Si teneas faucibus, ac mox expuas?

POLYPHEMVS. Haud profuerit, quanquam id quidem non soleo.

CANNIVS. Sin vt soles, affatim haurias?

POLYPHEMVS. Nihil diuinius.

CANNIVS. Concalescit omne corpus, tubescit facies, hilarescit frons.

POLYPHEMVS. Prorsus.

CANNIVS. Tale quiddam est Euangelium in animi venas demissum, innouat totum hominis habitum.

POLYPHEMVS. Videor igitur tibi parum Euangelice viuere?

CANNIVS. Istam quaestionem nemo te dissoluerit rectius.

POLYPHEMVS. Si bipenni res agatur.

CANNIVS. Si quis in os te vocet mendacem aut ganeorum, quid facias?

POLYPHEMVS. Quid faciam? sentiret pugnos meos.

CANNIVS. Quid si quis tibi impingat colaphum?

---

1 quemadmodum Franciscani Francisci regulam (1533,p.527) IF om. (ASD,p.606)
5 euangelium
10 euangelium
13 euangelium
25 euangelium
27 euangelice

POLYPHEMVS. Amputarem illi collum pro colapho.

CANNIVS. Atqui codex tuus docet, vt pro conuicio referas benignum sermonem, et ferienti maxillam dextram porrigas et sinistram.

POLYPHEMVS. Legi, sed exciderat.

CANNIVS. Oras, opinor, frequenter.

POLYPHEMVS. Isthuc est pharisaicum.

CANNIVS. Pharisaicum est prolixe precari, sed fucate. At tuus codex docet semper orandum sed ex animo.

POLYPHEMVS. Attamen oro nonnumquam.

CANNIVS. Quando?

(265v) POLYPHEMVS. Quum venit in mentem, semel aut bis hebdomade.

CANNIVS. Quid tum oras?

POLYPHEMVS. Precationem dominicam.

CANNIVS. Quoties?

POLYPHEMVS. Semel. Nam vetat Euangelium battologiam eadem iterantem.

CANNIVS. Potes attentus absoluere precationem dominicam?

POLYZHEMVS. Nunquam id tentatum est. An non satis quod voce pronuncio?

CANNIVS. Nescio, nisi quod Deus melius audit cordis vocem. Crebro ieiunas?

POLYPHEMVS. Nunquam.

CANNIVS. At tuus codex probat precationem et ieiunium.

POLYPHEPMVS. Probarem et ego, nisi aliud flagitaret venter.

CANNIVS. At Paulus negat eos seruire Iesu Christo, qui ventri seruiunt. Vesceris carnibus quouis die?

POLYPHEMVS. Quum dantur.

CANNIVS. Atqui ista gladitoria laterum firmitas vel foeno arborumque corticibus poterat ali.

POLYPHEMVS. Sed Christus dimit inquinari hominem his, quae intrant in os.

CANNIVS. Ita, si modice, si praeter offendiculum. At Paulus Christi discipulus mauult fame mori, quam fratrem infirmum offendere suo cibo; nosque ad suum hortatur exemplum, vt omnibus per omnia placeamus.

POLYPHEMVS. Paulus est Paulus, ego sum ego.

CANNIVS. At Aegonis est capras pascere.

POLYPHEMVS. Malim esse.

---

16 euangelium Battologiam
21 deus

CANNIVS. Pulchre tibi precaris, caper citius fies, quam capra.

POLYPHEMVS. Esse dixi pro edere.

CANNIVS. Eleganter. Libenter succurris pauperibus?

POLYPHEMVS. Non est quod dem.

266r CANNIVS. Et esset si sobris viueres, si gnauiter / laborares.

POLYPHEMVS. Dulce est ocium.

CANNIVS. Seruas praecepta Dei?

POLYPHEMVS. Graue est.

CANNIVS. Agis admissorum poenitentiam?‡ etiam a confessario iniunctam? ‡

POLYPHEMVS. Christus pro nobis dependit.

CANNIVS. Vnde igitur declaras te amare Euangelium?

POLYPHEMVS. Dicam; (...) quidam apud nos non desinebat e suggesto deblaterare in Nouum Testamentum Erasmi, conueni hominem priuatim, laeuam inieci capillis, dextra pugilem egi, suggilaui illum magnifice, totamque faciem tuber reddidi. Quid ais? Non est hoc fauere Euangelio? Deinde absolui illum a commissis, hoc ipso cadice ter in verticem impacto, fecique tria tubera, in nomine Patris, et Filij et Spiritus Sancti.

CANNIVS. Satis quidem Euangelice. Isthuc nimirum est Euangelium Euangelio defendere.

POLYPHEMVS. Occurrit alter eiusdem sodalitij, qui nullum neque modum neque finem faciebat debacchandi in Erasmum. Accensus Euangelico zelo, minis hominem adegi, vt vtroque genu flexo rogaret veniam, fatereturque se quae dixerat, instigante diabolo dixissem: ni fecisset, iam halbardacha erat in ceruicem vibrata. Vultus erat qualis esse solet Martis irati. Hoc gestum est coram aliquot testibus.

CANNIVS. Miror hominem non fuisse protinus examinatum. Sed vt pergamus. Viuis caste?

POLYPHEMVS. Id fortasse fiet vbi senuero. Sed vis tibi / (266v) verum fatear, Canni?

CANNIVS. Non sum sacerdos, si confiteri libet alium quaere.

---

9 dei
11-12 IF add.
14 euangelium
15 Franciscanus (1533,p.529) IF om. (ASD,p.608)
16 testamentum
19 euangelio
21 patris/filij/spiritus sancti
22 euangelice
26 euangelico

POLYPHEMVS. (...) Tibi fateor me nondum esse perfectum Euangelicum, sed vnum e populo. Habemus quatuor Euangelia. Nos Euangelici quatuor res potissimum venamur, vt ventri bene sit, ne quid desit ijs quae sub ventre sunt, tum vt sit vnde viuamus, postremo vt liceat quod lubet agere. Haec si suppetant, inter pocula clamamus: Io triumphe, io paean, viuit Euangelium, regnat Christus.

CANNIVS. Ista quidem Epicurea vita est, non Euangelica.

POLYPHEMVS. Haud infitior. Sed scis Christum omnipotentem esse, potest repente vertere nos in alios homines.

CANNIVS. Potest et in sues quod quidem procliuius arbitror, quam in bonos viros.

POLYPHEMVS. Vtinam non essent peiores in mundo subus, bubus, asinis et camelis. Multos videas leonibus truculentiores, lupis rapaciores, passeribus salaciores, canibus mordaciores, viperis nocentiores.

CANNIVS. At iam tempus est vt ex animante bruto in hominem incipias verti.

POLYPHEMVS. Recte mones. Nam horum temporum prophetae dicunt instare supremum mundi diem.

CANNIVS. Tanto magis properandum.

POLYPHEMVS. Expecto Christi manum.

CANNIVS. Vide vt tu manui ceream praebeas materiam. Sed vnde colligunt, in propinquo esse mundi finem?

267r POLYPHEMVS. Quoniam, inquiunt, idem nunc faciunt / homines quod faciebant imminente diluuio, epulantur, potant, commessantur, ducunt, nubunt, scortantur, emunt, vendunt, foenerant et foenerantur, aedificant, reges belligerantur, sacerdotes student augendis censibus, theologi nectunt syllogismos, monachi per orbem cursitant, populus tumultuatur, Erasmus scribit colloquia. Denique nihil malorum abest, fames, sitis, latrocinia, bellum, pestilentia, seditio, rerum bonarum inopia. An non haec arguunt adesse finem rerum humanarum?

CANNIVS. Ex hoc malorum aceruo quid tibi est molestissimum?

POLYPHEMVS. Diuina.

CANNIVS. Quod crumenam tuam obsident araneae.

---

1 Deo soleo confiteri (1533,p.530) IF om. (ASD,p.608)
2 euangelicum/euangelia
6 euangelium
8 euangelica
24-25 finem? Quoniam fortasse lapsu typographi

POLYPHEMVS. Dispeream nisi rem acu tetigisti. Nunc venio recens a compotatione; alias sobrius tecum disputabo, si voles, de Euangelio.

CANNIVS. Quando te videbo sobrium?

POLYPHEMVS. Quando fuero.

CANNIVS. Quando eris?

POLYPHEMVS. Quum videris. Interim, mi Canni, sis felix.

CANNIVS. Tibi vicissim opto vt sis quod diceris.

POLYPHEMVS. Ne me vincas officio, precor ne Cannium vnquam destituat, vnde cognomen sortitus est.

,B
334 A-D
ASD
610-611

ΑΠΡΟΣΔΙΟΝΥΣΑ SIVE ABSVRDA
ANNIVS ET LEVCIVS

ANNIVS. Audio te interfuisse nuptijs Pancratij et Albinae.

(267v) LEVCIVS. Nunquam antehac infelicius naui-/gaui quam hoc tempore.

ANNIVS. Quid ais? Tanta fuisse hominum frequentiam?

LEVCIVS. Nec vnquam mihi vilior fuit vita, quam id temporis.

ANNIVS. Vide quid faciant opes. Ad meas nuptias pauci conuenerunt, idque tenues.

LEVCIVS. Vix fueramus ingressi pelagus, ortus est ingens turbo.

ANNIVS. Narras deorum coetum. Totne aderant viri principes, tot matronae nobiles.

LEVCIVS. Boreas dissecuit velum, dissectumque dissipauit.

ANNIVS. Desponsam noui. Nihil fingi potest venustius.

LEVCIVS. Mox fluctus reuulsit clauum.

ANNIVS. Idem videtur omnibus. Nec sponsus admodum illi cedit, vt aiunt, formae gratia.

LEVCIVS. Quid animi censes nobis illic fuisse?

ANNIVS. Sane rarum nunc est virgines nubere.

LEVCIVS. Remigandum nobis erat.

ANNIVS. Dotem vix credibilem narras.

LEVCIVS. Ecce mox aliud malum.

ANNIVS. Quur puellam impuberem commiserunt tam feroci?

LEVCIVS. Apparuit piratarum nauis.

---

3 euangelio

ANNIVS. Profecto sic est, in multis nequitia supplet ae tatem.

LEVCIVS. Ibi nobis geminum fuit bellum alterum cum mari, alterum cum praedonibus.

ANNIVS. Hui tantum denariorum? Interim pauperibus nemo dat festucam.

LEVCIVS. Quid? cederemus? Imo desperatio vitae addebat animos.

ANNIVS. Vereor ne sint steriles nuptiae, si vera praedicas.

LEVCIVS. Imo iniecimus harpagones.

268r ANNIVS. O rem nouam, ante / nuptias grauida?

LEVCIVS. Si spectasses eum conflictum, fatereris me non esse foeminam.

ANNIVS. Vt audio coniugum hoc non solum ratum est, sed etiam consumatum.

LEVCIVS. Insiluimus in nauim piraticam.

ANNIVS. At demiror te vocatum alienum, me praeterito, qui tertio propinquitatis gradu sponsae patrem contingo.

LEVCIVS. Ipsos in mare praecipites dedimus.

ANNIVS. Vera praedicas, infelicium nulli sunt affines.

LEVCIVS. Quicquid erat praedae inter nos partiti sumus.

ANNIVS. Expostulato cum puella primo quoque tempore.

LEVCIVS. Mox exorta est subita tranquillitas, dixisses esse Alcedonia.

ANNIVS. Si illi res est, mihi est animus. Nihil moror illius beneuolentiam.

LEVCIVS. Ita pro vna duas naues in portum deduximus.

ANNIVS. Indignetur qui alit.

LEVCIVS. Quo eam rogas? In templum veli partem dicaturus diuo Nicolao.

ANNIVS. Hodie non est liberum mihi. Nam ipse domi conuiuas expecto, alias non excusabo.

---

24 tranquilitas

LB
834-837
ASD
612-619

ΙΠΠΕΥΣ ΑΝΙΠΠΟΣ
SIVE EMENTITA NOBILITAS
HARPALVS, NESTORIVS

HARPALVS. Potes me tuo leuare consilio. Senties me homi-
nem non immemorem, nec ingratum.

NESTORIVS. Dabo expeditum, vt sis quod esse velis.

HARPALVS. At nobis in manu non est, vt nascantur nobiles.

NESTORIVS. Si non est, enitere benefactis, vt a te ini-
tium capiat nobilitas.

(268v) HARPALVS. / Perlongum est.

NESTORIVS. Exigua summa tibi vendet Caesar.

HARPALVS. Vulgo ridetur emptitia nobilitas.

NESTORIVS. Quum nihil sit magis ridiculum quam ementita nobilitas, quid est vt tantopere affectes nomen equitis?

HARPALVS. Sunt causae, nec leues, quas tibi non grauabor indicare, si mihi commonstraris rationes, quibus nobilitatis opinionem mihi parem apud vulgus.

NESTORIVS. Nomen absque re?

HARPALVS. Atqui quum res abest, proximum est opinio. Sed age, consule Nestori, vbi causas audieris, fateberis operae precium.

NESTORIVS. Quando ita vis, dicam. Primum fac procul te abducas a patria.

HARPALVS. Memini.

NESTORIVS. Ingere te in conuictum iuuenum vere nobilium.

HARPALVS. Intelligo.

NESTORIVS. Hic primum orietur suspicio, te talem esse, cum quibus victitas.

HARPALVS. Sic est?

NESTORIVS. Vide ne quid habeas plebeium.

HARPALVS. Quidnam?

NESTORIVS. De culto loquor. Ne vestis sit lanea, sed aut serica, aut, si deest qui emas, fustanea, denique vel canabea potius quam pannea.

HARPALVS. Recte.

NESTORIVS. Vide ne quid sit integrum, sed disseca pileum, thoracem, caligas, calceos, vngues si potes, neue quicquam humile loquaris. Siquis ex Hispania geniat hospes, roga quomodo

---

6 scis fortasse lapsu typographi

conueniat Caesari cum Pontifice, quid agat affinis tuus comes a Nassauen, quid caeteri congerrones tui.

HARPALVS. Fiet.

269r NESTORIVS. / Sit anulus in digito cum gemma signatoria.

HARPALVS. Si quidem loculi ferant.

NESTORIVS. At paruo constat anulus aureus inauratus cum gemma factitia. Sed adde clypeum cum insignibus.

HARPALVS. Quaenam mihi suades deligam?

NESTORIVS. Duo mulctra si velis, et cantharum ceruisiarium.

HARPALVS. Ludis, age, dic serio.

NESTORIVS. Nunquam fuisti in bello?

HARPALVS. Ne vidi quidem.

NESTORIVS. At interim, opinor, decollasti anseres et capitos rusticorum.

HARPALVS. Persaepe et quidem fortiter.

NESTORIVS. Pone machaeram argenteam, tria anserum capita aurea.

HARPALVS. In quo solo?

NESTORIVS. Quo? nisi sanguinolento, monumentum fortiter effusi cruoris.

HARPALVS. Quid ni? rubet sanguis anserinus aeque atque humanus. Sed perge, obsecro.

NESTORIVS. Nunc igitur clypeum pro foribus omnium diuersoriorum, in quibus forte versatus es, affigendum curato.

HARPALVS. Quid addetur galeae?

NESTORIVS. Recte submones. Eam faciles ore dissecto.

HARPALVS. Quam ob rem?

NESTORIVS. Vt spires, deinde vt congruat vestitui. In vertice quid eminebit?

HARPALVS. Expecto.

NESTORIVS. Caput canis demissis auribus.

HARPALVS. Vulgatum est.

NESTORIVS. Adde duo cornua: rarum hoc est.

HARPALVS. Placet. Sed quae bestiae sustinebunt clypeum?

NESTORIVS. Ceruos, canes, dracones, gryphes occuparunt principes; tu ponito duas harpyas.

HARPALVS. Optime consulis.

9-10 ceruiciarium
34-35 hoc est. NE. Placet fortasse lapsu typographi
36 HA. Ceruos fortasse lapsu typographi

(269v) NESTORIVS. Re/stat cognomen. Hic illud in primis cauendum, ne plebeio more te patiaris vocari Harpalum Comensem. Sed Harpalum a Como, hoc enim nobilium est, illud sordidorum theologorum.

HARPALVS. Sic memini.

NESTORIVS. Habesne quicquam cuius te possis appellare dominum?

HARPALVS. Ne haram quidem.

NESTORIVS. In vrbe celebri natus est?

HARPALVS. In obscuro pago. Non enim fas est ei mentiri vnde petis medicinam.

NESTORIVS. Recte est. Sed ei pago nullus est vicinus mons?

HARPALVS. Est.

NESTORIVS. Et habet alicunde rupem?

HARPALVS. Habet praeruptam.

NESTORIVS. Ergo sis Harpalus eques ab aurea rupe.

HARPALVS. Atqui mos est magnarum, vt suum quisque symbolum habeat vocale, quemadmodum Maximilianus habebat: Tene mensuram; Philippus: Quid volet; Carolus: Vlterius. Item alius aliud.

NESTORIVS. Tu ascribito: Omnis iacta sit alea.

HARPALVS. Nae tu percommode dicis.

NESTORIVS. Iam quo firmior sit hominum opinio, fingito literas a magnatibus ad te missas, in quibus identidem appelleris eques clarissimus, magnarumque rerum fiat mentio, de feudis, de arcibus, de multis florenorum milibus, de praefecturis, de matrimonio opulento. Curabis vt huiusmodi literae tibi velut elapsae aut per obliuionem relictae veniant ad aliorum manus.

HARPALVS. Istud quidem erit mihi commodum; nam et literas noui, et hanc facultatem multo vsu paraui, vt cuiusmodi manum facile effigam.

270r NESTORIVS. / Interdum insue vesti, aut relinque in crumena, vt quibus sarciendi negocium dederis, illic reperiant. Illi non silebunt, et tu simul ac resciueris, compones vultum ad iracundiam ac moesticiam, quasi doleat casus.

HARPALVS. Est isthuc iam pridem meditatus sum, vt faciem tam facile mutem quam personam.

NESTORIVS. Ita fiet, vt nec fucus subuoleat, et res cum

---

9 coelebri
18 Aqui emendatum est in erratis

fide spargatur.

HARPALVS. Curabitur sedulo.

NESTORIVS. Deinde sodales aliquot asciscendi sunt, aut etiam famuli, qui tibi cedant loco, et apud omnes mi Ionche rum appellent. Nec est, quod hic sumptum metuas. Sunt plurimi iuuenes, qui vel gratis cupiant hanc agere fabulam. Adde huc, quod haec regio scatet iuuenibus eruditulis, qui mira tenentur scribendi libidine, ne dicam scabine. Nec desunt famelici quidam typographi, nihil non audentes, si spes quaestus affulserit. Ex his aliquot suborna, qui in libellis suis te praedicent patriae procerem, idque subinde repetatur literis maiusculis. Hac via vel in Bohemia celebrabunt procerem patriae. Et citius enim et latius discurrunt libelli quam voces, aut quamlibet loquaces famuli.

HARPALVS. Nec ista displicet ratio. At famuli sunt alendi.

NESTORIVS. Sunt at non ales famulos ἀχείρους, et ob id ὀχρείους. Mittantur huc et illuc, inuenient aliquid. Scis varias esse talium rerum occasiones.

HARPALVS. Desine. Teneo rem.

NESTORIVS. Supersunt artes.

HARPALVS. Aueo scire.

(270v) NESTORIVS. Ni sis / bonus aleator, probus chartarius, scortator improbus, potator strenuus, profusor audax, decoctor et conflator aeris alieni, deinde scabie ornatus Gallica, vix quisquam te credet equitem.

HARPALVS. In istis quidem iam pridem exercitatus sum. Sed vnde sumtpus?

NESTORIVS. Mane, isthuc ibam. Est tibi patrimonium?

HARPALVS. Perpusillum.

NESTORIVS. Posquam apud multos confirmata fuerit nobilitatis opinio, facile reperies fatuos qui tibi credant; quosdam etiam pudebit negare, quidam metuent. Iam vt ludas creditores, mille sunt artes.

HARPALVS. Harum quidem rudis non sum. Sed tandem vrgebunt, vbi perspexerint nihil esse nisi verba.

NESTORIVS. Imo nulla est commodior ad regnum via, quam debere quamplurimis.

---

7 eriditulis emendatum est in erratis
18 ἀχείρους emendatum est in erratis

HARPALVS. Qui sic?

NESTORIVS. Primum creditor obseruat te non aliter quam obligatus magno beneficio; vereturque ne quam praebeat ansam amittendae pecuniae. Seruos nemo magis habet obnoxios, quam debitor suos creditores, quibus si quid aliquando reddas, gratius est quam si dono dones.

HARPALVS. Animaduerti.

NESTORIVS. Illud tamen caueto, ne cum tenuibus habeas commercium. Nam hi ob paruulam summulam ingentes excitant tragoedias. Placabiliores sunt, quibus lautior est fortuna, cohibet illos pudor, lactat spes, deterret metus, norunt quid possunt equites. Postremo / quum innundauerit aeris alieni magni
271r tudo, fictis causis alio demigra, atque inde rursus alio. Nec est quod huius rei te pudeat. Nulli magis obaerati sunt quam magni principes. Si quis rusticus vrgeat, finge offensum improbitate animum. Interdum tamen aliquid reddito, verum nec totum, nec omnibus. Illud vbique curandum ne cui suboleat tibi prorsus exhaustos loculos. Semper ostenta.

HARPALVS. Quid ostendet qui non habet?

NESTORIVS. Si quid amicus apud te deposuit, ostenta pro tuo, sed artem dissimula, cura vt casus videatur. In hunc vsum interdum sumito pecuniam commodato, quam mox reddas. Ex loculo nummis aereis distinto, profer aureos duos ibi sepositos. Caetera ex te ipso conijcito.

HARPALVS. Intelligo. At tandem obruar oportet aere alieno.

NESTORIVS. Scis quantum apud nos liceat equitibus.

HARPALVS. Nihil non,et quidem impune.

NESTORIVS. Ergo famulos ale non segnes, aut etiam sanguine propinquos, qui alioqui forent alendi. Occurret negociator quem obuium spolient. Reperient aliquid in diuersorijs, aut in aedibus, aut in nauibus incustoditum. Tenes? Meminerint non frustra datos homini digitos.

HARPALVS. Siquidem tuto.

NESTORIVS. Cura vt habeas pulchre vestitos cum insignibus. Committe literas fictitias ad summates. Si quid clam sus
(271v) tulerint, nul/lus audebit illos insimulare, etiam si quid suspicentur, timebunt equitem dominum; sin vi praedam extorserit,

---

14 oberati
18 exaustos

bellum vocabitur. His pro gymnasmatibus ad bellum praeluditur.

HARPALVS. O felix consilium.

NESTORIVS. Iam illud equestre dogma semper erit tuendum, ius fasque esse equiti, plebeium viatorem exonerare pecunia. Quid enim indignius, quam ignobilem negociatorem abundare nummis, quum interdum eques non habeat, quod impendat scortis et aleae? Fac semper te adiungas magnatibus, vel ingeras potius, ne quid pudeat, perfricanda frons est, sed praesertim hospitibus, eoque praestat in celebri quopiam loco vitam agere, puta in thermis, frequentibus diuersorijs.

HARPALVS. Isthuc ipsum erat in animo.

NESTORIVS. Hic saepenumero fortuna praedam obijcit.

HARPALVS. Qui, rogo?

NESTORIVS. Puta, hic aut ille reliquit crumenam, aut oblitus reliquit clauim in sera promptuarij. Caetera tenes.

HARPALVS. At.

NESTORIVS. Quid metuis? de sic culto, de tam magnifice loquente, de equite ab aurea rupe, quis audebit suspicari? Et si equis forte tam improbus extiterit, quis erit tam audax vt te appellet? Interim suspicio deriuabitur in aliquem hospitum, qui pridie discesserint. Turbaduntur famulicia cum pandocheo. 272r Tu tranquillus tuam personam agi-/to. Hoc si acciderit homini modesto cordatoque silebit, ne simul cum damno lucrifaciat pudorem, qui rem suam indiligenter seruauerit.

HARPALVS. Non absurde dicis. Nam nosti, opinor, comitem a vulture albo.

NESTORIVS. Quid ni?

HARPALVS. Apud hunc diuersatus est, vt accepi, Hispanus quidam, specie cultuque sane quam liberali. Is abstulit florenos sexcentos, nec vnquam comes ausus est queri. Tanta erat hominis maiestas.

NESTORIVS. Habes exemplum. E famulis tuis interdum aliquem emandes, in bellum scilicet. Is spoliatis templis aut monasterijs quibuslibet, redibit onustus praeda bello parta.

HARPALVS. Hoc quidem est tutissimum.

NESTORIVS. Est et alia ratio conflandae pecuniae.

HARPALVS. Narra, obsecro.

NESTORIVS. In bene nummatos finge causas irarum, praesertim in monachos aut sacerdotes, qui nunc apud nos fere summa

---

1 ad cellum emendatum est in erratis
17 metui fortasse lapsu typographi

laborant inuidia. Alius irriserit aut conspuerit clypeum tuum, alius parum honorifice de te sit loquutus, alius scripserit aliquid quod in calumniam detorqueri valeat. His per feciales tuos ἄσπονδον πόλεμον denuncia. Sparge minas atroces, excidia, exitia, πανωλεθρίας meras; territi venient ad componendam litem. Ibi fac magno aestimes tuam dignitatem, hoc est, iniquum petas, vt aequum feras. Si postules tria millia, pudebit minus offerre quam / ducentos aureos. (272v)

HARPALVS. Alijs minitabor leges.

NESTORIVS. Istud propius quidem accedit ad sycophanticam, sed tamen iuuat et hoc in partem. Sed, heus Harpale, pene excciderat quod dictum in primis oportuit, puella quaepiam bene dotata in matrimonij nassam illaquenda est. Habes apud te philtrum, iuuenis es, candidulus es, lepidus nugator es, rides blandum. Sparge te magnis promissis ascitum in aulam Caesaris. Amant puellae satrapis nubere.

HARPALVS. Noui quibus hoc bene cesserit. Caeterum quid si fucus tandem erumpat, et insiliant vndique creditores? Irridebor personatus eques. Nam id apud istos turpius est, quam si templum sacrilegio spolies.

NESTORIVS. Hic oportet meminisse perfrictae frontis. Illud in primis, quod nullis vnquam temporibus magis licuit audacia pro sapientia vti, quam hodie. Comminiscendum est aliquid quod excuses. Deinde nunquam deerunt candidi qui faueant tuae fabulae, nonnulli ciuiliores dissimulabunt intellectum fucum. Postremo si nihil aliud, profugiendum est aliquo in bellum, in tumultum. Quemadmodum κλύζει θάλασσα πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά, ita bellum operit omnium scelerum sentinam. Nec enim habent hodie bonus belli dux nisi tali tyrocinio praeparatus accesserit. Hoc / erit extremum asylum, si cuncta fe- 273r
fellerint. Verum omnis mouendus erit tibi lapis ne huc veniatur. Vide ne te securitas opprimat, oppidula minuta fuge, in quibus ne pedere quidem licet, ni populus sciat; in magnis ac frequentibus ciuitatibus plus est licentiae, nisi si qua sit Massiliae similis. Dissimulanter expiscare, quid quisque de te loquatur. Vbi senseris huiusmodi voces increbescere: quid agit? quur hic tot annos moratur? quur non reuisit patriam? quur negligit arces suas? vnde ducit imagines? vnde tantas profusioni facultates? Hoc genus, inquam, voces, vbi coeperint magis

---

3 feci ales
16 Satrapis

gliscere, tum mature tibi demigrando cogitandum est, sed sit fuga leonina, non leporina. Adsimula te vocarit in aulam Caesaris ad res magnas, breui te adfuturum cum exercitu. Non audebunt in absentem hiscere, quibus est quod nolint amittere. Sed in primis tibi censeo cauendum genus istud hominum poeticum irritabile, nigrumque. Illinunt chartis, si quid illos habet male subitoque per orbem spargitur quicquid illeuerint.

HARPALVS. Dispeream ni mihi vehementer placet tuum consilium. Efficiam vt intelligas te nactum docile ingenium et iuuenem minime ingratum. Equum quem primum te dignum nactus in
(273v) pasculis fuero, tibi do/no mittam.

NESTORIVS. Nunc superest vt quod pollicitus es, vicissim praestes. Quid est quur tantopere affectes falsam opinionem nobilitatis?

HARPALVS. Nullam aliam ob causam, nisi quod his omnia licent impune. An hoc tibi leue videtur momentum?

NESTORIVS. Vt pessime cedat, mors vna debetur naturae, etiamsi vixisses in Carthusia. Et leuius moriuntur in rota, quam qui moriuntur calculo, podagra, aut paralysi. Nam militare est credere, nihil hominis superesse post mortem, praeter cadauer.

HARPALVS. Sic opinor.

LB
838-841
ASD
620-628

ΑΣΤΡΑΓΑΛΙΣΜΟΣ SIVE TALORVM LVSVS

CAROLVS, QVIRINVS

QVIRINVS. Disce, inquit, Cato, sed a doctis. Cupio itaque, mi Vtenhoui, te magistro discere, quam ob rem prisci illi religionis antistites edixerint, vt clerici talaribus tunicis vterentur, hoc est, vsque ad talos demissis.

CAROLVS. Duabus opinor de causis. Primum verecundiae gratia, ne quid nudi pateret oculis. Nam olim nec hoc caligarum genus fuit repertum, quod nunc ab ilibus vsque ad imos pedes corpus tegit, neque subligaribus aut foemoralibus vulgo vtebantur. Eadem de causa, turpe est foeminis breuioribus vti ves
274r timentis, quo magis consultum sexus pudori. Deinde / vt non solum moribus, verum etiam habitu differrent a populo, in quo vt quisque est prophanissimus, ita breuissimis tunicis vti gaudet.

QVIRINVS. Non dissimile veri est quod narras. Caeterum ex Aristotele, Plinioque didici, nulli hominum esse talos, sed tantum quadrupedibus, non tamen omnibus sed bisulcis plerisque

23 ΑΣΤΥΑΓΑΛΙΣΜΟΣ

nec rursus his nisi in tibijs posterioribus. Vnde igitur vestis dici talaris potest, quam gestat homo, nisi fuerint homines olim quadrupedes, iuxta fabulam Aristophanis?

CAROLVS. Imo si credimus Oedipo et quadrupedes et tripedes et bipedes inueniuntur homines, nec raro nobis e bello redeunt vnipedes, interdum apodes; sed quod tali vocabulum attinet, rectius mireris, si legas Horatium, qui fabulis quoque talos attribuit. Sic enim opinor scribit in Arte poetica:

Securus, cadat an recto stet fabula talo.

QVIRINVS. Poetis licet, vt libet, loqui: apud quos Tmolus habet aures, et naues loquuntur et saltant quercus.

CAROLVS. Quin et Aristoteles tuus hoc te docere poterat esse talos dimidiatos, quos ille vocat ἡμιαστραγάλους , quales tradit esse lyncum generi. Addit leonibus inesse quiddam vice tali, sed anfractuosum, quod ille vocat λαβυρινθῶδες . Plinius vertit tortuosum. Denique vbicunque committuntur ossa
(274v)ossibus ad flexus commoditatem / caua prominentibus inter se respondent, vtrinque lubrica cartilagine communitis, ac velut incrustatis partibus, ne mutuo attritu sese laedant, vt idem docet Aristoteles. In his fere est aliquid quod a tali similitudine pariter et vsu non discrepat, velut in ima tibia iuxta calcaneum, vbi totius pedis flexus est, prominet quiddam talo simile, quod Graeci σφυρόν appellant. Rursus in flexura genu; quod, ni fallor, ἰσχίον appellant, quidam vertebrum. Simile quiddam videmus in coxendicibus, in humeris; pœ tremo in commissuris digitorum, pedis ac manus. Quod ne tibi mirum videatur, Graeci tradunt ἀστραγάλου vocabulum apud probatos autores tributum etiam ossibus quibus spina conectitur, praesertim in ceruice. Citant enim hoc carmen:

Ἐκ δέ μοι αὐχὴν ἰστραγάλων ἐάγη.

Quoniam autem Aristoteles tradit priores tibias, animanti datas ad celeritatem, et ob id carere talis, posteriores ad stabilitatem, quod in eam partem vergat pondus corporis, quemadmodum ad robur ijs quae calcibus feriunt. Flaccus dum significare vult fabulam non electam, sed ad finem vsque peractam, dicit illam stetisse fixo talo, nec aliter tribuit fabulae talum, quam nos libro tribuimus calcem, et volumini vmbilicum./

275r QVIRINVS. Nae tu probe grammaticum agis.

CAROLVS. At quo magis id credas, Graeci literatores

---

8 arte

ἀστράγαλον dici volunt a στρέφω et a particula priuatiua, quod minime flectatur, sed immobilis sit. Quanquam alij malunt ἀστράγαλον interiecta litera ρ, dictum pro ἀστάγαλον, quod lubrica volubilitate stare nesciat.

QVIRINVS. Ad istum modum licet plura diuinare. Simplicibus erat dicere, nescio.

CAROLVS. Non vsque adeo videbitur absurda diuinatio, si cogites quantam habeat caliginem vocum primitiua origo, tum in re nullam esse contrarietatem, quod apparebit si proprius inspicias. Volubilis est talus, sed ita volubilis, vt eam partem cui innectitur reddat ad standum firmiorem; deinde os ossi connectit, ne facile luxari queat.

QVIRINVS. Tu vel sophistam agere possis quantum video si libeat.

CAROLVS. Sed nihil est, Talesi, quod nos torqueat etymologia vocis. Nam quod hodie Graeci vocant ἀστράγαλον, prisci, quorum est Callimachus, dixerunt ἄστριον, cuius hoc refertur hemistichium Δέκα δ' ἄστρια αἴνυτο λύτρον, vnde quemadmodum ἀστραγαλίζειν, ita et ἀστρίζειν dicebant talis ludere.

QVIRINVS. Quale est igitur illud quod proprie talum vocant?

CAROLVS. Est id quo nunc ludunt puellae, olim puerorum
(275v) erat lusus quemadmodum nuces. De quo est illud Graecorum: Ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθεῖς; quum iram leui de causa susceptam indicant. Rursus Horatius in Odis: "Nec regna vini sortiere talis". Item in Sermonibus: "Te talos, Aule, nucesque" et caetera. Postremo dictum illud Lacedaemonij, ni fallor: Pueros esse fallendos talis viros iureiurando. Hunc negant in vllo animante inueniri, quod sit μώνυχον, hoc est, vngula solida, excepto asino Indico vnicorno; aut quod sit πολυσχιθές, hoc est, pede in multos digitos vngulasque fisso; quod genus sunt leo, panthera, canis, simius, homo et auis, aliaque permulta. Quae vero διχαλᾶ, sunt, hoc est, vngula bifulca, pleraque talum habent, idque vt recte dicebas, in posterioribus cruribus. Vni homini duplici de causa tali non sunt. Primum quia bipes, deinde quia quinis digitis fissos habet pedes.

QVIRINVS. Ista frequenter audiui. Caeterum peruelim mihi

---

17 Callimacchus
27 sermonibus
27-28 & c.

situm ac formam tali describi. Nam istud lusus genus etiam puellis hodie fastidium est, sed aleam chartas, aliosque masculos lusus affectant.

CAROLVS. Non mirum, quum affectent et theologiam. Verum etiam si mathematicus sim aut pictor, aut etiam plastes, non possim tibi melius tali formam exhibere, quam ipso talo, nisi mauis vt tibi describam per literas vt illi solent.

QVIRINVS. Habesne talum?

276r CAROLVS. / En tibi ouillum e dextro crure. Vides quatuor duntaxat latera, quum in cubo et alea seu tessera sint sex, in ambitu quatuor, in summo et imo duo.

QVIRINVS. Sic est.

CAROLVS. In talo quoniam summa pars et ima curuatur, non sunt nisi quatuor latera, quorum unum vides velut in dorsum intumescere.

QVIRINVS. Video.

CAROLVS. Quod est e regione, cauum habere. Illud Aristoteles vocat πρανές, id est, pronum; hoc ὕπτιον, id est, supinum. Velut in congressu vxoris et mariti, quum dant operam liberis, mulier supina est, vir pronus; et manus si vola spectet terram, prona est, si inuertas supina. Quanquam oratores et poetae nonnunquam his verbis abutuntur, quod ad hanc rem nihil attinet.

QVIRINVS. Isthuc quidem eleganter oculis subiectisti. Inter reliqua duo latera quid est discriminis?

CAROLVS. Alterum modice cauatum est, vt ossi qui innectitur congruant; alterum propemodum nihil habet concaui, minusque armatum est cartilaginea tunica, sed tantum neruo et pelle tegitur.

QVIRINVS. Video.

CAROLVS. Pronum latus nihil habet neruorum, sed supinae partis concauo adhaeret neruus, quemadmodum dextri lateris summo, leui imo.

QVIRINVS. Pulchre narras, sed vnde dinoscam dextrum a sinistro?

CAROLVS. Recte admones. Nam perperam docui, nisi dextri / (276v) cruris talum intelligas. Dicam igitur melius, simulque quod volebas, situm indicabo. Talus est in ipsa suffragine cruris infra coxam.

QVIRINVS. Complures arbitrantur iuxta pedem esse.

CAROLVS. Errant. Is qui proprie dicitur talus, est in suffraginibus, quas Graeci καμπάς vocant, sed crurum vt dixi,

posteriorum. Inter pedem tuum et genu, tibia est.

QVIRINVS. Sic opinor.

CAROLVS. Post genu καμπή.

QVIRINVS. Assentior.

CAROLVS. Nam qui flexus est homini in brachijs, idem est quadrupedibus in cruribus posterioribus, simiam excipio semihominem. Itaque quod genu est in cruribus, in cubitus est in brachijs.

QVIRINVS. Animaduerto.

CAROLVS. Itaque flexus flexui respondet.

QVIRINVS. Illud dicis crurum posteriorum et priorum.

CAROLVS. Tenes. In ea igitur suffragine, quae respondet suffragini, quae est post genu, stat talus erectus quum stat quadrupes cuius summa et ima pars leniter incuruatur, quanquam non prorsus eodem modo. Nam superior replicatur in cornua quaedam, quas Aristoteles appellat κεραίας, Theodorus vertit antennas, iuxta quas se sumittit pronum latus; ima tale nihil habet.

QVIRINVS. Plane video.

CAROLVS. Illud ergo latus quod spectat tibias priores, Aristoteles vocat supinum; quod illi aduersum est pronum.
277r Rursum sunt duo latera, quorum alterum intus spectat / tibiam posteriorem, puta laeuam dextram, alterum spectat foras. Quod intorsum spectat Aristoteles appellat κῶλον, quod foras ἰσχιον .

QVIRINVS. Prorsus oculis rem video. Iam superest vt nobis indices quae fuerit olim talis ludendi ratio. Nam qui lusus nostra memoria dicitur in vsu fuisse, nihil conuenit cum ijs, quae comperimus apud priscos autores de hoc ludendi genere.

CAROLVS. Ac sane fieri potest vt quemadmodum hodie chartis ac tesseris ad varias ludendi formas abutimur, ita non fuerit eadem apud veteres talis lusitandi ratio.

QVIRINVS. Probabile est quod dicis.

CAROLVS. Theodorus Gaza, siue vt alij malunt appellare Thessalonicensis, vertens Aristotelis librum de historia animalium secundum, ait tali latus quod foras transuersum spectat, canem vocari; quod introrsum ad alterum crus, Venerem. Caeterum hoc quidem de suo addidit. Nam Aristoteles haec tantum ponit: Τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δὲ ὕπτιον εἴσω, καὶ τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὸ δὲ ἰσχία καλούμενα, ἔξω καὶ τὰς κεραίας ἄνω. Caeterum quando constat ab

alijs. Veneris iactum appellari, quoties ex quatuor talis nullus est qui summam faciem habet cum alio congruentem, demiror quid sequutus Theodorus vnum latus appellet Venerem. Erasmus
(277v) noster / quem communem habemus amicum, huiusmodi obseruationem non admodum curiosus, in prouerbijs aliquot, ex autoritate veterum indicat quaedam de ludo talorum; velut in prouerbio "Non Chius, sed Cous", refert Coum et Senionem esse quem Graeci ἐξίτην dicunt. Idem tradit in prouerbio "Chius ad Coum", addens Chium eundem esse cum cane: Coi iactum fuisse felicem, Canis infelicem, teste Persio:

Quid dexter senio ferret,
Scire erat in votis, damnosa canicula quantum
Raderet.

Itidem Propertius:

Semper damnosi subsiluere canes.

Et Ouidius libro de Tristibus secundo damnosos canes appellat. Addit ex Martiale Senionem videri per se felicem, caeterum infelicem fieri, si accedat Canis. Sic enim loquitur:

Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

Iam Veneris iactum esse ut rarum, ita felicissimum indicat Martialis in Apophoretis:

Quum steterit vultu nullus tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Tot autem talis ludebatur, quod quisque habet latera. Nam tesseris non plus tribus ludi solet. Sed proprius ad ludendi rationem facit, quod scribit Suetonius in Octauio Augusto, reci
278r tans ex / illius quadam ad Tiberium epistola haec:"Inter coenam lusimus γεροντικῶς et heri et hodie. Talis enim iactaris vt quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat vniuersos qui Venerem iecerat."

QVIRINVS. Docuisti felicissimum esse iactum quum omnes tali quatuor ostenderint diuersum latus, quemadmodum in tesserarum ludo fortunatissimus est, qui dicitur Midas; at nondum declarasti hunc iactum dici Venerem.

CAROLVS. Illud expediet tibi Lucianus, ita loquens in Cupidinibus: Καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκοποῦ, μάλιστα δὲ εἴ ποτε τὴν θεὸν αὐτὴν εὐβολήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι.

---

3 Sed ASD,p.624,l.145: appellat (cf.1533,p.547)
14 propertius
16 Trist.2.

Loquitur autem illic de Venere.

QVIRINVS. Si falsus est Theodorus, duo tantum latera suis vocabulis designantur.

CAROLVS. Fortassis alicuius autoritatem ille sequutus est, quae nos fugit quod apud autores compertum est, adferimus in medium. Nam sunt qui meminerunt de numero Stesichorio in talis, quem putant ogdoadem esse; item de Euripideo, qui continebat quadraginta.

QVIRINVS. Restat vt lusus pueros ijsdem vsos legibus, qui
(278v) bus se vsum fuisse scribit Octauius. Nec probabile est, / hoc ludendi genus, quod commemorat, fuisse publicum. Id si fuisset, satis erat dixisse: Inter coenam lusimus talis. Sed mihi subindicare videtur nouam ludendi conditionem inter illos repertam, velut aptam senibus, minimeque torquentem animos, sollicita cogitatione, quemadmodum faciunt hodie complures lusus, vt leuius sit intendere studijs.

QVIRINVS. Profer, obsecro te, reliquos talos, vt experiamur.

CAROLVS. Sed deest nobis turricula voluendis talis, deinde tabula.

QVIRINVS. Suffecerit haec mensa ad qualecunque specimen exhibendum. Pro turricula suffecerit cyathus aut pileum.

CAROLVS. Imo complexus cauarum manus. Iactus saepius ostendit supinam partem quam pronam; et pronam saepius quam senionem aut canem.

QVIRINVS. Videtur.

CAROLVS. Si inter quatuor talos extiterit vnus canis, expones nummum; si duo duos, si tres tres, si quatuor quatuor. Item quoties ieceris senionem, toties recipies vnum e nummis.

QVIRINVS. Quid si senionem cum cane?

CAROLVS. Si vis, vterque nummum addet, neuter tollet; cui primum obtigerit Venus, is auferet aceruum.

QVIRINVS. Quid talus ostendat partem supinam aut pronam?

CAROLVS. Is iactus erit irritus, et aut iactum repetes, aut iacendi ius ad me deuoluetur.

QVIRINVS. Placet deuolutio.

CAROLVS. Nunc appone sortem.

279r QVIRINVS. Experiamur absque / periculo.

CAROLVS. Vis tu tantam artem discere gratis?

---

8 Euripedeo

QVIRINVS. Verum impar certamen est inter artificem et rudem.

CAROLVS. Atqui spes lucri, et damni metus reddet te attentiorem.

QVIRINVS. Quanti certabimus?

CAROLVS. Si vis cito ditescere, centum ducatis.

QVIRINVS. Vtinam sint quos deponam. Tutius est paulatim ditescere. En tibi solidum assem.

CAROLVS. Age, addemus pusillum pusillo, quemadmodum monet Hesiodus, sic quoque fiet ingens aceruus. Conuolue ac mitte. Felix auspicium, canem habes, appone nummum, et posthac agnosce damnosum latus. Da talos.

QVIRINVS. Felicius auspicium, treis habes canes; appone.

CAROLVS. Insidiatur tibi fortuna. Mitte, sed circumuolutos, o bone. Labor irritus, pronum habes et supinum. Succedo, trade talos.

QVIRINVS.O factum bene, rursum treis video canes.

CAROLVS. Μὴ πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον . Illectat, inquam, fortuna. Sed heus tu, ad hunc quidem modum edoctus sum. At mea sententia secus lusit Octauius.

QVIRINVS. Quomodo?

CAROLVS. Qui canem iecerat, apponebat denarium, vt diximus; qui senionem, nihil quidem auferebat, sed alter ponebat.

QVIRINVS. Quid si plures seniones exissent?

CAROLVS. Totidem nummos alter addebat. Bene cumulatum aceruum semel tollebat Venus. Et illud addas licebit. Cui nec
(279v) senio obtigerit, nec canis, nihil aliud quam / mittendi vicem perdet.

QVIRINVS. Non recuso.

CAROLVS. Mihi videtur et hoc elegantius, si tertio quisque iactu defungatur qui talos tenet, et mox alteri tradat vices.

QVIRINVS. Placet, sed quota Venus finiet ludum?

CAROLVS. Tertia si videtur. Deinceps liberum erit de integro pacisci. Siquidem tum raro, tum paucis fauet Venus. Nunc aggrediamur bonis auibus.

QVIRINVS. Fiat, sed praestat occludere fores, ne nostrae culinae regina videat nos puerorum more ineptientes.

CAROLVS. Imo seniliter potius. Adeone loquacem habes famulam?

QVIRINVS. Tam futilem, vt si desint homines quibus narret quicquid domi geritur, longo sermone gallinis narret ac felibus.

CAROLVS. Heus puer, claude ostium et obde pessulum, ne quis subitus interueniat spectator, quo liceat ad sacietatem vsque ludere.

LB 842-844
ASD 629-634

SENATVLVS SIVE ΓΥΝΑΙΚΟΣΥΝΕΔΡΙΟΝ

CORNELIA, MARGARETA, PEROTTA, IVLIA, CATARINA

CORNELIA. Quod felix faustumque sit huic ordini, totique reipublicae foemineae, et frequentes hodie conuenistis et alacres, vnde spem optimam concipio futurum, vt Deus propitius
280r cuique ea suggerat in / animum, quae ad communem omnium et dignitatem et vtilitatem pertinent. Scitis, opinor, omnes, quantum hinc commodis nostris decesserit, quod quum viri quotidianis conuentibus suum agant negocium, nos colo telaeque assidentes causam nostram deserimus. Itaque res huc deuenit, vt nec inter nos sit vlla reipublicae disciplina et viri nos pene pro delectamentis habeant, vixque hominis vocabulo dignentur. Quod si quam coepimus, pergamus, diuinate vos ipsae, quo tandem res sit euasura; vereor enim verba sinistri omnis eloqui. Vt dignitatem nostram negligamus, certe incolumitas debet esse curae. At sapientissimus ille rex scriptum reliquit: Ibi demum esse salutem, vbi multa monachorum greges sua consilia, habent milites suas stationes, habent fures sua conuenticula. Denique habet et formicarum genus suos congressus. Solae omnium animantium mulieres nunquam coimus.

MARGARETA. Saepius quam decet.

CORNELIA. Nondum interloquendi tempus est. Sinite me perorare, dabitur singulis dicendi locus. Neque nouum est quod facimus, vetus exemplum reuocamus. Siquidem ante annos mille trecentos, ni fallor, Heliogabalus Caesar laudatissimus...

(280v) PEROTTA. Qui laudatissimus, quem vnco / tractum in cloacham proiectum esse constat?

CORNELIA. Rursus interpellor, atqui nihil obijcitur Heliogabalo atrocius, quam quod sacrum ignem a Vestalibus seruabatur, in terram abiecerit, quodque domi in larario Mosen habuerit et Christum, quem illi contumeliae causa Chrestum vocabant. Igitur Heliogabalus instituit vt quemadmodum imperator cum suis habebat senatum, in quo de rebus communibus consultaret, ita haberet et mater illius Augusta senatum suum, in quo

---

7 reip.

de foemineae gentis negocijs tractaretur, quem viri vel iocandi vel discernandi gratia Senatulum vocabant. Hoc exemplum tot iam seculis intermissum res ipsa iamdudum monet nos instaurare. Nec vllam moueat quod Paulus apostolus vetat mulierem loqui in coetu, quam ille vocat ecclesiam; de coetu virorum loquitur, hic coetus est muliebris. Alioqui si semper tacendum erit foeminis, in quem vsum natura dedit nobis et linguas non minus expeditas, quam sunt virorum, et vocem non minus sonoram? quanquam illi sonant raucius, ac proprius refe-
10 runt asinos quam nos. Verum illud oportet nobis omnibus esse curae, vt ea grauitate tractemus hoc negocium, ne rursus viri Senatulum appellent; aut fortasse probrosius aliquod nomen
281r ex/cogitent, vt solent in nos libenter esse dicaces. Quanquam si liceat illorum comitia veris aestimare, plus quam muliebris
15 videri possint. Videmus monarchas, tot iam annis nihil aliud quam belligerari; inter theologos, sacerdotes, episcopos et populum nihil conuenire; quot homines tot sententiae et in his ipsis plus quam muliebris est inconstantia. Nec ciuitati cum ciuitate, nec vicino cum vicino concordia est. Si nobis
20 essent traditae rerum habenae, aliquanto, ni fallor, tolerabilius haberent res humanae. Non est fortasse foeminei pudoris, tantis proceribus tribuere stultitiam, at fas est opinor, recitare quod scripsit Salomon Prouerbiorum capite decimo tertio: "Inter superbos semper iurgia sunt, qui autem agunt
25 omnia cum consilio, reguntur sapientia". Sed ne vos longiore morer proemio, vti singula gerantur ordine, decenter et sine tumultu primo loco tractandum erit, quae debeant interesse consilio, quae submouendae sint. Nam immodica turba, tumultus est verius quam concilium; et paucorum consessus habet quid-
30 dam tyrannicum. Huc ergo censeo nullam recipiendam virginem, eo quod incident permulta, quae non decet illas audire.

IVLIA. At quo signo dignoscas virgines? An pro virginibus
(281v) habebuntur quaecunque / coronam gestant?

CORNELIA. Non. An nuptas tantum recipiendas censeo.

35 IVLIA. Et inter nuptas virgines sunt, quae maritos habent eunuchos.

CORNELIA. Sed tribuatur hoc honoris coniugio, vt nuptae pro mulieribus habeantur.

IVLIA. Alioqui si non excludimus nisi virgines, erit im-
40 mensa turba, nec multum decrescet numero.

---

23 prouerbiorum

CORNELIA. Excludentur et plus quam ter nuptae.

IVLIA. Quam ob rem?

CORNELIA. Quoniam illis velut emeritis debetur missio. Idem censeo de septuagesimum annum egressis. Statuendum ne qua nominatim de viro suo loquatur petulantius, in genere fas sit, sed eo moderatione,"ne quid nimis".

CATARINA. Qui minus hic libere de viris liceat dicere, quam ipsi de nobis nusquam non loquantur? Meus Titius si quando studet esse conuiua festiuior, narrat quid mecum noctu egerit, quid dixerim, neque raro multa solet affingere.

CORNELIA. Si velimus fateri verum, nostra dignitas pendet a viris: eos si traducimus, quid aliud quam nos ipsas dehonestamus? Quanquam autem habemus non paucas iustae querimoniae causas, tamen expensa rerum omnium summa, nostra potior est quam illorum conditio. Illi dum quaerunt rem, per omnes terras ac maria volitant, non sine capitis discrimine, illi si bellum incidat, excitantur buccina,ferrei stant in acie,/
282r dum nos domi sedemus tutae. Si quid committunt aduersus leges, grauius in illos animaduertitur, nostro sexui parcitur. Deinque magna ex parte in nobis situm est, vt commodus habeamus maritos. Restat vt de consessus ordine statuatur, ne nobis eueniat, quod frequenter vsu venit regum, principum ac pontificum oratoribus, qui in concilijs totos tres menses litigant, antequam possint considere. Itaque censeo, primum esse debere nobilium ordinem, et in his praecedent quae quatuor habent nobilitatis partes, proximae quae tres, deinde quae duas, postremae quae vnam, postremo duae demidiatam. Et in singulis ordinibus locus ex antiquitate designabitur. Nothae in suo quaeque ordine extremum tenebunt locum. Alter consessus erit plebeiarum. In hoc primas tenebunt quae copiosiorem sobolem enixae sunt. Inter pares litem dirimet aetas. Tertius erit earum quae nondum pepererunt.

CATARINA. Quo mittis viduas?

CORNELIA. Commode nomes. Istis locus dabitur in medio matrum, si modo liberos habent, habuerintue. Steriles extremum obtinebunt locum.

IVLIA. Quem locum designas sacerdotum vxoribus?

CORNELIA. De his proximo consessu deliberabimus.

IVLIA. Quid de his, quae corpore faciunt quaestum? /

---

4 septuagessimum
17 fetrei

(282v) CORNELIA. Non patiemur hunc senatum admixtu talium inquinari.

IVLIA. Quid de concubinis?

CORNELIA. Istarum non simplex est genus, de quibus per ocium tractabitur. Adijciendum est, quomodo fieri debeat senatus consultum, punctisne ac calculis, an suffragijs vocalibus, an porrectis digitis, an discessione.

CATARINA. In calculis dolus est, quemadmodum et in punctis; si peditus eatur in sententiam, quoniam vestes longas gerimus, nimium mouebimus pulueris; optimum igitur, vti voce pronunciet vna quaeque quod sentit.

CORNELIA. At difficile est numerare voces. Deinde cauendum ne fiat pro concilio conuicium.

CATARINA. Nihil fiet absque notarijs, ne quid possit excidere.

CORNELIA. Ita quidem consultum est numero. Sed quibus excludes conuicium?

CATARINA. Ne qua loquatur nisi rogata, et suo ordine. Quae secus fecerit, e senatu mouebitur. Tum si qua quid effutierit eorum quae hic aguntur, silentio plectetur triduano. Hactenus de ratione tractandi. Nunc accipite quibus de rebus consultandum sit. Primam oportet esse curam dignitatis; ea potissimum sita est in cultu cuius rei tantus est neglectus, vt hodie vix agnoscas discrimen inter nobilem et plebeiam, inter nuptam et virginem aut viduam, inter matronam et meretri-
283r cem. Adeo sublatus est pu/dor, vt quiduis vsurpent quaelibet. Videre est plus quam plebeias ac loci plane sordidi, vestiri holosericis, vndulatis, florulentis, virgatis, byssinis, aureis, argenteis, pellibus zebellinis, madauricis, quum interim maritus domi consuat calceos. Digitos habent smaragdis et adamantibus onustos. Nam vniones nunc vulgo fastiuntur, ne quid querar de succinis et colarrijs et crepidis inauratis, Satis erat tenuibus, in honorem sexus cingulis vti sericis, ac simbrias vestium serico limbo decorare; nunc geminum est malum, et res familiaris extenuatur, et ordo qui dignitatis est custos, confunditur. Si pilentis et lecticis eboratis ac bysso rectis vehuntur plebeiae, quid relictum est nobilibus ac potentibus? Et si vix equiti nupta caudam trahit vlnarum quindecim, quid faciet ducis aut comitis vxor? Atque haec res hoc est intolerabilior, quod mira temeritate subinde mutamus cultum. Pridem e porrectis a vertices cornibus pendebant lintea mina. Hoc ornatu foeminae principes discernebantur a ple-

beis. Illae ne quid conueniret, sumpserunt pilea, foris osten
tantia pelles albas nigris maculis variegatas. Statim vulgus
arripuit. Rursus mutato cultu sumpserunt flammea nigra bysso.
(283v) Id foeminarum vulgus non solum au/sum est imitari, verum etiam
addiderunt fimbrias aureas, denique et gemmas. Olim nobilium
erat a fronte atque a temporibus reuulsis pilis in verticem
capillos cogere. Non diu licuit, mox quaelibet aemulatae sunt.
Tandem dimiserunt crines in frontem, protinus et hoc imitatae
sunt plebeiae. Solas nobiles olim habebant laterones et ante-
ambulones, et ex his vnum delicatum qui surrecturae manum
porrigeret, qui laeuam incedentis brochio dextro fulciret. Nec
hoc honoris concedebatur nisi bene nato. Nunc vt passim id fa-
ciunt matronae, ita quoslibet ad hoc officij recipiunt, quem-
admodum ad gestandam a tergo caudam. Item olim solae nobiles
salutabant osculo, nec quemuis ad osculum recipiebant, imo ne
dextram quidem porrigebant quibuslibet. Nunc qui corium olent,
irruunt ad osculum foeminae, quae scutum habet plenae nobili-
tatis. Ne in coniugis quidem habetur vlla dignitatis ratio.
Patriciae nubunt plebeijs, plebeiae patricijs, ita nascuntur
nobis hybridae. Nec vlla tam obscuro loco nata est, quae me-
tuit adhibere succos omnes nobilium, quum plebeis sufficere
deberet; aut flos recentis ceruisiae, aut succus recens ab
arbore detracti corticis, aut si quid aliud paruo parabile,
284r purpurissam, cerussam, / stibium, reliquosque colores elegan-
tiores oportebat claris foeminis relinquere. Iam in conuiuijs,
in publico incessu quam nullus ordo? Saepe fit vt negociato-
ris vxor dedignetur vtroque parente nobili cedere. Res igitur
ipsa iamdudum hortatur, vt hisce de rebus aliquid certi sta-
tuamus. Atque inter nos facile poterunt transigi, quoniam non
nisi ad foemineum pertinent genus. Est autem et quod cum viris
agamus, qui nos summouent ab omni dignitate, ac tantum non
pro lotricibus et cocis habent, ipsi res omnes pro suo gerunt
arbitratu. Concedemus igitur illis magistratus publicos, ac
bellicae rei curam. Quis hoc feret, quod in clypeo semper vxo-
ribus insignia laeuum habent latus, etiamsi tribus partibus
superet viri nobilitatem? Deinde par est, vt in elocandis li-
beris etiam mater habeat ius suffragij. Et fortassis hoc quoque
euincemus, vt vicissim geramus officia publica, duntaxat quae
intra moenia, et sine armis geri possunt. Haec est summa rerum
de quibus mihi videtur operae precium consultare. Super his
apud se quaeque deliberet vt de singulis fiant senatusconsul-
ta, et si cui vestrum aliud cuippiam in mentem venerit, cras in

medium conferat. Conueniemus enimdiebus singulis, donec syno-
(284v) dum / absoluerimus. Adhibeantur notariae quatuor, quae notis excipiant quicquid dicatur. Praeterea quaestoriae duae, quae loquendi potestatem vel faciant vel adimant. Sit hoc concessus diuinationis loco.

LB 844-847
ASD 637-642

DILVCVLVM
NEPHALIVS, PHILYPNVS

NEPHALIVS. Hodie te conuentum volebam, Philypne, sed negabaris esse domi.

PHILYPNVS. Non omnino mentiti sunt: tibi quidem non eram, sed mihi tum eram maxime.

NEPHALIVS. Quid isthuc enigmatis est?

PHILYPNVS. Nosti illud vetus prouerbium: "Non omnibus dormio". Nec te fugit ille Nasicae iocus, qui quum Ennium familiarem inuisere volenti ancilla iussu heri negasset esse domi, sensit Nasica et discessit. Caeterum vbi vicissim Ennius Nasicae domum ingressus rogasset puerum num esset intus. Nasica de conclaui clamauit: non, inquens, sum domi. Quumque Ennius agnita voce dixisset: impudens, non te loquentem agnosco? Imo tu, inquit Nasica, impudentior, qui mihi ipsi fidem non habeas, quum ergo crediderim ancillae tuae.

NEPHALIVS. Eras fortassis occupatior.

PHILYPNVS. Imo suauiter ociosus.

NEPHALIVS. Rursum aenigmate torques.

PHILYPNVS. Dicam igitur explanate, nec aliud dicam ficum quam ficum.

NEPHALIVS. Dic.

PHILYPNVS. Altum dormiebam. /

285r NEPHALIVS. Quid ais? Atqui iam praeterierat octaua, quum sol hoc mense surgat ante quartam.

PHILYPNVS. Per me quidem soli liberum est vel media nocte surgere, modo mihi liceat ad satietatem vsque dormire.

NEPHALIVS. Verum isthuc utrum casu accidit, an consuetudo est?

PHILYPNVS. Consuetudo prorsus.

NEPHALIVS. Atqui rei non bonae consuetudo pessima est.

PHILYPNVS. Imo nullius est somnus suauior quam post exortum solem.

NEPHALIVS. Qua tandem hora soles lectum relinquere?

PHILYPNVS. Inter quartam et nonam.

NEPHALIVS. Satis amplum spacium, vix tot horis communtur reginae. Sed vnde venisti in istam consuetudinem?

PHILYPNVS. Quia solemus conuiuia, lusus et iocos in multam proferre noctem, id dispendij matutino somno pensamus.

NEPHALIVS. Vix vnquam vidi hominem te perditius prodigum.

PHILYPNVS. Mihi parsimonia videtur magis quam profusio. Interim nec candelas absumo, nec vestes detero.

NEPHALIVS. Praepostera sane parsimonia, seruare vitrum vt perdas gemmas. Aliter sapuit ille philosophus, qui rogatus quid esset preciosissimum, respondit tempus. Porro quum constet diluculum esse totius diei partem optimam, tu quod in re preciosissima preciosissimum est, gaudes perdere.

PHILYPNVS. An hoc perit quod datur corpusculo?

NEPHALIVS. Imo detrahitur corpusculo, quod tum suauissi-/
(285v) me afficitur, maximeque vegeratur, quum tempestiuo moderatoque somno reficitur, et matutina vigilia corroboratur.

PHILYPNVS. Sed dulce est dormire.

NEPHALIVS. Quid esse potest dulce nihil sentienti?

PHILYPNVS. Hoc ipsum dulce est, nihil sentire molestiae.

NEPHALIVS. Atqui isto nomine feliciores sunt qui dormiunt in sepulchris. Nam dormienti nonnnunquam insomnia molesta sunt.

PHILYPNVS. Aiunt eo somno maxime saginari corpus.

NEPHALIVS. Ista glirium sagina est, non hominum. Recte saginantur animalia quae parantur epulis, homini quorsum attinet accersere obesitatem, nisi vt grauiore sarcina onustus incedat? Dic mihi si famulum haberes, vtrum obesum malles, an vegetum et ad omnia munia habilem?

PHILYPNVS. Atqui non sum famulus.

NEPHALIVS. Mihi sat est quod ministrum officijs aptum malles, quam bene saginatum.

PHILYPNVS. Plane mallem.

NEPHALIVS. At Plato dimit animum hominis esse corpus nihil aliud quam domicilium aut instrumentum. Tu certe fateberis, opinor, animum esse principalem hominis portionem, corpus animi ministrum.

PHILYPNVS. Esto, si vis.

NEPHALIVS. Quum tibi nolles ministrum abdomine tardum, sed agilem malles et alacrem, quur animo paras ministrum ignauum et obesum?

PHILYPNVS. Vincor veris.

286r NEPHALIVS. Iam aliud dispendium / accipe, vt animus longe praestat corpori, ita fateor opes animi longe praecellere bona

corporis.

PHILYPNVS. Probabile dicis.

NEPHALIVS. Sed inter animi bona, primas tenet sapientia.

PHILYPNVS. Fateor.

NEPHALIVS. Ad hanc parandam nulla diei pars vtilior, quam diluculum, quum sol nouus exoriens vigorem et alacritatem adfert rebus omnibus, discutitque nebulas e ventriculo exhalari consuetas, quae mentis domicilium solent obnubilare.

PHILYPNVS. Non repugno.

NEPHALIVS. Nunc mihi supputa quantnm eruditionis tibi parare possis quatuor illis horis quae somno intempestiuo perdis.

PHILYPNVS. Profecto multum.

NEPHALIVS. Expertus sum in studijs plus effici vna hora matutina, quam tribus pomeridianis, idque nullo corporis detrimento.

PHILYPNVS. Audiui.

NEPHALIVS. Deinde illud reputa, si singulorum dierum iacturam in summam conferas, quantus sit futurus cumulus.

PHILYPNVS. Ingens profecto.

NEPHALIVS. Qui gemmas et aurum temere profundit prodigus habetur et tutorem accipit; haec bona tanto preciosiora qui perdit, nonne multo turpius prodigus est?

PHILYPNVS. Sic apparet, si rem recta ratione perpandamus.

NEHPALIVS. Iam illud expende quod scripsit Plato, nihil esse pulchrius, nihil amabilius sapientia, quae si corporeis oculis cerni posset, incredibiles sui amores excitaret.

(286v) PHILYPNVS. Atqui illa cerni / non potest.

NEPHALIVS. Fateor corpories oculis, verum cernitur oculis animi, quae pars est hominis potior. Et vbi amor est incredibilis, ibi summa voluptas adsit oportet, quoties animus cum tali amica congreditur.

PHILYPNVS. Verisimile narras.

NEPHALIVS. I nunc et somnum mortis imaginem cum hac voluptate commuta si videtur.

PHILYPNVS. Verum interim pereunt nocturni lusus.

NEPHALIVS. Bene pereunt quae peiora melioribus, inhonesta praeclaris, vilissima preciosissimis permutantur. Bene perdit plumbum, qui illud vertit in aurum. Noctem natura somno tri-

---

34 somnium
38 praeciosissimis

buit, sol exoriens quum omne animantium genus, tum praecipue hominem ad vitae munia reuocat."Qui dormiunt, inquit Paulus, nocte dorminunt. Et qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt". Proinde quid turpius quam quum omnia animantia cum sole expergiscantur, quaedam etiam illum nondum apparentem, sed aduentantem cantu salutent, quum elephantus solem orientem adoret, hominem diu post solis exortum stertere? Quoties aureus ille splendor illustrat cubiculum tuum, nonne videtur exprobare dormienti: stulte quid optimam vitae tuae partem gaudes perdere? Non in hoc luceo, vt abditi dormiaris, sed vt rebus honestissimis
287r inuigiletis. Nemo lucernam accendit vt dormiat, / sed vt aliquid operis agat; et ad hanc lucernam omnium pulcherrimam, nihil aliud quam stertis?

PHILYPNVS. Belle declamas.

NEPHALIVS. Non belle, sed vere. Age non dubito quin frequenter audiueris illud Hesiodum: "Sera in fundo parsimonia".

PHILYPNVS. Frequentissime. Nam in dolij medio vinum est optimum.

NEPHALIVS. Atqui in vita prima pars, nimirum adolescentia est optima.

PHILYPNVS. Profecto sic est.

NEPHALIVS. At diluculum hoc est diei, quod adolescentia vitae. An non igitur stulte faciunt, qui adolescentiam nugis, matutinas horas somno perdunt?

PHILYPNVS. Sic apparet.

NEPHALIVS. An est vlla possessio quae cum hominis vita sit conferenda?

PHILYPNVS. Ne vniuersa quidem Persarum gaza.

NEPHALIVS. An non vehementer odisses hominem, qui tibi vitam posset ac vellet malis artibus ad annos aliquot decurtare?

PHILYPNVS. Illi mallem ipse vitam eripere.

NEPHALIVS. Verum peiores ac nocentiores arbitror, qui sibi volentes reddunt vitam breuiorem.

PHILYPNVS. Fateor si qui tales reperiantur.

NEPHALIVS. Reperiantur? imo id faciunt omnes tui similes.

PHILYPNVS. Bona verba.

NEPHALIVS. Optima. Sic tuo cum animo reputa, non ne vi-

---

7 stetere emendatum est in erratis in estertere sed inepte
28 Gaza

detur rectissime dixisse Plinius, Vitam esse vigiliam, et hoc pluribus horis hominem viuere, quo maiorem temporis partem impenderit studijs? Somnus enim mors quaedam est. Vnde / et ab (287v) inferis venire fingitur et ab Homero mortis germanus dictus est. Itaque quos somnus occupat, nec inter viuos, nec inter mortuos censentur, sed tamen potius inter mortuos.

PHILYPNVS. Ita videtur omnino.

NEPHALIVS. Nunc mihi rationem subducito quantam vitae portionem sibi resecant qui singulis diebus tres aut quatuor horas perdunt somno.

PHILYPNVS. Video summam immensam.

NEPHALIVS. Nonne pro deo haberes alcumistam, qui posset decem annos vitae summae adijcere? et prouectiorem aetatem ad adolescentiae vigorem reuocare?

PHILYPNVS. Quid ni habeam?

NEPHALIVS. Sed hoc tam diuinum beneficium ipsi tibi praestare potes.

PHILYPNVS. Qui sic?

NEPHALIVS. Quia mane diei est adolescentia, vsque ad meridiem seruet iuuentus, mox virilis aetas, cui succedit pro senecta vespera, vesperam excipit occasus, velut diei mors. Magnum autem vectigal parsimonia est, sed nusquam maius quam hic. An non igitur ingens lucrum sibi adiunxit, qui magnam vitae partem, eamque optimam perdere desijt?

PHILYPNVS. Vera praedicas.

NEPHALIVS. Proinde videtur admodum impudens eorum querimonia, qui naturam accusant, quod hominis vitam tam angustijs spatijs finierit, quum ipsi ex eo quod datum est, sibi sponte 288r tantum amputent. Satis longa est cuique vita, si par-/ce dispensetur. Nec mediocris profectus est, si quis suo quaeque tempore gerat. A prandio vix semihomines sumus, quum corpus cibis onustum aggrauat mentem, nec tutum est spiritus ad officina stomachi concoctionis officium peragentes superiora euocare. A coena multo minus. At matutinis horis homo totus est homo, dum habile est ad omne ministerium corpus, dum alacer viget animus, dum omnia mentis organa tranquilla sunt ac serena, dum aurae diuinae, vt ait ille, particula spirat, ac sapit originem suam, et rapitur ad honesta.

PHILYPNVS. Eleganter tu quidem concionaris.

---

12 Alcumistam
29-30 dispensatur

NEPHALIVS. Apud Homerum audit Agamemnon opinor, οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Quanto turpius est tantam diei partem somno perdere?

PHILYPNVS. Verum, sed βουληφόρῳ. Ego non sum dux exercitus.

NEPHALIVS. Si quid aliud tibi charius est quam ipse tibi, ne quid te moueat Homeri sententia. Faber aerarius ob vile lucellum surgit ante lucem; et nos amor sapientiae non potest expergefacere, vt saltem solem ad lucrum inaestimabile euocantem audiamus? Medici non fere dant pharmacum nisi diluculo. Illi norunt horas aureas vt subueniant corpori, nos eas non nouimus vt lucupletemus ac sanemus animam? Quod si haec leue pon
(288v) dus habent / apud te, audiui quid apud Solomonem loquatur coelestis illa sapientia: "Qui mane, inquit, vigilauerint ad me, inuenient me". Iam in mysticis psalmis, quanta matutini temporis commendatio? Mane propheta extollit Domini misericordiam, mane exauditur vox eius, mane filius deprecatio praeuenit Dominum. Et apud Lucam euangelistam, populus sanitatem ac doctrinam expetens a Domino, mane ad illum confluit. Quid suspiras, Philypne?

PHILYPNVS. Vix lachrymas teneo, quum subit quantam vitae iacturam fecerim.

NEPHALIVS. Superuacaneum est ob ea discruciari, quae non reuocari, sed tamen posterioribus curis sarciri possunt. Huc igitur incumbe potius quam vt praeteritorum inani deploratione futuri quoque temporis iacturam facias.

PHILYPNVS. Bene mones, sed me iam sui iuris fecit diutina consuetudo.

NEPHALIVS. Phy, "Clauus clauo pellitur", consuetudo consuetudine vincitur.

PHILYPNVS. At durum est ea relinquere, quibus diu assueueris.

NEPHALIVS. Initio quidem, sed eam molestiam diuersa consuetudo primum lenit, mox vertit in summam voluptatem, vt te breuis molestiae non oporteat poenitere.

PHILYPNVS. Vereor vt succedat.

NEPHALIVS. Si septuagenarius esses, non retraherem te a solitis; nunc vix decimum septimum opinor annum eggressus es.

---

16 domini
17-18 dominum
19 domino

289r Quid au/tem est, quod ista aetas non possit vincere, si modo adsit promptus animus?

PHILYPNVS. Equidem aggrediar conaborque, vt ex Philypno fiam Philologus.

NEPHALIVS. Id si feceris, mi Philypne, sat scio post paucos dies, et tibi serio gratulaberis, et mihi gratias ages qui mouerim.

ΝΗΦΑΛΙΟΝ ΣΥΜΠΟΣΙΟΝ

LB 847-849
ASD 643-646

ALBERTVS, BARTHOLINVS, CAROLVS, DIONYSIVS, AEMYLIVS, FRANCISCVS, GYRARDVS, HIERONYMVS, IACOBVS, LAVRENTIVS

ALBERTVS. Vidistine vnquam hoc horto quicquam amoenius?

BARTHOLINVS. Vix opinor in insulis fortunatis esse quicquam iucundius.

CAROLVS. Plane mihi videor videre paradisum, cui custodem cultoremque Deus praefecerat Adam.

DIONYSIVS. Hic vel Nestor vel Priamus posset repubescere.

FRANCISCVS. Imo vel mortuus reuiuiscere.

GYRARDVS. Adderem lubens si quid possem tuae hyperbolae.

HIERONYMVS. Profecto miris modis arrident omnia.

IACOBVS. Oportet hunc hortum aliqua compotatiuncula dedicare.

LAVRENTIVS. Recte monet noster Iacobus.

ALBERTVS. Talibus mysterijs iam olim initiatus est hic locus. Verum scito nihil hic esse vnde nobis merendam exhibeam, nisi placet δοινοσ compotatio, lactucas apponam absque (289v) sale, aceto et oleo; vini guttula non est, /nisi quod gignit hic puteus. Ne panis quidem adest aut poculum, et ea est anni pars, quae magis pascit oculos, quam ventrem.

BARTHOLINVS. Sed habes tabulas lusorias, habes sphaeras; lusu dicabimus hortum, si minus licet cohuiuio.

ALBERTVS. Quoniam tam belli homunculi conuenimus, habeo quiddam quod vel lusum vel conuiuium possis dicere, mea sententia multo dignius adhunc hortum initiandum.

CAROLVS. Quodnam?

ALBERTVS. Suum quisque symbolum conferat, non deerit lautum nec minus suaue conuiuium.

---

4 philologus
12 Vidi ne fortasse lapsu typographi

AEMYLIVS. Quid adferemus, qui vacui huc venerimus?

ALBERTVS. Vacui, qui tantum opus circumferatis in pectore?

FRANCISCVS. Expectemus quid velis.

ALBERTVS. Proferat in medium quod quisque per hanc hebdomadam legit elegantissimum.

GYRARDVS. Recte mones, nihil vel huiusmodi conuiuijs, vel te conuiuatore, vel hoc loco dignius. Te huius consilij ducem sequemur omnes.

ALBERTVS. Nihil recuso si vobis ita videtur. Hodie vehementer delectauit animum meum in homine non Christiano tam Christiana sententia. Phocion enim quo vix alius apud Athenienses fuit vir sanctior, publicaeque vtilitatis studiosior, quum per inuidiam damnatus, esset bibiturus cicutam, rogatus ab amicis, quid vellet etiamnum mandari filijs suis; Ne huius, inquit, iniuriae velint vnquam meminisse. /

290r BARTHOLINVS. Tam insignis patientiae exemplum vix hodie reperias. Itaque simile referam, quando par non possum. Aristides Phocioni simillimus erat, moribus incorruptissimis, adeo vt vulgus illi iusti tribueret cognomen. Ob huius cognominis inuidiam, vir optime de republica meritus, ostracismo populi iussus est vertere solum. Posteaquam intellexerat populum non alia re offensum, quam iusti cognomento, quum alioqui rem semper expertus es et sibi salutarem, paruit aequo animo. In exilio rogatus ab amicis, quid precaretur ingratissimae ciuitati: Nihil aliud, inquit, nisi tantam rerum prosperitatem, vt illis nunquam in mentem veniat Aristides.

CAROLVS. Mirum si Christianos non pudet sui, ad quamuis leuem iniuriam excandescentes, ac vindictam per fas nefasque molientes. Tota Socratis vita nihil aliud videtur, quam temperantiae ac tolerantiae exemplum. Sedne plane sim asymbolos, vnum referam, quod mihi prae caeteris arrisit. Eunti publica via, improbus quispiam colaphum impegit. Quum id tacitus ferret Socrates, amici quidam hortati sunt ad vltionem. At ille: Quid percussori faciam, inquit? Voca, inquiunt, in ius. Ridiculum, inquit, si me asinus calcibus percussisset, num vobis (290v) autoribus, asinum in ius / traham? Significans improbum scurram nihilo potiorem asino; et infimi animi esse, non posse ferre contumeliam ab homine vecordi, quam ferret ab animali bruto.

IDONYSIVS. Pauciora sunt in Romanis annalibus exempla moderationis, nec ea perinde insignia. Neque enim opinor magnam habere laudem tolerantiae, si quis parcat deuictis et de depel

---

41 debellet (1533,p.567) IF mut. (ASD,p.645)

lat superbos. Non arbitror tamen indignum memoratum, quod Cato senior, quum Lentulus quidam in os illi sputum et oris purulentiam iniecisse, nihil aliud responderit quam: Posthac habeo quod illis respondeam, qui negant tibi esse os. Os autem Latinis habere negantur, quos nihil pudet. Itaque iocus est ex ambiguo.

AEMYLIVS. Alijs arrident alia, mihi inter Diogenis dicta praeclara quidem omnia, nihil magis adblanditur, quam quod roganti cuidam quo pacto maxime possit vlcisci inimicum: Si teipsum, inquit, quam maxime probum et honestum virum praestiteris.

FRANCISCVS. Demiror quis deus illis tales cogitationes miserit in mentem. Videtur autem et Aristotelis dictum valde consentaneum Paulino dogmati, qui rogatus a quodam quid fructus sua illi philosophia attulisset: Vt mea, inquit, sponte ea faciam, quae plerique legum metu coacti faciunt. Docet
291r enim Paulus eos quos / afflauit Christiana charitas, non esse legi obnoxios, eo quod plus praestant suapte sponte, quam lex metu poenae possit extorquere.

FRANCISCVS. Christus Iudaeis obmurmurantibus quod cum publicanis et peccatoribus haberet etiam mensae familiaritatem, respondit non esse opus medico ijs qui recte valerent, sed qui minus prospera essent valetudine. Non abhorret hinc quod apud Plutarchum dixit Phocion, qui, quum reprehenderetur quod homini illaudato improboque patrocinatus esset in iudicio, non minus festiuiter quam clementer: Quid ni, inquit, quando nemo probus indiget tali patrocinio?

GYRARDVS. Et istud Christianae bonitatis exemplum est, ad exemplum aeterni Patris et probis et improbis quantum licet benefacere, qui solem suum oriri iubet, non solum pijs, sed etiam impijs; verum admirabilius forsitan erit in rege moderationis exemplum cum Democharis, Demosthenis nepos, Atheniensium nomine legatione fungeretur apud Philippum Macedonum regem, et impetratis quae volebat a rege dimitteretur, humaniter interrogante, si quid praeterea vellet: Vt teipsum suspendas, inquit Democharis. Vox impotens odium arguebat, et rex erat et bene meritus in quem iaciebatur conuicium, nec tamen /

---

12 FRANCISCVS Demiror Haec est lectio editionum N O, Basileae 1529 et 1531 (ASD,p.645)/Deus
19 poene
29 patris

(291v) incanduit, tantum ad collegas conuersus. Vos, inquit, haec renunciate populo Atheniensi, quo re cognita iudicet, vtrum nostrum existimet praestantiorem, me qui haec patienter audierim an istum qui haec dixit? Vbi nunc sunt orbis monarchae, qui se dijs pares putant, et ob verbum inter pocula dictum atrocia bella concitant?

HIERONYMVS. Magnos impetus habet gloriae sitis, multosque transuersos agit hic affectus. Ex eorum numero quidam Socratem interrogabat, quo via posset sibi compendio honestissimam comparare famam: Si talem, inquit, praestiteris teipsum, qualis haberis vis.

IACOBVS. Profecto non video quid dici possit vel breuius vel absolutius. Fama non est affectanda, sed ea virtutem vltro comitatur, quemadmodum improbitatem infamia. Vos admiramini viros, mihi puella Lacaena placuit, quae quum in auctione venderetur, licitator quidam adijt illam: Quid inquiens, num proba futura es si te mercatus fuero? Etiam, inquit illa, si tu non fueris mercatus, indicans sese non in cuiusdam gratiam probitatem seruare, sed suopte ingenio virtutem ipsius gratia sectari, quod virtus ipsa sui precium est.

LAVRENTIVS. Masculam sane vocem aedidit puella. Caeterum insigne mihi videtur exemplum aduersus fortunam quamlibet blan
292r dientem constantiae / quod quum Philippo Macedonum regi treis eximiae felicitates eodem die nunciarentur, quod in Olympijs vicisset, quod dux exercitus Parmenion proelio superasset Dardanos, quod vxor Olympias ipsi filium esset enixa, sublatis in coelum manibus precatus est [vt]deus tantam prosperitatem pateretur leui quopiam infortunio expiari.

ALBERTVS. Hodie nulla est tanta prosperitas, cuius inuidiam metuat quisquam, sed perinde iactant si quid successerit, quasi vel mortua vel surda esset Nemesis. Haec merenda si vobis placet, hic hortulus eam vobis quoties volueritis, exhibebit, quem hoc colloquio non minus iucundo quam frugifero dicastis.

BARTHOLINVS. Profecto nec Apitius potuisset discum suauiorem apponere. Quare nos expectabis frequenter, modo boni consulas quod nunc attulimus, non quae digna erant tuis auribus, sed quae non praemeditatis venerunt in mentem. Meditati lautio-

---

25 superassent
27 vt omissum est fortasse lapsu typograhpi/Deus

ra proferemus.

ALBERTVS. Hoc eritis gratiores.

LB 849-850
ASD 647-649

ARS NOTORIA
DESIDERIVS, ERASMVS

DESIDERIVS. Quomodo succedunt tua studia, Erasmi?

ERASMVS. Musis, vt apparet, parum fauentibus, sed felicius succederent, si quiddam abs te queam impetrare.

(292v) DESIDERIVS. Nihil non impetrabis, modo sit in rem / tuam. Dic tantum quid rei sit.

ERASMVS. Non dubito quin nihil sit artium reconditarum quod te fugiat.

DESIDERIVS. Vtinam vera praedices.

ERASMVS. Audio artem esse quandam notoriam, quae hoc praestet, vt homo minimo negocio perdiscat omnes disciplinas liberales.

DESIDERIVS. Quid audio? Vidisti codicem?

ERASMVS. Vidi, sed vidi tantum, quod non esset doctoris copia.

DESIDERIVS. Quid continebat liber?

ERASMVS. Varias animantium formas, draconum, leonum, leopardum, variosque circulos, et in his descriptas voces partim Graecas, partim Latinas, partim Hebraicas, aliasque barbaricarum linguarum.

DESIDERIVS. Intra quot dies pollicebatur titulus disciplinarum cognitionem?

ERASMVS. Intra quatuordecim.

DESIDERIVS. Magnifica sane pollicitatio; sed nostine quenquam per istam artem notoriam euasisse doctum?

ERASMVS. Nequaquam.

DESIDERIVS. Neque quisquam alius vidit vnquam aut visurus est, nisi posteaquam viderimus aliquem per alcumisticam euasisse diuitem.

ERASMVS. Equidem optarim artem esse veram.

DESIDERIVS. Fortasse quod pigeat literas tantis sudoribus emere.

ERASMVS. Scilicet.

DESIDERIVS. Atqui sic visum est superis. Opes istas vulga-

---

22 Haebraicas
31 Alcumisticam

res, aurum, gemmas, argentum, palatia, regnum, nonnunquam largiuntur ignauis et immerentibus; sed quae verae sunt opes ac
293r propriæ nostrae sunt, voluerunt parari / laboribus. Nec oportet nobis videri molestum laborem, quo res tanta paratur,
5 quum cernamus plurimos homines, per horrenda discrimina, per non aestimandos sudores eluctari ad res et temporarias et plane viles, si ad eruditionem conferantur, nec tamen semper assequuntur quod ambiunt. Et habent studiorum labores multum admixtum mellis, si paulatim in ea processeris. Iam in te bona
10 ex parte situm est, vt magnam taediorum partem amputes.

ERASMVS. Quonam pacto?

DESIDERIVS. Primum vt animum inducas amare studia. Deinde vt ea mireris.

ERASMVS. Quibus rationibus hoc fiet?

15 DESIDERIVS. Contemplare quam multos ditarint, quam multos ad summam dignitatem autoritatemque prouexerint literae. Simulque tecum considera quantum inersit hominem et pecudem.

ERASMVS. Probe mones.

DESIDERIVS. Deinde cicures ingenium tuum oportet, vt possit secum consistere, atque his delectari, quae vtilitatem ad-
20 ferunt potius quam voluptatem. Nam quae per se sunt honesta, etiamsi initio nonnihil habent molestiae, tamen assuetudine dulcescunt; ita fiet vt et minus fatiges praeceptorem, et ipse facilius percipias, iuxta dictum Isocraticum, aureis literis
25 in frontispicio codicis tuis pinguendum: Ἐὰν ᾖς φιλομαθής, ἔσῃ πολυμαθής.

(293v) ERASMVS. Satis adest celeri-/tatis in percipiendo, sed mox effluit quod perceptum est.

DESIDERIVS. Itaque pertusum mihi narras dolium.

30 ERASMVS. Haud multum aberras a scopo. Sed quid remedij?

DESIDERIVS. Obturanda est rima ne perfluat.

ERASMVS. Quibus rebus?

DESIDERIVS. Non musco, neque gypso, sed diligentia. Qui voces ediscit non intellecta sententia, mox obliuiscitur; nam
35 verba, vt inquit Homerus πτερόεντα sunt, facilique auolant nisi sententiarum pondere librentur. Prima igitur cura sit, vt rem penitus intelligas, dein subinde tecum verses ac repetas; et in hoc cicurandos est vt dictum est, animus, vt quo-

---

6 sudore? Eluctari Haec lectio emendanda erat
19 Deinde sic cures Haec lectio emendanda erat

ties opus est, cogitationi possit insistere. Nam si cui mens est adeo syluestris, vt in hoc cicurari non possit, haud quaquam est idonea literis.

ERASMVS. Isthuc quam sit difficile, plus satis intelligo.

DESIDERIVS. Quisquis enim habet animum adeo volubilem, vt nulli cogitationi possit immorari, nec diu potest audire loquentem, nec infigere memoriae quod didicit. Plumbo potest aliquid imprimi, quod maneat in loco; aquae aut argento viuo, quoniam assidue fluitat nihil potest imprimi. Quod si possis in hoc ingenium tuum mansuefacere, quum assidue verseris inter eruditos, quorum confabulationes quotidie tam multa proferunt digna cognitu, minimo labore disces quam plurima.

294r ERASMVS. Pro/fecto sic est.

DESIDERIVS. Nam praeter sermones conuiuiorum, praeter quotidiana colloquia, statim a prandio audis octo lepidissima dicta ex probatissimis autoribus selecta, totidem a coena. Iam mihi supputa quantam haec summam conficiant in singulos menses et annos.

ERASMVS. Magnificam, si possim meminisse.

DESIDERIVS. An haec quum nihil audias nisi bene Latine loquentes; quid obstat, quo minus intra paucos menses ediscas Latine, quum illiterati pueri Gallicam aut Hispanicam linguam discant exiguo temporis spatio.

ERASMVS. Sequar tuum consilium, experiarque num possit hoc ingenium Musarum iugo mansuescere.

DESIDERIVS. Ego aliam artem notoriam non noui, quam curam, amorem, et assiduitatem.

LB 857-862 ASD 667-675 (...)

PHILODOXVS

PHILODOXVS, SYMBVLVS

PHILODOXVS. Felix auspicium interpretor occursum tuum, Symbule.

SYMBVLVS. Vtinam sit aliquid, Philodoxe, in quo tibi queam esse felix.

PHILODOXVS. Quid auspicatius quam si [quis] deus occurrat homini?

SYMBVLVS. Equidem nihil istoc existimarem auspicatius, etiamsi sexcentae volitent noctuae. Sed quem mihi narras deum?

---

28 Colloquim quod inscribitur "Concio siue Merdardus" omissum est ab Ioanne Fernando (LB 850D-857E) (ASD,p.653-666)
29 SYMBOLVS
34 quis omissum est sed inepte

PHILODOXVS. Te inquam, Symbule.

SYMBVLVS. Mene?

PHILODOXVS. Te plane.

SYMBVLVS. Ego deos cacantes nunquam feci pili.

PHILODOXVS. Si non fallit prouerbium, deum esse quìsquis iuuat mortalem, tu mihi deus esse potes.

(294v) SYMBVLVS. De fide / prouerbij viderint alij, ego certe perquam lubens amico profuero si queam.

PHILODOXVS. Non est quod metuas, Symbule, haud peto mutuum, sacra res est consilium, eo tantum me iuua.

SYMBVLVS. Atqui istuc ipsum est petere mutuum, quandoquidem hoc officij genus inter amicos vltro citroque commeare debet, quemadmodum et caetera omnia. Sed quid est rei in quo meum desideras consilium?

PHILODOXVS. Piget obscuritatis, cuperem esse celebris, commonstra viam.

SYMBVLVS. En tibi compendiarium. Imitare Erostratum, qui incendit templum Dianae, aut huic simillimum Zoilum, qui lacerauit Homerum aut aliud aliquod facinus memorabile designa, et ἀοίδιμος eris cum Cercopibus ac Neronibus.

PHILODOXVS. Famam ex scelere parent alij, ego nomen ambio rumoris a honesti.

SYMBVLVS. Talem igitur te praesta, qualis optas praedicari.

PHILODOXVS. At multis egregia virtute praeditis non contigit nominis celebritas.

SYMBVLVS. Istud an verum sit nescio, attamen si id eueniat quod ais, ipsa virtus abunde megnum sui praemium est.

PHILODOXVS. Vera praedicas, planeque philosophice. Verumtamen, vt sunt res humanae, mihi videtur gloria praecipuum quoddam ornamentum esse virtutis, quae non aliter gaudet agnosci, quam sol amat lucere, vel ob hoc ipsum, vt et prosit quamplu-
295r rimos / ad sui pellicat aemulationem? Postremo non video quam possessionem speciosiorem parentes liberis suis relinquere possint, quam honesti nominis immortalem memoriam.

SYMBVLVS. Vt video, gloriam expetis virtute partam.

PHILODOXVS. Scilicet.

SYMBVLVS. Proinde tibi propone literis omnium celebratos, Aristidem, Phocionem, Socratem, Epaminundam, Scipionem Aphricanum, Catones, Seniorem et Vticensem, M. Brutum, et horum similes, qui belli domique de republica quam optime mereri stu-

41 rep.

duerunt. Hic est enim feracissimus gloriae campus

PHILODOXVS. Verum inter istos celebres, Aristides ostracismo iussus est solum vertere, Phocion et Socrates biberunt cicutam, Epaminundas capitis est postulatus, quemadmodum et Scipio; Cato senior quadragies reus causam dixit. Vticensis sibi mortem consciuit, itidem Brutus. Ego gloriam optarem nulla inuidia contaminatam.

SYMBVLVS. At istuc ne Herculi quidem filio concessit Iupiter. Nam post tot monstra virtute domita cum excetra fuit extremum certamen, idque multo omnium pertinacissimum.

PHILODOXVS. Ego Herculi suos gloriosos labores nunquam inuidebo. Eos demum felices duco, quibus obtigit honestum nomen nulla inuidia contaminatum.

SYMBVLVS. Vis, vt video, suauiter viuere; eo metuis inuidiam, nec id iniuria, κάκιστον γάρ ἐστι θηρίον.

PHILODOXVS. Sic est.

(295v) SYMBVLVS. / Ergo λάθε βιώσας.

PHILODOXVS. At istuc est mortuum esse, non viuere.

SYMBVLVS. Intelligo quid affectes. In sole clarissimo versari gaudes absque vmbra.

PHILODOXVS. Istuc quidem fieri non potest.

SYMBVLVS. At nihilo magis fieri potest vt gloriam consequeris nulla contaminatam inuidia. Recte facta vltro sequitur gloria, gloriam comitatur inuidia.

PHILODOXVS. Atque posse gloriam absque inuidia contingere docet nos senex ille comicus: "Ita vir facillime sine inuidia laudem inuenias, et amicos pares."

SYMBVLVS. Si ista laude contentus es, quam tulit Pamphilus adolescens obsequijs et morum commoditate, poteris eodem e loco petere rationes assequendi quod expetis, vnde decerpisti sententiam. In omni re memento: "ne quid nimis", sed tamen mediocriter omnia, esto facilis in perferendis aliorum moribus, ad leuiora vicia conniuens, ne sis praefractus, tuaeque sententiae nimium tenax, sed aliorum studijs temet accommoda. Nulli laedas os, sed coem te praebeas omnibus.

PHILODOXVS. Adolescentiae fauent plerique nec magni negocij sit tum istam parare laudem; ego magnificum quoddam nominis decus optarim, quod per vniuersum orbem resonet, quodque cum aetate semper fiat illustrius, atque a funere tandem clarius elucescat.

SYMBVLVS. Equidem laudo generosam istam indolem tuam, 296r Philodoxe. Caeterum si cupis / gloriam virtute partam, prae-

cipua vistus est, negligere gloriam; et summa laus est, non ambire laudem, quae magis sequitur fugientem. Videndum est igi tur, ne quo impensius ista ambis, hoc frustre re magis.

PHILODOXVS. Non sum Stoicus ἀπαθής , tangor humanis affectibus.

SYMBVLVS. Si te profiteris hominem, nec ea recusa quae sunt humanae sortis, quur ea venaris qua nec Deo contingunt? Nosti enim Theocriticum illud non minus vere quam scite dictum, Iouem nec pluuium nec serenum placere omnibus.

PHILODOXVS. Non est fortassis ignis absque fumo, sunt ta men ἀκαπνα . Si non potest obtineri, quin aliqua liuoris nubecula obscuretur hominis gloria, arbitror tamen esse rationes, quibus fiat vt quam minimum inuidiae sit admixtum.

SYMBVLVS. Eas igitur tibi vis commonstrari?

PHILODOXVS. Percupio.

SYMBVLVS. Modice virtutem exerere, et minus grauaberis inuidia.

PHILODOXVS. At gloria nisi sit insignis non est gloria.

SYMBVLVS. Ecce tibi certissimam viam. Designa praeclarum aliud facinus, et morere et citra in inuidiam celebraberis cum Codris, Menoecis, Iphigenijs, Curtijs ac Decijs: "Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit."

PHILODOXVS. Equidem vt ingenue quod res est fatear, cupio liberis ac nepotibus meis honesti nominis hereditatem relinquere, verum huius rei fructum viuus apud aliquandiu decer pere cupiam.

(296v) SYMBVLVS. Age, non te suspendam amplius. Certissima ad illustre nomen est via benemereri, quum priuatim de singulis, tum publicitus de vniuersis. Id partim sit officijs, partim benignitate. Benignitas sic temperanda est, ne cogaris ab alijs rapere, quod alijs su ppedites.Nam ex huiusmodi largitionibus plus odij nascitur apud probos, quam fauoris apud improbos. Porro ab improbis laudari infamia verius est quam gloria. Ad haec benignitatis fons largiendo exhauritur; porro benificentia, quae constat officijs fundum non habet; imo quo largius hunc hauritur, hoc scatet vberius. At hic multae res sunt, quae et inuidiam mitigant, et famae celebritatem illustrant, quae nemo sibi praestare valet, sed contingunt gratuito fauo-

---

7 deo
22 niuis emendatum est in erratis

re numinis:

Gratior est pulchro veniens e corpore virtus.

Ad formam corporis sibi nemo largitur. Adfert secum dignitatis plurimum generis claritudo. Ad haec quoque fortunae munus est. Idem sentiendum de diuitijs, quae recte factis partae ab auis atque atauis ad nos deuenerunt. Ne hoc quidem quisquam sibi praestat. Huius generis sunt et ingenij dexteritas, ac dicendi gratia, lepos et comitas non ascita sed ingenia. Postremo decorum quoddam arcanum atque etiam felicitas, cuius
297r effectum in multis videmus quotidie, causam red/dere nemo potest. An non frequenter conspicimus eadem geri diciue a diuersis, et magnam inire gratiam qui peius gessit, dixitue, quum is qui melius rem egerit, pro gratia referat odium. Hoc prisci quidam ad genios referebant. Dicebant enim in ea re quemque fortunatum esse, ad quam natus esset; contra parum succederet, quod quis inuita Minerua, iratoque genio tentaret.

PHILODOXVS. Hic igitur nullus est concilio locus?

SYMBVLVS. Vix vllus. Attamen qui sagaces sunt, deprehendunt in pueris aut adolescentibus notas quasdam quibus coniecturam facere liceat, ad quae studia, quodue vitae genus, quasue actiones sint idonei. Idem indicat in nobis arcanus quidam animi sensus, quo a quibusdam adhorremus nulla euidente causa, ad quaedam item miro impetu rapimur. Hinc est quod alius feliciter tractat rem militarem, alius dexter est in negocijs politicis, alium dicas ad studia natum. Quanquam et in his mira varietas, nimirum tanta, quanta est functionum diuersitas. Alium natura genuit imperio, alium voluit esse fortem militem, cui plurimum indulsit, ei concessit vt, iuxta Homerum, pariter et bonus sit lancearius et egregius dux. Itidem in rebus ciuilibus, alius valet in consilio, alius in agendis causis ex
(297v) cellit, alius obeundis / legationibus et gaudet et feliciter rem gerit. De studiorum varietate quid attinet dicere? Sunt qui sic rapiantur ad institutum monasticum, nec ad quoduis, sed vel ad hoc vel illud, vt vitam sibi putent acerbam, nisi quod optant, assequantur. Sunt e diuerso qui mirum in modum abhorrent, vt mori ducant potius quam fieri monachum, nec in odio faciunt aut certa ratione, sed arcano quodam naturae sensu.

PHILODOXVS. Ista quidem in compluribus ita vt narras, et comperi nonnunquam, et frequenter admiratus sum.

---

21 sin

SYMBVLVS. In his igitur bonis quae nobis gratuito largitur naturae benignitas multo minus orietur inuidiae, si fastus absit et ostentatio. Amabilior enim est forma, aut nobilitas, aut opulentia, aut facundia in his qui se his bonis praecellere quasi nesciunt. Comitas autem et modestia nihil imminuunt. Haec commoda vt gratiam addunt, ita depellunt inuidiam. Haec autem comitas et morum suauitas oportet in omnibus litae actionibus sit perpetua, nisi prorsus repugnat Minerua. Nam frustra vt opinor tentaret Xenocrates, quod successit Socrati ac Diogeni; frustra moliretur Cato Censorius, quod Laelium fecit gratiosum. Attamen Demea ille Terentianus subito mutatus, satis declarauit quantum ad conciliandum beneuolentiam habeat
298r momenti stu/dijs et affectibus omnium obsequundare. Verum quoties a recto reciditur, iam et a vera gloria ad temporarium hominum fauorem degeneratur. Caeterum ea domum gloria perpetua est, quae honesti radicibus nititur a iudicio rationis perfecta. Nam affectus temporarios habent impetus, qui simulatque relanguerint, odisse coepimus quod autem vehementer arrisit, ac proinde plausus vertitur in sibilum, laus in vituperium. Caeterum vt ingenium prorsus inuerti non potest, ita potest aliqua ex parte corrigi.

PHILODOXVS. Expecto quid dicas.

SYMBVLVS. Qui natura blandior est, is cauere potest, ne dum apud omnes gratiosus esse studet, deflectat ab honesto, neue dum sese quibuslibet accommodat polypum imitatus, sibi parum constet.

PHILODOXVS. Tales noui permultos lubricae fidei et erubescendae vanitatis.

SYMBVLVS. Rursus qui seueriore sunt ingenio, dare operam oportet, vt sic affectent comitatem, ne quod agunt videatur simulatum aut subinde ad naturam suam recurrant, pro laude geminum dedecus sibi comparaturi et quod interdum rigidius agant, et quod sint inconstantes. Tantam enim vim habet constantia, vt qui vitiosam nacti sunt naturam, tamen ob hoc ipsum leuius ferantur, quod nusquam sunt sui dissimiles. Fucus autem simulatque suboluit etiam in benefactis gignit odium; porro quod
(298v) simulatum est, / perpetuo latere non potest, aliquando erumpat oportet quod vbi factum fuerit, semel euanescit omnis ille magnificus gloriae fumus, atque etiam in fabulam vertitur.

---

25 Polypum
31 suum ementadum est in erratis

PHILODOXVS. Illud igitur, vt video, mones a natura minimum, ab honesto minime recedendum esse.

SYMBVLVS. Tenes. Ad haec scis, quicquid subito inclarescit, obnoxium esse inuidiae. Inde vox odiosa νεοπλούτων apud Graecos, apud Romanos nouorum hominum cognomen, apud vtrosque terrae filiorum et e coelo delapsorum. Caeterum fama quae paulatim nascitur, et augescit, quemadmodum minimum habet inuidiae, ita maxime durabilis est, vt indicat hoc ille potearum acutissimus Horatius:

Crescit occulto velut arbor aeuo fama Marcelli.

Proinde si veram, si perpetuam, si liuori quam minimum expositam gloriam vsu venire, et dum nimium properant initio, serius perueniant ad finem.

PHILODOXVS. Sed hominum vita breuis est.

EYMBVLVS. Ergo ad benefacta properandum non ad gloriam quae sua sponte consequitur. Non enim id consulis, opinor, quibus rationibus longaeuus fieri possis. Nam istuc Parcarum munus est, quae fila ducunt et amputant, quum ipsis est visum.

PHILODOXVS. Vtinam isthuc quoque possis.

299r SYMBVLVS. Nunquam, o Philodoxe, diui tam fuerunt / benigni, vt vni darent omnia. Quod annis detrahunt, nominis splendore pensant. Quibusdam sed paucissimis tam indulgenter fauent, vt vni sibique quodam modo superstites, posteritate sua fruantur. Sed rari sunt,"quos aequus amauit Iupiter". Hoc fortassis aliquid dijs geniti potuere, verum ista felicitas non cadit in hanc consultationem.

PHILODOXVS. Saepe mecum admirari soleo, seu fortunae seu naturae inuidentiam, quae nihil omnino commodi largitur mortalibus, quod non aliquo temperet incommodo.

SYMBVLVS. Quid igitur superest, amice, nisi vt homines nati sortem humanam aequo feramus animo. Iam et illud haud mediocriter conducit ad leniendam inuidiam, si penitus cures habere perspecta nationum, ordinum et singulorum hominum ingenia, nimirum ad eorum exemplum, qui bestijs cicurandis alendisque dant operam. Siquidem horum praecipuum est studium, animaduertere quibus rebus quodque animal vel efferetur, vel deliniatur. Non iam loquor tantum de discrimine quod est inter auem et quadrupedem, inter serpentem et piscem, aut quod est

---

10 Fama
17 parcarum

inter aquilam et vulturem, inter elephantem et equum, inter delphinum et phocam, inter viperam et aspidem, sed de innumera varietate, quae est in singulis animantium generibus.

(299v) PHILODOXVS. Expe/cto quo sit euasurus.

SYMBVLVS. Omnes canes sub vna specie continentur, sed haec species quam in innumeras formas distrahitur, vt dicas illos genere distingui, non specie. Iam prorsus in eadem specie quam varij sunt canum mores et ingenia?

PHILODOXVS. Immensa varietas.

SYMBVLVS. Quod de canibus dictum est, de singulis animantium generibus dictum puta, sed in nullo magis elucet discrimen quam in equis.

PHILODOXVS. Vera praedicas, sed quorsum haec?

SYMBVLVS. Quicquid in animantium generibus vel in formis, vel in singulis animantibus varietas est, hoc omne puta esse in homine. Illic reperies lupos varios, canes inenarrabili varietate, elephantos, camelos, asinos, leones, oues, viperas, simios, dracones, aquilas, vultures, hirundines, et quid non?

PHILODOXVS. Quid tum?

SYMBVLVS. Nullum autem est animal tam efferum, quin arte tractatum aliquam de se praebeat vtilitatem, aut certe non laedat.

PHILODOXVS. Nondum perspicio quid agas.

SYMBVLVS. Est nonnihil discriminis inter Hispanum, Italum, Germanum, Gallum et Anglum?

PHILODOXVS. Est plane.

SYMBVLVS. Ad haec est singulis in vno quoque genere peculiare quoddam ingenium.

PHILODOXVS. Fateor.

SYMBVLVS. Hanc varietatem si sagaciter habueris animadversam et singulorum moribus te accommodes, perfacile consequeris

300r vt aut omnes habeas ami/cos, aut certe nullos inimicos.

PHILODOXVS. Si Polypum me fieri iubes, vbi rectum et honestum?

SYMBVLVS. Est in rebus communibus aliquod obsequium, quod nullo pacto vitiat honestum; quod genus apud Italos osculo salutant viri viros. In Germania si facias idem absurdum videatur, sed pro osculo dextram porrigunt. Rursus in Anglia viri salutant mulieres etiam in templo obuias; idem si fiat in Italia, flagitium habeatur. Item in Anglia porrigere poculum tuum interuenienti in conuiuio ciuilitatis est, in Gallia contumeliae est. In his et alijs huiusmodi, citra recti iacturam li-

cet omnibus obsequundare.

PHILODOXVS. At perdifficile sit omnium gentium mores ac singulorum hominum ingenia nosse.

SYMBVLVS. Verum, o Philodoxe, si gloriam insignem quaeris, eamque virtute partam, necesse est vt virtutem quoque prǽestes non vulgarem. Scis autem virtutem circa difficilia versari, quemadmodum ante Peripateticum illum docuit Hesiodus; proinde si mel cupis, apes feras oportet.

PHILODOXVS. Scio et memini, sed mitigandae inuidiae rationem quaerimus.

SYMBVLVS. Proin da operam, vt in bello dux esse malis quam miles, et in eo bello quod gerendum cum inuisis hostibus, potius quem cum ciuibus, aut socijs. In republica ea potissi-
(300v) mum munia /capesse, quae popularia sunt et gratiosa. Velut defendere popularius est,quam accusare; honorare, quam punire. Quod si qua incidunt, sicut incidere necesse est, natura molesta, tamen ea quoque si vitari non possunt, commoditate sunt lenienda.

PHILODOXVS. Quo pacto?

SYMBVLVS. Sedes iudex aut arbiter, altera pars nonnihil offendenda est, sed ea rem aequitate geras, vt si fieri possit etiam victus gratias agat.

PHILODOXVS. Qui sic?

SYMBVLVS. Puta, intenditur actio furti aut sacrilegij, muta si potes actionis formulam, et fac vt sit actio rei vindicandae. Hic protinus ita reum subleuas, vt nihil tamen decedat actori. Porro actionem omnem sic moderare, vt citra actoris dispendium reo videaris aequus. Postremo damnati poenam nonnihil mitiga. Absit interim aut vultus toruitas, aut verborum acerbitas, aut morositas, quae res faciunt vt quidam peiorem ferant gratiam pro dato beneficio, quam alij pro negato. Interdum monendis est amicus sed si nulla spes emendationis, silere praestat. Si res grauior est, et spes est profectus, magni refert qualis sit admonitio. Nam saepenumero fit, vt qui sinistre aut intempestiue admonet et morbum exasperet et ex amico reddat inimicum. Haec dexteritas magis etiam habet locum, si agas cum principe. Nam horum affectionibus nonnunquam inci-
301r dit, / vt sit resistendum. Quod si fit comiter ac dextre, paulo post qui obstitere plus ferant gratiae quam qui obsecundarunt. Quod enim cupiditati placet, temporarium est; quod recta ratione geritur, perpetuo probatur. Longe vero maxima pars inuidiae nascitur ex intemperantia linguae. Quantum odij nonnunquam vnica

vox temere excidens concitat nonnullis. Quam multis dictum aut iocus intempestiuus fuit exitio. Laudabis igitur, sed dignos, idque parce; sed vituperabis parcius, si tamen omnino quispiam vituperandus est, proinde vitanda loquacitas. Difficillimum enim est, simul et multa et opportune dicere.

PHILODOXVS. Assentior istis omnibus. Sed mihi videtur praecipua ad parandum nominis celebritatem via, scribere libros.

SYMBVLVS. Vera praedicas, nisi quod obstat scribentium turba. At si ista placet ratio, cura vt exacte scribas potius quam multa. Cum primis autem argumentum delige, neque protritum, neque cum multis commune, ad haec minime inuidiosum; in id quicquid insigne complurium annorum lectione contractum est, conferas; tractatione vero tale reddes, vt voluptatem habeat cum vtilitate coniunctam.

PHILODOXVS. Prudenter tu quidem, Symbule, meoque animo feceris satis, si vnum illud adieceris, quibus rebus effici (301v) possit, / vt maturius etiam contingat gloria. Multos enim video, qui vix sub obitum inclarescunt, nonnullos a rogo, quod aiunt, demum innotescere.

SYMBVLVS. Hic quod consulam nihil habeo melius, quam quod tibicen suasit tibicini. Fac vt his teipsum probes, qui gloria iam vicerunt inuidiam, in horum amicitiam temet insinua, quorum honorifica de te praedicatio facile populare studium tibi conciliabit.

PHILODOXVS. At si quando exoriatur inuidia, quid ostendis remedij?

SYMBVLVS. Fac quod solent hi qui picem coquunt; si flamma effulserit, infundunt aquam, ac tum magis efferatur ac stridet incendium, ni id facias constanter ac saepius.

PHILODOXVS. Quid istud aenigmatis est?

SYMBVLVS. Inuidiam oborientem beneficijs obrue potius quam vindicta. Nihil egit Hercules resectis Hydrae Lerneae capitibus, igni Graeco deuicit extiabile monstrum.

PHILODOXVS. Sed quam vocas ignem Graecum?

SYMBVLVS. Qui ardet etiam in medijs aquis. Eum adhibet qui lacessitus iniuria malorum, non cessat tamen de omnibus benemereri.

PHILODOXVS. Quid ego audio? benificentia igitur nunc aqua est, nunc ignis?

SYMBVLVS. Quid vetat? quando Christus in alegorijs nunc

---

15 Prudenter typos inuersos habet, sed emendatum est in erratis
30 enigmatis emendatum est in erratis

sol est, nunc ignis, nunc lapis. Dic sedulo. Si quid melius eris natus, sequitor, meumque repudiato consilium. /

302r
LB 862-866
ASD 676-685

OPVLENTIA SORDIDA

IACOBVS, GILBERTVS

IACOBVS. Vnde nobis tam exuccus, quasi cum cicadis interea rore sis pastus? mihi nihil aliud quam syphar hominis esse videris.

GILBERTVS. Apud inferos vmbrae malua et porro saturantur; at ego decem vixi menses, vbi ne id quidem contigit.

IACOBVS. Vbinam te quaeso, num abreptus in nauem galeatam?

GILBERTVS. Nequaquam, sed Synodij.

IACOBVS. In vrbe tam opulenta, bulimia periclitatus es?

GILBERTVS. Maxime.

IACOBVS. Quid in causa? An deerat pecunia?

GILBERTVS. Nec pecunia, nec amici.

IACOBVS. Quid igitur erat mali?

GILBERTVS. Mihi res erat cum hospite Antronio.

IACOBVS. Cum illo opulento?

GILBERTVS. Sed sordidissimo.

IACOBVS. Monstri simile narras.

GILBERTVS. Minime, sed sic fiunt diuites, qui e summa emergunt inopia.

IACOBVS. Quid ita libuit tot menses apud talem hospitem commorari?

GILBERTVS. Erat quod alligaret, et sic tunc erat animus.

IACOBVS. Sed dic, obsecro, quo tandem viuit ille apparatu?

GILBERTVS. Dicam, quandoquidem actorum laborum solet esse iucunda commemoratio.

IACOBVS. Mihi certe futura est.

GILBERTVS. Illud οὐράνοθεν accessit incommodi, quum illic agerem, totos tres menses spirabat boreas, nisi quod illic nescio quo pacto nunquam perseuerat vltra diem octauum.

(302v) IACOBVS. Quomodo igitur spirabat / totos tres menses?

GILBERTVS. Sub eum diem velut ex constituto mutabat stationem, sed post horas octo migrabat in locum priorem.

IACOBVS. Ibi tenui corpusculo opus erat foco luculento.

GILBERTVS. Satis erat ignis, si suppetisset lignorum

copia. Verum ne quid hic faceret impendij noster Antronius, ex rusculis insularibus euellebat arborum radices ad alijs neglectas, idque fere noctu. Ex his nondum beneficijs struebatur ignis non absque summo, sed sine flamma, non qui calefaceret, sed qui praestaret, ne vere dici posset ibi nullum esse ignem. Vnicus autem ignis durabat totum diem, adeo temperatum erat incendium.

IACOBVS. Illic hybernare durum erat.

GILBERTVS. Imo multo durius aestiuare.

IACOBVS. Qui sic?

GILBERTVS. Quoniam ea domus tantum habebat pulicum ac cimicum, vt nec interdiu quietum esse, nec noctu somnum capere liceret.

IACOBVS. Diuitias miseras.

GILBERTVS. Praesertim in hoc pecoris genere.

IACOBVS. Oportet illic ignauas esse foeminas.

GILBERTVS. Latitant, nec inter viros versantur. Ita fit vt illis et foeminae nihil aliud sint quam foeminae, et viris desint ea ministeria, quae solent ab eo sexu suppeditari.

IACOBVS. Sed ANtronium interim non pigebat tractationis?

GILBERTVS. Illi in huiusmodi sordibus educato praeter lucrum nihil erat dulce. Vbiuis potius habitabat quam domi, / 303r nulla in re non negociabatur. Scis autem eam vrbem esse praecaeteris Mercurialem. Pictor ille nobis deplorandum existemauit, si dies abijsset sine linea, Antronius longe magis deplorabat, si dies praeterijsset absque lucro. Quod si quando euenisset, domi quaerebat Mercurium.

IACOBVS. Quid faciebat?

GILBERTVS. Habebat in aedibus cisternam ex eius ciuitatis more; illic hauriebat aliquot aquae situlas, et infundebat in vasa vinaria. Hic erat certum lucrum.

IACOBVS. Fortasse vinum erat aequo vehementius.

GILBERTVS. Imo plus erat quam vappa. Nunquam enim emebat vinum nisi corruptum quo minoris emeret; ex eo ne quid periret, subinde feces annorum decem miscebat, voluens ac revoluens omnia, quo mustum videretur, neque enim ille passus fuisset vllam fecis micam perire.

IACOBVS. At si qua fides medicis, tale vinum gignit vesicae calculos.

GILBERTVS. Non errant medici, nam in ea domo nullus erat annus tam felix, quin vnus atque alter calculo periret, nec horrebat ille funestam domum.

IACOBVS. Non?

GILBERTVS. Etiam a mortuis colligebat vectigal. Nec aspernabatur quamuis exiguum lucellum.

IACOBVS. Dicis furtum.

GILBERTVS. Lucrum vocant negociatores.

IACOBVS. Quid interea bibebat Antronius?

GILBERTVS. Idem ferme nectar.

IACOBVS. Non sensit malum?

(303v) GILBERTVS. Durus erat, qui vel foenum esse posset, / et talibus, vt dixi, delicijs fuerat a teneris educatus. Hoc lucro nihil existimabat certius.

IACOBVS. Quid ita?

GILBERTVS. Si supputes vxorem, filios, filiam, generum, operas et famulas, alebat domi fere corpora triginta tria. Iam quo vinum erat dilutius, hoc et parcius bibebatur, et serius exhauriebatur. Hic mihi subducito, in singulos dies addita aquae situla, quam non poenitendam summam conficiat in annum.

IACOBVS. O sordes!

GILBERTVS. Atqui non minus compendij redibat ex pane.

IACOBVS. Quo pacto?

GILBERTVS. Emebat triticum viaticum, quod alius noluisset emere. Hic praesens statim lucrum, quia minoris emebat. Caeterum vitio medicabatur arte.

IACOBVS. Qua tandem?

GILBERTVS. Est argillae genus frumento non dissimile, quo videmus et equos delectari, dum et parietes arrodunt, et ex lacunis ea argilla turbidis bibunt libentius. Eius terrae tertiam partem admiscebat.

IACOBVS. Est istud medicari?

GILBERTVS. Certe tritici vitium minus sentiebatur. An hoc quoque lucrum putas aspernandum? Adde iam aliud stratagema, domi panem subigebat, nec id crebrius etiam aestate, quam bis in mense.

IACOBVS. Isthuc est lapides apponere, non panes.

GILBERTVS. Aut si quid lapide durius. Sed huic quoque malo erat paratum remedium.

IACOBVS. Quodnam?

304r GILBERTVS. Fragmenta panis immersa cyathis viuo ma/cerabat.

IACOBVS. Similes habebant labra lactucas. Sed ferebant talem tractationem operae?

GILBERTVS. Primum narrabo primarium eius familiae appara-

42 primatum emendatum est in erratis

tum, quo facilius diuines quomodo tractentur operae.

IACOBVS. Audire cupio.

GILBERTVS. De ientando nulla erat illic mentio. Prandium fere differebatur in horam a meridie primam.

IACOBVS. Quamobrem?

GILBERTVS. Expectabatur Antronius pater familias. Coenabatur interdum ad horam decimam.

IACOBVS. At tu solebas esse inaediae impacientior.

GILBERTVS. Eoque subinde clamabam Ad Antronij generum, Orthrogonum (agebamus enim in eodem conclaui): Heus Orthrogone, non coenatur hodie apud Synodios? Commode respondit brẽui adfuturum Antronium. Quum nihil viderem apparati, et latrãret stomachus: Heus, inquam, Orthrogone, erit hodie pereundum fame? Excusabat horam, aut aliud simile. Quum non ferrem stomachi latratum, rursus interpellebam occupatum: Quid futurum est, inquam, eritne moriendum fame? Vbi iam Orthrogonus consumpsisset omnem tergiuersationem, abijt ad famulos, iussitque adornari mensam. Tandem quum nec rediret Antronius, nec quicquam appararetur, Orthrogonus victus conuicijs meis descendebat ad vxorem et socrum ac liberos clamitans vt appa-
(304v) rent / coenam.

IACOBVS. Nunc saltem expecto coenam.

GILBERTVS. Ni propera. Prodibat tandem famulus claudus, ei praefectus negocio, non admodum dissimilis Vulcano, insternit mensam linteo. Ea prima coenae spes. Tandem post longam vociferationem afferuntur phialae vitreae, cum aqua sane limpida.

IACOBVS. Altera coenae spes.

GILBERTVS. Ne propera, inquam. Rursum post atroces clamores adfertur phiala illius nectaris feculenti plena.

IACOBVS. O factum bene!

GILBERTVS. Sed sine pane. Nihil adhuc periculi, nemo famelicus bibat lubens tale vinum. Clamatum est interdum vsque ad rauim. Tum demum apponitur panis ille, quem vix vrsus dentibus frangeret.

IACOBVS. Certe iam vitae consultum est.

GILBERTVS. Sub multam noctem tandem venit Antronius, hoc fere prooemio inauspicatissimo, vt diceret, sibi dolere stomachum.

IACOBVS. Quid hic mali auspicij?

GILBERTVS. Quia tunc nihil erat quod ederetur. Quid enim expectes hospite male affecto?

IACOBVS. Dolebat re vera?

GILBERTVS. Adeo vt solus deuoraturus fuerit tres cappos, si quis dedisset gratis.

IACOBVS. Expecto conuiuium.

GILBERTVS. Primum ipsi apponebatur patina cum farina fabacea, quod obsonij genus illic vulgo venditur tenuibus. Aiebat se hoc vti remedio aduersus omne morbi genus.

IACOBVS. Quot eratis conuiuae?

305r GILBERTVS. Interdum octo / aut nouem, inter quos erat Verpius ille doctus quam arbitror tibi non ignotum, et filiusfamilias natu maior.

IACOBVS. Quid illis apponebatur?

GILBERTVS. An non satis est frugi hominibus, quod Melchicedech obtulit Abrahae quinque regum victori?

IACOBVS. Nihil igitur obsonij?

GILBERTVS. Erat nonnihil.

IACOBVS. Quodnam?

GILBERTVS. Memini nos fuisse in mensa conuiuas numero nouem, quum in patina non numerarem nisi septem foliola lactucae aceto innatantia, sed absque oleo.

IACOBVS. Solus igitur ille deuorabat suas fabas?

GILBERTVS. Vix semiobolo emerat, nec tamen vetabat, si quis proxime assidens vellet gustare; sed inciuile videbatur, languido suum eripere cibum.

IACOBVS. Secabantur igitur folia, quemadmodum de cumino meminit prouerbium?

GILBERTVS. Non, sed lactucis a primoribus absumptis, reliqui panem immergebant aceto.

IACOBVS. Quid autem post septem folia?

GILBERTVS. Quid nisi caseus conuiuiorum clausula?

IACOBVS. Hiccine erat apparatus perpetuus?

GILBERTVS. Propemodum, nisi quod interdum, si eo die Mercurium fuisset expertus propitium, erat paulo profusior.

IACOBVS. Quid tum?

GILBERTVS. Iubebat emi tres vuas recentes vno aereo nummulo. Ea res exhilarabat totam familiam.

IACOBVS. Quid ni?

GILBERTVS. Id eo duntaxat tempore, quo summa est vuarum ibi vtilitas.

---

26 memini emendatum est in erratis

(305v) IACOBVS. Proin extra au-/tumnum nihil profundebat.

GILBERTVS. Profundebat. Sunt illic nauiculatores, qui concharum minutum genus hauriunt, potissimum e latrinis; hi clamore certo significant quid habeant genale. Ab his interdum iubebat emi dimidio nummuli, quem illi bagathium appellant. Tum vero dixisses, in ea familia esse nuptias. Nam igni erat opus, licet celerrime percoquantur. Atque haec quidem post caseum loco bellariorum.

IACOBVS. Bella hercle bellaria. Sed nihil vnquam apponebatur carnium aut piscium?

GILBERTVS. Tandem victus meis clamoribus coepit esse splendidior. Quoties autem videri volebat Lucullus, hi ferme erant missus.

IACOBVS. Isthuc vero lubens audiero.

GILBERTVS. Primo loco dabatur iusculum,quod illi nescio quam o causam appellant ministram.

IACOBVS. Lautum opinor.

GILBERTVS. His conditum aromatibus. Admouetur igni cacabus aqua plenus, in eam conijciuntur aliquot fragmenta casei bubalini, qui iam olim in saxum induruit. Nam ad defringendam aliquid bona securi opus est. Cum ea fragmenta tepore aquae solui coeperint, inficiunt eam, ne possit mera dici aqua. Hoc iusculo praeparant stomachum.

IACOBVS. Suibus dignum.

GILBERTVS. Dein apponitur paululum carnium de ventre veteris vaccae, sed elixum ante dies quindecim.

IACOBVS. Foetet igitur. /

306r GILBERTVS. Maxime, sed adhibetur remedium.

IACOBVS. Quodnam?

GILBERTVS. Dicam, sed vereor ne imitaturo.

IACOBVS. Scilicet.

GILBERTVS. Miscent ouum aquae calefactae, eo iure perfunt carnem, ita magis falluntur oculi quam nares. Nam foetor erumpit per omnia. Si dies requirit esum piscium, interdum apponuntur auratae tres, nec hae magnae, quum conuiuae sint septem aut octo.

IACOBVS. Praeterea nihil?

GILBERTVS. Nihil nisi caseus ille saxeus.

IACOBVS. Nouum mihi narras Lucullum. Sed qui potuit tam exilis apparatus tot sufficere conuiuis, praesertim nullo refectis ientaculo?

GILBERTVS. Imo ne sis insciens, ex eius conuiuij reliquijs

alebantur socrus, nurus, filius natu maior, famula et aliquot paruuli.

IACOBVS. Tu quidem admirationem meam auxisti, non ademisti.

GILBERTVS. Istuc tibi vix possum describere, nisi prius ordinem conuiuij depinxero.

IACOBVS. Pinge igitur.

GILBERTVS. Antronius obtinebat primum locum, nisi quod ego illi sedebam dexter, velut extraordinarius; e regione Antronij Orthrogonus. Orthrogono assidebat Verpius, Verpio Strategus natione Graecus, Antronio sinister assidebat filius natu maior. Si quis accessisset conuiua, ei locus dabatur pro dignitate. Primum de iure minimum erat vel periculi vel discri-
(306v) minis nisi quod in procerum discis natabant / fragmenta bubalini casei. Caeterum ex phialis vini aquaeque ferme quatuor vallum quoddam fiebat, vt nemo possit attingere quod erat appositum, praeter tres ante quod stabat patina, nisi quis sustinuisset esse impudentissimus, et transilire septa. Nec tamen ea patina diu manebat, sed mox tollebatur, vt aliquid superesset familiae.

IACOBVS. Quid igitur edebant reliqui?

GILBERTVS. Suo more deliciabantur.

IACOBVS. Qui?

GILBERTVS. Panem illum argillaceum macerabant vino fecis vetustissimae.

IACOBVS. Tale conuiuium oportuit esse perbreue.

GILBERTVS. Frequenter hora prolixius.

IACOBVS. Qui potuit?

GILBERTVS. Sublatis vt dixi mox, quae non carebant periculo, ponebatur caseus, vnde nullum erat periculum, ne quisquam vllo cutello escario quicquam abraderet. Manebat illa praeclara fex, et suus cuique panis. Atque inter haec bellaria tuto miscebantur fabulae. Interim prandebat foeminarum senatus.

IACOBVS. Quid interim operae?

GILBERTVS. Nihil habebant nobiscum commune, suis horis sibi prandebant ac coenabant. Sed hi cibo capiendo vix semihoram impendebant toto die.

IACOBVS. Verum apparatus cuiusmodi?

GILBERTVS. Isthuc tuum est diuinare.

---

10 Praetermissio vocabuli Verpius emendata est in erratis

IACOBVS. At Germanis vix sufficit hora in ientaculum, tantundem in merendam, sesquihora in prandium, duae horae in
307r coenam, ac nisi af/fatim expleantur eleganti vino, bonis carnibus ac piscibus, deserunt patronum, et fugiunt in bellum

GILBERTVS. Suus cuique genti mos est. Itali minime impendunt gulae, pecuniam malunt quam voluptatem, et sobrij sunt natura quoque non solum instituto.

IACOBVS. Nunc profecto non miror te nobis redisse tam exilem, sed omnino viuum redisse demiror, praesertim quum antea capis, perdicibus, turturibus et phasianis assueuisses.

GILBERTVS. Plane perieram, nisi repertum fuisset remedium.

IACOBVS. Male res agitur, vbi tot remedijs est opus.

GILBERTVS. Effeceram vt iam mihi languescenti in singula conuiuia daretur quarta pars pulli elixi.

IACOBVS. Nunc incipies viuere.

GILBERTVS. Non admodum. Emebatur pullus exiguus ne multum impederetur, cuiusmodi sex non sufficerent vni boni stomochi Polono in ientaculum. Nec empto dabant cibum, ne quid esse impendij, itaque macie enecti ac semiuiui coquebatur ala aut poples, iecur dabatur Orthrogoni filio infanti. Ius autem semel atque iterum ebibebant mulieres suinde noua infusa aqua. Itaque poples ad me geniebat pumice siccior, et quouis putri ligno insipidior. Ius nihil erat nisi mera aqua.

IACOBVS. Et tamen audio illic auium genus et copiosissimum esse, et elegans et vile.

(307v) GILBERTVS. Est prorsus, sed illis carior est / pecunia.

IACOBVS. Satis dedisti poenarum, etiam si Romanum Pontificem occidisses, aut si minxisses ad sepulchrum diui Petri.

GILBERTVS. Sed audi reliquum fabulae. Scis esse in quaque hebdomada quinque dies, quibus vescimur carnibus.

IACOBVS. Nimium.

GILBERTVS. Duos itaque pullos duntaxat emebant. Die Iouis se fingebant oblitas emere, ne vel totum pullum eo die apponerent, vel aliquid superesset.

IACOBVS. Nae iste Antronius supererat etiam Euclionem Plautinum. Sed piscarijs diebus quo remedio consulebat vitae?

GILBERTVS. Amico cuidam dederam negocium vt mihi meo aere in singulos dies emeret oua tria,duo in prandium, vnum in coenam. Sed hic quoque foeminae pro recentibus care emptis suppo-

---

1 germanis
39 foemine

nebant semiputria, vt mecum praeclare crederem actum, si ex tribus vnum esset quod edi posset. Tandem et vtrem vini purioris mea pecunia emeram, caeterum mulieres effracta sera inter paucos dies exorsbuerunt, non admodum irato Antronio.

IACOBVS. Itane nullus erat illic, quem tui miseresoeret?

GILBERTVS. Miseresceret? Imo videbar illis gluto quispiam et helluo, qui tantum ciborum vnus deuorarem. Itaque subinde me admonebat Orthrogonus haberem eius regionis rationem, meaeque consulerem incolumitati, et aliquot nostrates commemorabat, quibus illic edacitas conciliasset aut mortem / 308r aut morbum grauissimum. Quum is me videret delicijs quibusdam, quas illic ex nucleis pineis, aut peponum, melonumque venditant pharmacopolae, fulcire corpusculum, et assiduis laboribus, et inedia, et iam etiam morbo fractum, subornat medicum mihi amicum et familiarem, vt persuadeat victus moderationem. Egit hoc meum diligenter. Moxque sensi subornatum, nec respondi tamen. Quum idem accuratius mecum ageret, nec admonendi faceret finem: Dic, inquam, mihi, vio egregie, serio istae loqueris, an ioco? Serio, inquit. Quid igitur suades vt faciam? A coenis in totum abstine, et vino adde vt minimum, aquae dimidium. Risi praeclarum consilium, si me cupis extinctum, huic corpusculo et raro, et exili, et spiritibus subtilissimis vel semel a coena abstinere mors esset; id toties ipsa re compertum habeo, vt non libeat iterum experiri. Quid autem futurum censes, si sic pransus a coena temperem? Et tali vino iubes addi aquam? Quasi non praestaret puram aquam bibere quam feculentam. Nec dubito quin haec te loqui iusserit Orthrogonus. Subrisit medicus, ac mitigauit consilium. Non haec loquor, inquit, Gilberte doctissime, quod in totum arceam te a (308v) coenis; licebit gustare ouum, et semel bibere, / sic enim ipse viuo. In coenam coquitur ouum, inde capio vitelli dimidium, reliquum do filio mox hausto semicyatho vini, studeo in multam noctem.

IACOBVS. Num isthaec vera praedicabat medicus?

GILBERTVS. Verissim... Nam ipse forte per viam ambulans, redibam a sacro, et comes admonuerat illic habitare medicum; libuit videre regnum illius. Erat autem dies dominicus. Pulsaui fores, apertae sunt, ascendi, offendo medicum cum filio et eodem famulo prandentem. Apparatus erat duo oua, praeterea nihil.

IACOBVS. Oportuit esse exangues homines.

GILBERTVS. Imo ambo erant pulchre habito corpore, colore

---

6 Misereceret

viuido ac rubido, oculis laetis.

IACOBVS. Vix credibile est.

GILBERTVS. At ego compertissima narro. Nec illud solus ad istum viuit modum, sed complures alij, et imaginibus clari, et re lauta. Polyphagia et polyposia, crede mihi, consuetudinis res est, non naturae. Si quis paulatim assuescat, tandem eo proficiet, vt idem faciat quod Milo, qui bouem eodem diem totum absumpsit.

IACOBVS. Deum immortalem, si tam parco victu licet tueri valetudinem, quantum impendiorum perit Germanis, Anglis, Danis et Polonis?

GILBERTVS. Plurimum haud dubie, et quidem non sine graui tum valetudinis, tum ingenij detrimento.

IACOBVS. Sed quid obstabat, quo minus tibi sufficeret ille
309r vi-/ctus?

GILBERTVS. Quia diuersus assueram, et serum iam erat mutare consuetudinem; quanquam me non tam offendebat ciborum exiguitas, quam corruptio. Duo oua poterant sufficere, si fuissent recens nata; vini cyathus erat satis, nisi pro vino daretur fex vapida; dimidium panis aluisset, nisi pro pane daretur argilla.

IACOBVS. Adeone sordidum esse Antronium in tantis opibus?

GILBERTVS. Arbitror censum illius non fuisse infra octoginta ducatorum millia. Nec vllus erat annus, quo non accederet lucrum mille ducatorum, vt dicam parcissime.

IACOBVS. Sed iuuenes illi quibus haec parabantur, num eadem vtebantur parsimonia?

GILBERTVS. Vtebantur, sed domi duntaxat, foris ligurie-bant, scortabantur, ludebant aleam, quumque pater in gratiam honestissimorum conuiuarum grauaretur teruncium impendere, iuuenes vna nocte sexaginta ducatos perdebant alea.

IACOBVS. Sic perire solent quae sordibus corraduntur. Verum e tantis periculosis incolumis quo nunc te confers?

GILBERTVS. Ad venustissimam Gallorum contubernium, sarturus quod illic dispendij factum est.

LB 873-878 ASD 700-709

(...)

AMICITIA
EPHORINVS, IOANNES

EPHORINVS. Saepenumero mecum admirari soleo, quem deum (309v) in consilium adhibuerit natura, quum in omni rerum / genere misceret amicitias et inimicitias quasdam arcanas, nec vllis causis euidentibus probabiles, nisi quod hoc spectaculo videtur fuisse delectata, quemadmodum nos ex commissis gallis et coturnicibus voluptatem capimus.

IOANNES. Nondum satis percipio quid velis dicere.

EPHORINVS. Dicam igitur si vis crassiore Minerua. Scis serpentium genus esse inimicum homini.

IOANNES. Scio vetus inter illos et nos esse dissidium et irreconciliabile, futurmque donec meminerimus illius inauspicati pomi.

EPHORINVS. Nosti lacertam?

IOANNES. Quid ni?

EPHORINVS. Italia magnas habet et virides. Hoc animal natura et homini amicum est, et serpentibus inimicum.

IOANNES. Vnde hoc deprehenditur?

EPHORINVS. Vbicunque prospicit homo, ibi congregantur lacertae, obliquato capite diu contemplantes hominis faciem; si expuas, elambunt sputum ore redditum; vidi et puerorum mictum exorbentes. Quin et puerorum manibus tractantur impune, atque etiam laeduntur et admotae ori gaudens saliuam lambere. Caeterum si comprehensae inter se committantur, dictu mirum quam in sese saeuiant nec appetunt committentem. Si quis in agris ambulet per viam cauam, nunc hinc, nunc illinc strepidu dimoti rubi admonent hominem, insuetus crederet serpentem esse, 310r vbi dispexeris lacertae sunt / obliquato capite contemplantes donec consistas; si pergas, sequentes. Rursus aliud agentem admonent. Diceres eas ludere vehementerque delectari hominis aspectu.

IOANNES. Mira narras.

EPHORINVS. Quodam die vidi praegrandem et mire viridem in ostio caui decertantem cum serpente. Primum mirabamur quid esset. Italus admonebat in antro esse hostem; paulo post venit ad nos lacerta velut ostendens sua vulnera ac remedium flavitans, ac se tantum non tangi patiebatur, quoties autem restabamus, res-

---

1 Collquium quod inscribitur "Exequiae Seraphicae" omissum est ab Ioanne Fernando (LB 860E-873B) (ASD,p.686-699)
2 EPHRORINVS

tabat et illa nos contemplans. Serpens alterum latus pene totum eroserat, et ex viridi rubrum fecerat.

IOANNES. Mihi si adfuissem, libuisset vlcisci lacertae vicem.

EPHORINVS. At ille iam se in profundum antrum abdiderat, post aliquot tamen dies pauimus oculos nostros vindicta.

IOANNES. Gaudeo profecto. Sed quo pacto?

EPHORINVS. Forte inambulabamus per eundem locum. Serpens e fonte vicino biberat, erat enim aestus prodigiosus, adeo vt nos quoque aquae inopia periclitaremur. Commodum occurrit ex agris puer natus annos tredecim, eius domus filius, in qua tum metu pestilentiae rusticabamur, gestans rastrum, quo foenum demessum conuerrunt agricolae, simul vt serpentem vidit, exclamat.

IOANNES. Metu fortasse.

EPHORINVS. Nequaquam, imo gaudio, velut insultans depre-
(310v) henso / hosti. Ferit rastro, serpens se contrahit, ille non facit feriendi finem, donec contrito capite serpens in longum porrigitur. Num hoc non faciunt nisi mortui. Inde est, quem frequenter audisti apologus de cancro, qui serpentem hospitem occidit, vbi porrectum videt, sic, inquit, viuum incedere oportuit.

IOANNES. O factum bene. Quid tum?

EPHORINVS. Puer arreptum rastro suspendit e frutice supra antrum. Ibi diebus aliquot vidimus frondes sanie tinctas. Eius ruris agricolae pro comperto nobis aliud quiddam mirabile referebant. Agricolae nonnunquam fessi obdormiunt in agro, nonnunquam habent vrceum lactis, in cibi simul et potus vsum. Serpentes summopere lacte capiuntur. Itaque non raro fit, vt in vas illabantur. Ei malo paratum habent remedium.

IOANNES. Quod, obsecro?

EPHORINVS. Summum testae os allio circumlinunt. Is odor deterret serpentes.

IOANNES. Quid igitur sensit Horatius, quum scriberet allium cicuris nocentius, quum sit remedium?

EPHORINVS. Sed audi quod est durius; interdum clanculum adrepentes in os patens dormientis conijciunt sese, et in stomachum sese conuoluunt.

IOANNES. An non protinus examinatur homo talem nactus hospitem?

EPHORINVS. Non, sed afflictissime viuit, nec est vllum
311r malis leuamen, nisi vt lacte alijsque gratissi-/mis serpenti

cibis alant hospitem.

IOANNES. Nihil remedij aduersus tantum malum?

EPHORINVS. Comesum affatim allium.

IOANNES. Non mirum igitur si messores gaudent allio.

EPHORINVS. Et alias medetur delassatis labore et aèstu. Verum in hoc discrimine non raro lacerta quamuis pusilla, seruat hominem.

IOANNES. Quo potest?

EPHORINVS. Vbi sensit serpentem insidiari, circumcursat per collum et faciem hominis, nec finem facit, donec pruritu pedum excitetur. Porro qui expergiscitur conspecta in propinquo lacerta, mox intelligit hostem alicubi esse in insidijs, ac circunspiciens deprehendit.

IOANNES. Mira naturae vis.

EPHORINVS. Iam nullum est animal inimicus homini, quam crocodilus, qui saepenumero totos homines deuorat, et arte maliciam adiuuat, hausta aqua lubricans semitas quibus descendunt ad Nilum aquam hausturi, quo collapsos deuoret. Neque te delphinum etiam in diuerso elemento natum φιλάνθρωπον esse.

IOANNES. Audiui fabulam de adamato puero celebrem, celebriorem autem de Arione.

EPHORINVS. Quin et in venatu mugillum piscatores delphinorum ministerio vice canum vtuntur, qui accepta praedae portiuncula recedunt. In mari vero frequenter nauigantibus apparent, gaudio gestientes, et in summis vndis lusitantes. Interdum adnantes ad / nauim nonnunquam et tensa vela transilientes. (311v) Adeo delactatur hominum consuetudine. Verum vt hominum est studiosus delphinus, ita crocodilo capitalis est hostis. Egreditur mare et in Nilum in quo regnat crocodilus, audet venire congressurus cum dentibus, vnguibus et squamis ferro etiam impenetralibus armata belua, ipse nec ad morsum satis instructus, quippe os habens ad pectus vergens. Sed impetu fertur in hostem, ac iam illi proximus repente submittit sese, erectisque in tergo pinnis mollia ventris perscindit, alias inuulnerabili.

IOANNES. Mirum est quodque animal statim agnoscere hostem suum, etiam nunquam antea visum, scirique et quur impetatur, et qua laedi aut sese tueri possit, quum hoc homini sit

---

19 elementum emendatum est in erratis
31 in penetralibus/admorsum
35 in vulnerabili

negatum, qui ne regulum quidem horreret, nisi et admonitus, maloue doctus.

EPHORINVS. Aspis homini venenum est immedicabile, cum hac belligeratur ichneumon. Idem exitialis hostis crocodilo. Similis affectus est elephantis erga hominem, nam et viatorem simpliciter errantem clementer reducunt in viam, et agnoscunt amantque doctorem suum. Eduntur et exempla deuoti amoris erga certos homines. Siquidem vnus adamauit in Aegypto mulierculam corollas vendentem, Aristophani grammatico charam. / 312r Alius Menandrum Syracusanum adolescentem sic amauit, vt desiderium illius quoties non videret inedia testaus sit. Sed ne haec quae plurima commemorantur referre pergamus, cum Bochus rex in triginta quosdam saeuire decreuisset, eos totidem elephantis obiecit, stipibus alligatos. Quumque immissi essent qui inter elephantos procursantes eos lacesserent, nunquam efficere potuerunt, vt se regiae crudelitatis ministros praeberent. Atqui huic animanti φιλανθρώπῳ bellum exitiale est cum draconibus Indicis quae feruntur esse maximi, vt frequenter in pugna pereat vterque. Porro draco inimicus est homini, etiam non lacessitus. Simile dissidium est aquilae cum draconibus minoribus, quum homini sit innoxia, imo quum feratur etiam amatorios ignes sentire erga certas puellas. Eidem aui bellum internecinum est cum cyminde, id est nocturno accipitre. Elephantus odit etiam murem, animal homini quoque molestum, eoque obhorret a pabulo in quo murem conspexerit. Nec causa liquet quur oderit. Nam hirudinem merito horrent, quod ea in potu hausta grauissime discrucientur. Iam vix vllum animal amicius homini quam canis, nec inimicius quam lupus, vt quod as- (312v) pectu quoque vocem adimat, / et inter haec summa discordia est, quemadmodum obuim generi lupus infestissimus, quod totum pendet a prouidentia hominum, quorum praecipua cura est tueri animal innoxium, et alendo homini natum; in lupum vero velut in publicum humani generis hostem armantur omnes, praecipue canum commilitio, quae res etiam prouerbio fecit locum: non magis parcemus quam lupis. Lepus marinus immedicabile est homini venenum, si quis imprudens gustauerit; at rursus hominis contactus mors est lepori. Panthera saeua est in hominem, et tamen adeo terretur ab hyena, vt ne congredi quidem sustineat. Hinc

---

7 Feruntur (1533,p.634) IF mut. (ASD,p.703)
22 Fidem aui
23 interneciuum
24 quoquae

narrant si quis quid secum gestet de corio hyenae, a panthera non appeti, tamsagax est naturae sensus. Addunt et illud, si pelles vtriusque beluae suspendas inuicem ex aduerso, panthericea pilos defluere. Araneus homini domesticum est animal, exitiale vero serpenti, adeo vt forte conspicatus sub arbore serpentem apricantem, filo se libret, et aculeum mediae ingigat fronti tam acri vulnere, vt serpens dolore rotans sese in gyrum, tandem emoriatur. Accepi ab ijs qui spectarunt, simile dissidium esse araneo cum buffonibus, sed buffonem ictum, sibi plantagine admorsa mederi. Audies fabulam Britannicam.
313r Scis illic con/clauium solum consterni scirpis virentibus. Monachus quidam fasciculos aliquot scirporum in cubiculum congesserat, sparsurus quum esset commodum. His quum a prandio dormiret, buffo ingens erepit, et os dormientis obsedit, infixis superno atque infeono labro quatuor pedibus. Detrahere buffonem certa mors erat, non amoueri quiddam erat morte crudelius. Quidam suaserunt vt monachus ad fenestram deferretur supinus, in qua iugens araneus habebat telam. Mox araneus hoste conspecto filo se librat, et buffoni spiculum infigit, ac filo se recepit in telam. Intumuit buffo, sed non est auulsus. Repetitur ad araneo magis, intumuit, sed vixit. Tertio ictus abduxit pedes, ac mortuus decidit. Hanc gratiam araneus retulit hospiti suo.

IOANNES. Mira narras.

EPHORINVS. Addam quod non legi, sed his oculis conspexi. Simius supra modum horret testudinem. Huius rei quidam dedit nobis specimen Romae. Puero suo in verticem imposuit testudinem, et pileo contexit. Dein producit ad simium. Ilico simius gaudens insilijt in humeros pueri venaturus pediculos, sublato pileo reperit testudinem. Mirum erat spectaculum quanto cum horrore resilierit bestia quam expauerit, quam timide respe-
(313v) xerit an sequeretur testudo. Aditum est aliud spe/cimen, alligauimus testudinem catenae a qua reunictus erat simius, vt effugere non posset, quin saltem aspiceret; incredibile dictu quantopere fuerit discruciatus, tantum non metu exanimabatur, interdum auersus posterioribus pedibus depellere tentauit haerentem bestiam. Tandem quicquid erat in aluo aut visica oneris reiecit. Sequuta est pauore febris vt nobis fuerit soluendus a catena, et aqua vino temperata refocillandus.

---

6 eculeum

IOANNES. Atqui nihil est, quod sibi testudine metuat simius.

EPHORINVS. Fortassis aliquid est quod nos fugit, naturae cognitum. Nam quur acanthis oderit asinum causa in promptu est, quod ille se affricat spinis, in quibus nidulantur auicula, et flores eius depascitur.

IOANNES. Sed qua tandem in re acanthis laedit asinum?

EPHORINVS. Rostro fodit illius hulcera, fustibus et oneribus facta, pungit et mollia narium. Potest item aliquid causae diuinari, quur inter vulpes et miluios mutua sit simultas, quod auis rapax alterius catulis insidietur. Fortasse vulpes vicissim illius pullis, quae causa dissidij est inter sorices et ardeolas. Eadem fere ratio est, inter aesalona paruam auiculam et vulpem. Nam aesalon oua coruorum frangit. Eadem infestatur a vulpibus et vicissim illas infestat, catulos earum vellicans. 314r Quod vbi viderint corui, vulpibus ve/lut aduersus communem suppetias ferunt. At vix diuinare liceat, quam ob causam inter se oderint olores et aquilae, coruus et chlorio, cornix et noctua, aquila et trochilus, nisi hoc male habet aquilam, quod ille rex auium vocetur. Quur male conuenit cum noctua caeteris minoribus auibus, mustelae cum cornice, turturi cum pyrali, ichneumonibus vespis cum phalangijs, araneis cum anatibus et granijs, harpae cum triorchye accipitre, thoibus cum leonibus? Praeterea quur sorices formicosam horreant arborem? Et inter aquatilia quam ob causam mugil et lupus mutuo odio flagrant, sicut conger et murena, caudas inter se praerodentes. Polypum in tantum horret locusta piscis, vt si eum iuxta viderit, metu emoriatur. Sic quaedam animantia mire iungit arcanus quidem beneuolentiae affectus, veluti pauones columbis, turtures cum psittacis, merulas cum turdis, cornices cum ardeolis, qui sibi vicissim auxiliantur aduersus vulpium genus. Harpam et miluim aduersus triorchyn, communem hostem, balenis musculus piscis exiguus praenatans monstrat viam, nec apparet quamobrem illi velit inseruire. Nam quod crocodilus fauces porrigit trochilo auiculae, amicitia dici non potest, quum vtrumque animal suo ducatur commodo. Cro/- (314v) codilus gaudet sibi purgari dentes, et scabendi voluptatem amplectitur; auicula cibum quaerit, vescens piscium reliquijs inter dentes haerentibus. Consimili ratione coruus inequitat dorso suis. Inter florum autem et aegithum tam pertinax est odium, vt negent sanguinem illorum posse misceri. Quemadmodum narrant aliarum auium pennas absumi, si aquilinis misceantur. Accipiter est infestus columbino generi, sed has defendit tin-

nunculus auicula, cuius conspectum et vocem mirum in modum horret accipiter. Nec hoc latet columbas. Vbicunque tinnunculus reconditus est, ab ea sede non migrant, fiducia protectoris. Quis causam conijciat, quur aut bene velit generi columbino tinnunculus, aut quur tinnunculum horreat accipiter? Atque vt interdum animalculum minimum praesidio est ingenti beluae, ita contra a minutissimis exitium est maximis. Est pisculus scorpij effigie, magnitudine aranei piscis. Is sub pinna affigit sese aculeo thynnis interdum magnitudinem delphini superantibus, tanto dolore, vt nonnunquam in naues insiliant; idem facit mugilibus. Quid est quur leo animal cunctis tremendum, expauescat galli gallinacei cantum?

IOANNES. Ne sim in hoc conuiuio prorsus asymbolus, referam quod olim his oculis vidi in aedibus Thomae Mori, nunc / 315r eius Cancellarij, hoc est iudicis primarij. Alebat domi simium praegrandem; tum forte quo reualesceret a vulnere, solutus obambulare sinebatur. In extremo horti erant inclusi cuniculi, quibus insidiabatur mustela. Id simius quietus et ociosus spectabat, donec videret cuniculis nihil esse periculi. Caeterum post ea quam mustela labefactasset caueam a muro reuulsam, iamque periculum esset, ne cuniculi a tergo nudati praedae essent hosti, accurrit et conscensa trabe quadam, caueam retraxit in locum pristinum, tanta arte vt homo non posset dexterius. Ex quo perspicuum hoc animantium genus similis esse charum. Ipsi cuniculi non intelligebant suum periculum, sed hostem suum per cancellos osculabantur. Simius opitulatus est periclitanti simplicitati.

EPHORINVS. Omnibus catulis minoribus delectantur simij, gaudentque fouere sinu et complecti. Sed pius ille simius dignus erat aliquo pietatis praemio.

IOANNES. Habuit.

EPHORINVS. Quod?

IOANES. Repperit illic frustum panis a pueris, vt opinor, proiectum. Id arreptum comedit.

EPHORINVS. Verum mihi videtur mirabilius hoc genus sympathias et antipathias, sic enim Graeci vocant amicitiae et inimicitiae naturales affectus, etiam in rebus anima aut certe sen

---

14-15 nunc eius Cancellarij, hoc est iudicis primarij Posterius hoc enuntiatum correctum est in erratis ex hac lectione nouissimarum editionum: clarissimi apud Anglos viri (Cf. 1533,p.639; ASD,p.706,l.203-204)
29 fouer emendatum est in erratis

(315v) su carentibus deprehendi. Omitto iam dicere / de fraxino, cuius nec vmbram quamuis in longum porrectam ferunt serpentes, adeo vt si locum in gyrum circundes igni, serpens citius in flammam eat, quam ad arborem fugiat. Nam huius generis exempla sunt innumera. Erucae, cum membranis inclusae occulto naturae opificio transfigurantur in papiliones, mortuis simillimae videntur, nec ad contactum quidem sese mouent, nisi transeunte araneo. Hominis prementis digitum sentiunt, et sentiunt leuissimi animantis leuiter incedentis pedes. Ibi demum viuit.

IOANNES. Sentit hostem capitalem. Isti non omnino dissimile est quod narrant de ferro caesis, ad quos si caeteri accedant, nihil accidere noui; sin is qui necauit, continuo profluere sanguinem velut et recenti vulnere; atque hoc indicio ferunt frequenter proditum caedis authorem.

EPHORINVS. Nec est vanum quod audisti. Sed ne persequamur fabulas Democraticas, nonne comperimus experimentis tantum esse dissensionis inter quercum et oleam vt vtraque in alterius scrobe posita emoriatur? Quercui autem tam male conuenire cum iuglande, vt in propinquo posita extinguatur, tametsi iuglans cunctis fere satis et arboribus noxia est. Rursus quum vitis clauiculis suis omnia complecti soleat, solam brassicam refu-
316r git / et, perinde quasi sentiat, in diuersam partem sese vertit. Quis admonet vitem, hostem esse in propinquo? Est enim brassicae succus vino contrarius, eoque solet edi aduersus ebrietatem. Nec deest brassicae suus hostis. Siquidem opposita cyclamino et obrigano exarescit. Similis affectus est inter cicutam et vinum, cicuta homini venenum est, cicutae vinum. Oleum soli calci miscetur, quum vtraque res pariter oderit aquam. Pix attrahit oleum, quum vtrumque sit pingue. Argento viuo innatant omnia, excepto auro. Id solum ad se trahit et complectitur. Quis ille naturae sensus, vt adamas quamlibet duris resistens, sanguine hircino mollescat? Sed harum rerum quae sunt innumerae consideratio ad rei medicae professores pertinet. Quaenam est illa vis vel amicitiae vel dissidij inter chalybem et magnetem, vt materia grauis ad lepidem currat, et inhaereat, velut osculo, et ab eodem citra contactum refugiat? Iam quum aqua se facile misceat rebus omnibus, maxime sibi tamen sunt quae velut odio mutuo mixturam refugiunt, velut amnis qui in Fucinum lacum inuectus super meat, in Larium

---

10-11 dessimile
19 extingatur

Addua, in Verbanum Ticinus, in Benacum Mincius, in Seuinum Ollius, in Lemanum Rhodanus, e quibus nonnulli multorum millium
(316v) transitu, / hospitales suas aquas tantum nec largiores quam intulere euehunt. Tigris inbluit in lacum Arethusam, ac per eum cum velut hospes fertur sic, vt nec color, nec pisces, nec aquarum natura misceantur. Ad haec quum caetera fere flumina properent in mare procurrere, quaedam tamen velut exosa mare priusquam eo perueniant, abdunt sese in terram. Simile quiddam videmus et in ventis. Auster homini pestilens est, huic contrarius boreas salubris. Alter nubes contrahit, alter dissipat. Iam si qua fides astrologis, sunt et sideribus quidam amicitiae et inimicitiae affectus. Quaedam amica homini, quaedam infesta. Rursus sunt quae homini aduersus nocentium vim opitulantur. Adeo nihil est in vlla naturae parte, quod non per haec dissidia concordiasque et noxam et remedium homini suppeditet.

IOANNES. Fortasse et vltra coelos, quiddam deprehendere liceat. Etenim si magis credimus, vnumquemque mortalium duo comitantur genij, alter amicus alter maleuolus.

EPHORINVS. Nobis amice satis est ad coelum vsque peruenisse, etiamsi non hoc quoque septum transiliamus. Redeamus ad boues et equos.

IOANNES. Nae tu praeclarum facis saltum.

EPHORINVS. Illud nobis magis admirandum est quod in eadem prorsus animantium specie deprehendamus amoris et odij vesti
317r gia, / nulla euidente causa. Sic enim nobis persuadere conantur equisones et bubulci; in ijsdem pascuis aut eodem in stabulo, bos bouem, equus equum gaudet habere vicinum, qui alium non ferat. Equidem arbitror similes affectus esse in omni animantium genere, praeter sexus fauorem. Sed in nullo genere euidentius quam in homine. Siquidem in plurimis manifestum est, quod de suo in Volusium affectu profitetur Catullus: "Non amo te Volusi, nec possum dicere quare. Hoc tantum possum dicere, non amo te". Verum in adultis fortasse diuinet alius aliam causam, in pueris qui solo naturae sensu ducuntur, quid est illud, quod sic hunc illi tanto amore conciliat, rursus alium ab hoc tanto dissidio separet. Ipse quum puer essem natus annos plus minus octo, incidi in quemdam meae aetatis, aut fortassis anno maiorem, prodigiosae vanitatis, adeo vt ad omnem

---

32 volusium
33 voluisi
39 podigiosae

occasionem ex tempore monstrosa quaedam confingeret. Occurrebat mulier: Vides, inquit, hanc? Video cum hac decies concubui. Transibamus ponticulum angustum iuxta molam. Vbi vidit me horrescentem ad conspectum aquae profunditatem nigrantis: In hanc, inquit, aquam aliquando prolapsus sum. Quid ais? Illic reperi cadauer hominis, accinctum crumena, in ea erant annuli (317v) tres. / Quum nullus esset mentiendi finis, sic puer horrui puerum, vt viperam minus, nulla certe ratione, cum talibus mendacijs alijs delectarentur, sed tantum arcano naturae sensu. Neque vero id fuit temporarium, imo et hodie sic horreo natura vanos, vt conspectis illis sentiam totum corporis habitum commoueri. Tale quidam in Achille notat Homerus, quum profitetur mendaces sibi aeque odiosos, atque ipsas inferorum portas. Hoc ingenio quum natus sim, tamen hoc contra fato natus videor, vt per omnem vitam [illegible]hi cum mendacibus et impostoribus fuerit res.

IOANNES. At nondum video scopum quo totus hic sermo confertus.

EPHORINVS. Expediam paucis. Sunt qui felicitatem petant a magicis artibus, sunt qui ab astris, ego nullam certiorem ad felicitatem viam arbitror inuenire posse quam si quisque abstineat ab eo vitae genere a quo naturae sensu tacito abhorret, ad id se conferat quo propensus est,excludo turpia. Item ab eorum consuetudine, se subducat cum quorum genijs sentit suo genio non conuenire, et his se copulet ad quos arcano naturae fertur affectu.

IOANNES. Id si fiat inter paucos erit amicitia.

EPHORINVS. Christiana charitas se dilatat ad vniuersos, familiaritas autem cum paucis habenda est. /

318r
LB
879-882
ASD
713-719

PROBLEMA
CVRIO, ALPHIVS

CVRIO. Lubens ex te rerum plurimarum perito discerem quidam, si tibi non sit molestum.

ALPHIVS. Age, Curio, percontare quod volea, ne non respondeas tuo nomini.

CVRIO. Equidem non grauabor dici Curio, modo ne addas animal illud monosyllabum, Veneri iuxta ac Mineruae inuisum.

ALPHIVS. Dic igitur quid velis.

CVRIO. Scire cupio, quid sit quod appellamus graue et leue.

ALPHIVS. Eadem opera roga, quid sit frigidum et calidum. Quin tu istnic problema baiulis proponis potius, quam mihi aut si mauis asinis, qui grauitatem oneris demissis auriculis indicant.

CVRIO. At ego non asininam sed philosophicam responsionem expecto, praesertim ab Alphio.

ALPHIVS. Graue est quod suapte natura fertur deorsum; leue, quod sursum.

CVRIO. Quur igitur Antipodes, qui infra nos sunt, non decidunt in subiectum caelum?

ALPHIVS. Pariter illi mirantur quamobrem tu non decidas in caelum, non subiectum, sed imminens. Caelum enim est supra omnia quae intus complectitur, nec Antipodes sunt infra te, nihilo magis quam tu supra illos; contra nos esse possunt, infra non possunt. Alioqui iustius admirareris quur rupes quas sustinet Antipodum terra, non decidant, caelumque perrumpant.

(318v) CVRIO. / Quae est igitur natiua sedes grauium, quae contra leuium?

ALPHIVS. Ad terram natiuo motu deferuntur omnia grauia, ad caelum leuia, de motu violento aut animali iam non loquimur.

CVRIO. Est igitur motus aliquis, qui dicitur animalis?

ALPHIVS. Est.

CVRIO. Quinam?

ALPHIVS. Is fertur iuxta quatuor corporis situs, prorsum, retrorsum, ad dexteram, ad laeuam, et in circulum, et in principio ac fine celerior est, in medio lentior. Nam in initio vigor addit alacritatem, in fine propinquo spes perueniendi quo tendit animal.

CVRIO. Nescio quid alijs accidat animalibus; sed habeo famulam quae lassa est priusquam incipiat, delassata priusquam opus absoluat. Verum reddi, ad id quod agere coepisti.

ALPHIVS. Natiuo, inquam, motu quae grauia sunt feruntur deorsum. Ex quo quidque grauius est, hoc celeriore motu fertur ad terram; quo leuius hoc maiore impetu, rapitur in caelum. Contra fit in motu violento, quum contra fiat in motu naturali; veluti sagitta in altum missa et saxum ex alto desidens.

CVRIO. Atqui ego putabam homines sic per orbem terrae dis-

---

20 animalis
37 sagita

currere, quemadmodum minutissimae formicae cursitant in praegrandi sphaera, haerent vndique nec vlla decidit.

ALPHIVS. In causa sunt sphaerae superficies nonnihil habens asperum, tum scabri/cies quaedam in formicarum pedibus, quam habent insecta fere omnia, postremo corpusculorum leuitas, id si non credis, fac sphaeram vitream bene leuem et glabram, videbis solas formicas non decidere quae in summo versantur orbe. 319r

CVRIO. Si quis deus orbem terrae medium perterebret, hinc vsque ad Antipodes perpendiculo per centrum demisso quemadmodum solent cosmographi, terrae totius situm in globis ligneis repraesentantes, tum si saxum conijcias in foramen, quo perferetur?

ALPHIVS. Vsque ad terrae centrum, ibi quies est omnium grauium.

CVRIO. Quid si Antipodes quoque ex diuerso mittant lapidem?

ALPHIVS. Tunc lapis occurret lapidi citra centrum, ibi conquiescet vterque.

CVRIO. Age si verum est quod dixisti, motum natiuum progressu magis ac magis incitari, si nihil obstet lapis aut plumbum coniectum in foramen, ob motus vehementiam praetercurret centrum, iamque praetermisso centro rursum motus erit violentus.

ALPHIVS. Plumbum nunquam perueniret ad centrum nisi liquefactum, sed lapis si praeterreat centrum motu iam violento, primum segnius, nec aliter redibit ad centrum, quam lapis vi in altum proiectus redit in terram.

CVRIO. Sed recurrens natiuo motu rursus concitato impetu praeteruehetur centrum itaque fiet vt nunquam quiescat lapis.

(319v) ALPHIVS. Conquies/cet tandem, praetercurrens ac recurrens donec peruentum fuerit ad aequilibrium.

CVRIO. At si nihil est in rerum natura vacuum, oportet foramen illud aere plenum esse.

AVPHIVS. Esto.

CVRIO. Pendebit igitur in aere corpus natura graue.

ALPHIVS. Quid ni, quemadmodum chalybs in aere pendet, vn

---

10 antipodes
11 Cosmographi
12 representantes
16 antipodes
22 praeter curret
30 praeter vehetur
32 per ventum

dique librantibus magnetibus. Quid autem prodigij si vnicum saxum pendebat in meditullio aeris quum tota terra tot rupibus onusta ad istum pendeat modum?

CVRIO. Sed vbi est terrae centrum?

ALPHIVS. Id quidem est punctum indiuisibile. Si tantillum est terrae centrum quisquis perforauet mediam terram, auferet centrum nec habebunt grauia quo ferantur.

ALPHIVS. Nae tu satis ociose nugaris.

CVRIO. Ne quaeso succenseas, discendi studio loquor, quic quid loquor. Si quis terrae sphaeram perterebret non per ipsum centrum sed a latere, puta vt absit a centro centum stadijs, quo tam feretur coniectus lapis?

ALPHIVS. Non feretur recta per foramen, imo potius recta sed ad centrum; itaque priusquam perueniet ad medium, iam conquiescet in terra quae ad laeuam est, si centrum est ad laeuam.

CVRIO. Sed quid est hoc quod reddit corpus graue aut leue?

ALPHIVS. Ad isthuc respondeat tibi Deus, quur ignem fece-
320r rit omnium leuissimum, aerem proxima leuitate, terram / grauissimam, proxima grauitate aquam.

CVRIO. Quur igitur nubes aquae pendent in sublimi aere?

ALPHIVS. Quoniam a sole attrahente concipiunt naturam igneam, quemadmodum fumus e lignis humentibus violento calore excussus.

CVRIO. Quur igitur tanto pondere decidunt, vt interdum montes in planiciem redigant?

ALPHIVS. Concretio densitasque addit pondus. Alioqui possunt sic videri sustinere aere subiecto, quemadmodum tenuis ferri lamina sustinetur summa aqua.

CVRIO. Sic igitur putas quod plurimum habet igneae naturae esse leuissimum, quod terrenae grauissimum.

ALPHIVS. Haud procul abes a scopo.

CVRIO. Atqui nec quiuis aer pariter leuis est, nec quaeuis terra pariter grauis item de aqua fortasse sentiendum.

ALPHIVS. Nec mirum, quum ista quae nominasti non sint elementa pura, sed ex varijs elementis temperata. Itaque probabile est eam terram esse leuissimam, quae plurimum habet ignis aut aeris admixtum, eam quam esse grauissimam quae grauio rem terram habet admixtam, qualem arbitror esse marinam, et eam vnde conficitur sal. Itidem aer aquae terraeue proximus grauior est, aut certe minus leuius est eo qui procul abest a terra.

CVRIO. Vtrum habet plus terrenae naturae, lapis an plumbum?

ALPHIVS. Lapis.

CVRIO. Et tamen plumbum lapide grauius est pro ratione portionis.

(320v) ALPHIVS. / In causa est densitas; lapis enim rarior est eoque plus habet aeris, quam plumbum. Hinc est quod videmus quoddam terrae genus desiccatum si conijciatur in aquam non subsidere, sed natare; eadem de causa videmus totos agros natantes; sustinentur enim cauis radicibus arundium, aliarumque palustrium herbarum inter se connexis.

CVRIO. Hinc fortassis et pumicum leuitas.

ALPHIVS. Quia pleni cauernis sunt, praeterea multo igni decocti; submittuntur enim e locis ardentibus.

CVRIO. Vnde tanta suberis leuitas?

ALPHIVS. Iam dictum est. Raritas enim in causa est.

CVRIO. Vtrum est grauius, plumbum an aurum?

ALPHIVS. Aurum, opinor.

CVRIO. Aurum tamen videtur habere plus igne naturae.

ALPHIVS. Quia noctu velut ignis lucet, vt ait Pindarus.

CVRIO. Scilicet.

ALPHIVS. Sed densitas in auro maior.

CVRIO. Vnde id deprehenditur?

ALPHIVS. Respondebunt aurifices, nec argentum nec plumbum, nec aes cyprium, nec vilum simile genus latius diducitur malleo quam aurum. Eadem ratione philosophi deprehenderunt nihil esse liquidius melle et oleo, quod si quis haec inuictione dilatet, et latissime diffunditur humor, et siccescit serius.

CVRIO. Sed vtrum grauius est oleum an aqua?

ALPHIVS. Si de oleo lini loqueris, arbitror oleum esse grauius.

CVRIO. Quur igitur aquae supernatat oleum?

321r ALPHIVS. Leuitas non est in cau/sa, sed ignea olei natura tum peculiaris omnium pinguium vis ab aqua abhorrens, quae est in herba quae dicitur ἄβαπτος.

CVRIO. Quur igitur non natat ferrum igni candens?

ALPHIVS. Quia non est calor natiuus. Et ideo citius penetrat aquam, quod caloris magnitudo dispellat obstantem liquo-

---

28 siccessit

rem. Sic cuneus ferreus citius petit ima, quam lamina.

CVRIO. Vtrum intolerabilius est ferrum candens, an frigidum?

ALPHIVS. Candens.

CVRIO. Grauius igitur.

ALPHIVS. Est, si commodius est gestare manu paleam incensam, quam silicem frigidum.

CVRIO. Quid est in causa quod lignum ligno leuius est aut grauius est?

ALPHIVS. Densitas ac raritas.

CVRIO. At ipse noui quemdam e familia regis Britanniae, qui in conuiuio ostendit nobis lignum, eius, vt aiebat, arboris, quae fert aloen; adeo solidum erat, vt lapis videri posset; adeo manibus libranti leue, vt arundo videri posset, et si quid sic arundine leuius; impositum vino (putabat enim ita depelli venena) mox properabat ad fundum, vt vix plumbum celerius.

ALPHIVS. Nec densitas, nec raritas semper in causa est, sed peculiaris et occulta in rebus cognatio, quae fecit vt quaedam sese amplectantur, aut refugiant, veluti magnes attrahit chalybem, vitis refugit brassicam, et flamma etiam e
(321v) longinquo ad naphtam transuolat, aliquanto inferiore loco / positam, quum naphta sit natura grauis, flamma leuis.

CVRIO. Omne genus aeris innatat argento viuo, solum aurum subsidit, et circumuoluitur, quum argentum viuum sit materia liquidissima.

ALPHIVS. Non habeo quod respondeam, nisi peculiarem naturae cognationem, ad hoc enim natum est argentum viuum vt purget aurum.

CVRIO. Quur Arethusa fluuius subter mare Sicanum transit, ac non potius innatat, quum antea dixeris marinam aquam fluuiatili esse grauiorem?

ALPHIVS. Naturale dissidium est in causa, sed arcanum.

CVRIO. Quur natant cygni, quum homines eandem aquam ingressi pessum eant?

ALPHIVS. In causa est non tantum pennarum concauitas leuitasque, verul etiam siccitas, quam aqua refugit. Hinc est quod in panno linoue vehementer sicco, si ponas aquam aut vinum, in globum se contrahit, sin in humidum mox spargitur. Itidem si infundas liquorem in cyathum siccum, aut marginibus pingui oblitis, et infundas aliquanto plus, quam cyathus capit, liquor circa medium citius colligit sese in rotundum quam transeat margi-

nes.

CVRIO. Quur in fluminibus naues minus sustinent oneris, quam in mari?

ALHPIVS. Quia subtilior est fluuiatili aqua. Eadem de causa volucres facilius sese librant in aere crassiore, quam vehementer subtili.

CVRIO. Quur non subsidunt flotae?

322r ALPHIVS. Quoniam cutis sole / desiccata et leuior facta est, et humorem respuens.

CVRIO. Quur ferrum diductum in amplam laminam natat, quum idem contractum sidat?

ALPHIVS. Partim siccitas est in causa, partim aer inter aquam et laminam mixtus.

CVRIO. Vtra res grauior, aqua an vinum?

ALPHIVS. Arbitror vinum non cedere aquae.

CVURIO. Quamobrem ergo qui ab oenopolis emunt vinum aquam pro vino repariunt in imo dolio.

ALPHIVS. Quia vinum habet pingue quiddam, quod aquae resugit in liquorem, non aliter quam oleum. Argumentum in promptu est. Quo vinum est generosius hoc et difficilius admiscetur aquae et incensum ardet vehementius.

CVRIO. Quur in Asphaltite lacu nullum corpus animalis viuum mergitur?

ALPHIVS. Non est meum ad omnia naturae miracula respondere. Habet illa quaedam arcana, quae nos mirari voluit, scire noluit.

CVRIO. Quur homo macillentus obeso grauior est si caetera sint paria?

ALPHIVS. Quoniam ossa densiora sunt carne, et ideo grauiora.

CVRIO. Quur idem homo ieiunus grauior est seipso pranso, quum corpori onus accesserit?

ALPHIVS. Cibo potuque spiritus augentur,, et ij addunt corpori leuitatem. Vnde et hilaris leuior est moerente et mortuus viuo longe grauior.

CVRIO. Sed qui fit, vt idem homo quum vult faciat se grauiorem aut leuiorem?

(322v) ALPHIVS. / Contento spiritu reddit se leuiorem, emisso grauiorem. Sic nata vesica inflata et clausa, pertusa sidit. Sed quando Curio desinet nobis occinere: cur?

---

7 Flotae

CVRIO. Desinam mihi pauca etiam dixeris, caelum vtrum graue sit, an leue.

ALPHIVS. An leue sit nescio; certe graue non potest esse, quum sit naturae igneae.

CVRIO. Quid igitur sibi vult vetus prouerbium: Quid si caelum ruat?

ALPIHVI. Quia rudis antiquitas Homerum sequuta credidit caelum esse ferreum. Sed Homerus a coloris similitudine ferreum dixit non a pondere quemadmodum nos cineraceum dicimus, quod cineris colorem prae se fert

CVRIO. Est igitur caelum coloratum?

ALPHIVS. Non vere, sed tale nobis videtur propter aerem et liquorem medium quemadmodum sol nobis nunc rubet, nunc fluuet, nunc candicat, quum is nihil talium mutationum recipiat. Itidem et iridis pictura non in caelo est, sed in aere humido.

CVRIO. Verum vt finiam, fateris caelo nihil esse sublimius, quacunque tegit orbem terrae?

ALPHIVS. Fateor.

CVRIO. Et centro terrae nihil esse profundius?

ALPHIVS. Scilicet.

CVRIO. Inter omnes rerum species quid est grauissimum?

ALPHIVS. Aurum, opinor.

CVRIO. Hic abs te vehementer dissentio.

ALPHIVS. An scis aliquid auro grauius?

CVRIO. Scio, et quidem multis partibus.

ALPHIVS. Proinde me vicissim doce, quando scis quod me
323r nescire profi-/teor.

CVRIO. Quod igneos spiritus e summo caeli vertice depressit in ima Tartari (nam ea collocant in centro terrae) nonne oportuit omnium esse grauissimum?

ALPHIVS. Fateor, sed quid nam fuit illud?

CVRIO. Peccatum, quod et hominum animas quas Maro vocat aurai simplicis ignes, eodem demergit.

ALPHIVS. Si libet ad istud philosophiae genus demigrare, fateor et aurum et plumbum esse plumeae leuitatis, si cum peccato conferantur.

CVRIO. Qui fiet igitur, vt qui hac sarcina sunt onusti, subuolent in caelum?

ALPHIVS. Profecto non video.

---

33 aurae
36 conferatur (1533,p.652) IF mut. (ASD,p.719)

CVRIO. At qui sese parant ad cursum saltumue non solum quicquid est oneris abijciunt, verum etiam contento spiritu sese reddunt leuiusculos; et ad hunc cursum saltumque quo ferimur in caelum, non studemus illud abijcere, quod omni saxo, omni plumbo grauius est?

ALPHIVS. Fateremus, si vel micam sanae mentis haberemus.

LB 882-890
ASD 720-733

EPICVREVS
HEDONIVS, SPVDAEVS

HEDONIVS. Quid venatur meus Spudaeus, quod sic totus incumbit libro, nescio quid secum murmurans?

SPVDAEVS. Plane venor, Hedoni, sed nihil aliud quam venor.

HEDONIVS. Quid voluminis est, quod habes in sinu?

SPVDAEVS. Dialogi Ciceronis de Finibus bonorum.

(323v) HEDONIVS. At quanto satius esset quaerere / bonorum initia quam fines.

SPVDAEVS. Sed M. Tullius finem boni appellat bonum omnibus numeris absolutum, quod qui sit assequutus, praeterea nihil desideret.

HEDONIVS. Opus cum primis eruditum et eloquens sed num tibi videris aliquod operae pretium fecisse, quod ad veri cognitionem attinet?

SPVDAEVS. Hoc mihi videor fecisse lucri, quod nunc magis etiam ambigam de finibus, quam antea.

HEDONIVS. Agricolarum est ambigere de finibus.

SPVDAEVS. Nec satis queo mirari, de re tanta inter tantos viros tantam fuisse sententiarum pugnam.

HEDONIVS. Nimirum quia foecundus est erros, quum simplex sit veritas. Quoniam totius negocij caput ac fontem ignorant, diuinant ac delirant omnes; sed quae sententia tibi videtur esse scopo vicinior?

PVDAEVS. Quum audio impugnantem M. Tullium, displicent singulae; rursus quum audio defendentem, fio prorsus ἐφεκτικός. Mihi tamen Stoici videntur minus aberrare a vero, quibus proximum locum tribuo Peripateticis.

HEDONIVS. At mihi nulla facta magis arrident, quam Epicureorum.

SPVDAEVS. Atqui inter omnes nulla damnatior omnium suffragijs.

HEDONIVS. Missam faciamus nominum inuidiam: fuerit Epicurus, qualem quisque velit rem per se consideremus. Ille feli-

citatem hominis collocat in voluptate, eamque vitam iudicat
324r beatissimam quae plurimum habeat / voluptatis, tristiciae quam minimum.

SPVDAEVS. Sic est.

HEDONIVS. Quid dici potest hac sententia sanctius?

SPVDAEVS. Imo clamitant omnes hanc esse vocem pecudis non hominis.

HEDONIVS. Scio, sed isti errant in rerum vocabulis. Quod si de veris loquamur, nulli magis sunt Epicurei quam Christiani pie viuentes.

SPVDAEVS. Cynicis propiores; nam isti se marcerant ieiunijs, deplorant sua commissa, et ausunt tenus aut benignitatis in egenos conciliat illis inopiam; opprimuntur a potentioribus, deridentur a plerisque. Si voluptas adfert felicitatem, hoc vitae genus a voluptatibus quam longissime videtur abesse.

HEDONIVS. Admittisne autoritatem Plautinam?

SPVDAEVS. Si quid recte dicat.

HEDONIVS. Accipe igitur nequissimi serui dictum omnibus Stoicorum paradoxis sapientius.

SPVDAEVS. Expeto.

HEDONIVS."Nihil est miserius quam animus sibi male conscius."

SPVDAEVS. Non reijcio dictum; sed quod hinc colligis?

HEDONIVS. Si nihil miserius animo sibi male conscio, consequitur nihil esse felicius animo sibi bene conscio.

SPVDAEVS. Recte quidem colligis, sed in qua tandem regione inuenies istum animum nullius mali sibi conscium?

HEDONIVS. Malum appello quod dirimit amicitiam inter Deum et hominem.

SPVDAEVS. Et ab hoc mali genere puto perpaucos esse puros.

HEDONIVS. Ego vero et purgatos habeo pro puris. Qui lixiuio lachrymarum ac poenitentiae nitro aut charitatis igni ma-
(324v) culas absterserunt, eis non solum nihil / nocent peccata, verum etiam frequenter in maioris boni materiam cedant.

SPVDAEVS. Equidem nitrum et lixiuium noui, igni purgari maculas nunquam audiui.

HEDONIVS. Atqui si adeas argentarias officinas, videbis aurum igni purgari. Quanquam et lini genus est, quod coniectum in ignem, non exutior sed nitidius splendescit, quam vlla possit aqua; eoque viuum appellant.

SPVDAEVS. Nae tu nobis adfers paradoxum omnibus Stoicorum paradoxis παραδοξότερον. Viuunt illi vitam voluptuariam,

quos Christus appellauit ob id beatos, quod lugeant?

HEDONIVS. Mundo videntur lugere, sed reuera deliciantur, ac quod dici solet, toti meile peruncti suauiter viuunt, adeo vt cum his collati. Sardanapalus, Philoxenus, Apitius, aut si quis alius est voluptatum studio nobilitatus, tristem aç miseram peregerint vitam.

SPVDAEVS. Noua narras, sed vix credenda.

HEDONIVS. Experire et omnia terque quaterque disces vera fuisse mea. Efficiam tamen, vt arbitror ne videatur vsque adeo veri dissimile.

SPVDAEVS. Accingere.

HEDONIVS. Faciam si mihi prius quaedam concesseris.

SPVDAEVS. Modo tu aequa postules.

HEDONIVS. Lucrum annumerabo, si fortem dederis.

SPVDAEVS. Age.

HEDONIVS. Primum illud opinor dabis, nonnihil interesse inter animam et corpus.

SPVDAEVS. Quantum inter caelum et terram, inter immortale et mortale.

325r HEDONIVS. / Deinde falsa bona non esse ponenda in bonis.

SPVDAEVS. Nihilo magis quam vmbrae habendae sunt pro corporibus, aut praestigia magorum somniorumue ludibria ducenda sunt pro veris.

HEDONIVS. Hactenus commode respondes. Dabis opinor et illud, veram voluptatem non cadere, nisi in animum sanum.

SPVDAEVS. Quid ni? Nullus enim sole delectatur si lippiant oculi aut vino si febris palatum infecerit.

HEDONIVS. Nec ipse ni fallor, Epicurus amplecteretur voluptatem, quae longe amiorem cruciatum multoque diuturniorem secum adduceret.

SPVDAEVS. Non arbitror, si quis modo sapiat.

HEDONIVS. Nec illud negabis Deum esse summum bonum quo nihil pulchrius, nihil amabilius, nihil dulcius.

SPVDAEVS. Istuc nullus iuerit inficias, nisi Cyclopibus immanior; quid tum postea?

HEDONIVS. Iam mihi donasti nullos suauius viuere, quam pie viuunt, nullos miserius et afflictius quam qui viuunt impie.

SPVDAEVS. Plus igitur largitur sum quam putabam.

HEDONIVS. Sed quod recte datum est, vt ait Plato, non opor

---

24 respondens

tet reposcere.

SPVDAEVS. Age.

HEDONIVS. Catella quae habetur in delicijs, pascitur lautissime, cubat molliter, ludit ac lasciuit iugiter, an non viuit suauiter?

SPVDAEVS. Viuit.

HEDONIVS. Optares tibi talem vitam?

SPVDAEVS. Bona verba, nisi pro homine velim esse canis.

HEDONIVS. Fateris igitur praecipuas voluptates ab animo proficisci velut a fonte?

SPVDAEVS. Apparet.

(325v) HEDONIVS. Tanta enim animi vis est, vt / saepe doloris externi sensum adimat; nonnunquam quod per se est amarum, reddat iucundum.

SPVDAEVS. Isthuc quotidie videmus in amantibus, quibus dulce est peruigilium et hybernis noctibus excubare ad amicae fores.

HEDONIVS. Iam illud reputa, si tantam vim habet amor humanus, qui nobis cum tauris et canibus est communis, quanto plus valeat amor ille caelestis a Christi spiritu profectus, cuius tanta vis est vt mortem quoque qua nihil terribilius, reddat amabilem.

SPVDAEVS. Quid alij sentiant intus nescio; certe carent multis voluptatibus qui adhaerent verae pietati.

HEDONIVS. Quibus?

SPVDAEVS. Non ditescunt, non assequuntur honores, non conuiuantur, non saltant, non olent vnguenta, non rident, non ludunt.

HEDONIVS. De diuitijs et honoribus nulla erat hic facienda mentio, quae non adferunt vitam iucundam, sed solicitam potius et anxiam; de caeteris agamus quae cum primis venantur quibus studio est suauiter viuere. Nonne quotidie vides ebrios, fatuos et insanos, ridentes ac saltantes?

SPVDAEVS. Video.

HEDONIVS. Num putas illos suauiter viuere?

SPVDAEVS. Hostibus contingat illa suauitas.

HEDONIVS. Quam ob rem?

SPVDAEVS. Quia non adest sana mens.

HEDONIVS. Tu igitur malles ieiunus incumbere libro, quam ad eum modum delectari?

SPVDAEVS. Plane mallem vel agrum fodere.

HEDONIVS. Nam inter diuitem ac temulentum nihil interest

326r nisi / quod huic insaniae medetur somnus, illi vix medicorum cura succurrit. Natura fatuus nihil differt ab animante bruto, praeter formam corporis, sed leuius miseri sunt quos natura genuit brutos quam qui belluinis cupiditatibus obbrutuerunt.

SPVDAEVS. Fateor.

HEDONIVS. Iam num tibi sobrij videntur aut sani qui propter praestigias vmbrasque voluptatum, et veras animi voluptates negligunt, et veros sibi cruciatus accersunt?

SPVDAEVS. Non videntur.

HEDONIVS. Non sunt illi quidem temulenti vino, sed amore, sed ira, sed auaritia, sed ambitione, alijsque prauis cupiditatibus quae longe perniciosior est ebrietas, quam quae vino contrahitur. Syrus ille in comoedia posteaquam edormiuerat villum quod biberat, sobria loquitur; at animus vitiosa cupiditate ebrius, quam grauate redit ad sese, quot annis vrget mentem amor, ira odium, libido, luxus et ambitio? quam multos videmus ab adolescentia ad decrepitam usque aetatem, ab ambitionis, auaritiae, libidinis, luxusque temulentia nunquam expergisci ac resipiscere?

SPVDAEVS. Istiusmodi noui nimium multos.

HEDONIVS. Largitus es, falsa bona non esse in bonis ducenda.

SPVDAEVS. Non reposco.

HEDONIVS. Nec est vera voluptas, nisi quae ex veris nascitur.

SPVDAEVS. Fateor.

HEDONIVS. Non sunt igitur vera bona quae vulgus hominum per fas nefasque venatur.

SPVDAEVS. Non arbitror.

(326v) HEDONIVS. Si vera essent bona, non / contingerent nisi bonis, et beatos redderent quibus obueniunt. Quid autem voluptas? num vera videtur,quae non ex veris bonis, sed ex falsis bonorum vmbris nascitur?

SPVDAEVS. Nequaquam.

HEDONIVS. At voluptas efficit vt suauiter viuamus.

SPVDAEVS. Maxime.

HEDONIVS. Nullus igitur vere viuit suauiter, nisi qui pie viuit, hoc est, qui veris fruitur bonis; sola autem pietas reddit hominem beatum, quae Deum summi boni fontem homini sola

---

9 videtur

conciliat.

SPVDAEVS. Propemodum assentior.

HEDONIVS. Nunc mihi vide quot parasangis absint a voluptate praeter voluptates nihil sequi. Primum animus illorum impurus est, et cupiditatum fermento vitiatur, vt, etiamsi quid incidat dulce, protinus amarescat, quemadmodum fonte vitiato non potest non esse liquor insipidus. Deinde, non est vera voluptas, nisi quae sano percipitur animo. Nam irato nihil vindicta iucundius; sed ea voluptas vertitus in dolorem, simul atque morbus animum reliquerit.

SPVDAEVS. Non refragor.

HEDONIVS. Postremo voluptates illae sumuntur ex falsis bonis, vnde consequitur et illas esse praestigias. Quid porro diceres, si videres hominem magicis artibus delusum, vesci, bibere, saltare, ridere, plaudere, quum nihil earum rerum vere adesset, quas se videre credit?

327r SPVDAEVS. Equidem et insanum dicerem et mi-/serum.

HEDONIVS. Simili spectaculo ipse nonnunquam interfui. Sacerdos erat, qui callebat artem praestigiatoriam.

SPVDAEVS. Eam non didicerat e literis sacris.

HEDONIVS. Imo e sacerrimis, hoc est, execratissimis. Nunc aliquot aulicae foeminae frequenter appellabant vt acciperentur ab eo conuiuio, sordes et parsimoniam exprobantes, annuit; inuitauit. Venerunt ieiunae, quo lubentius epularentur. Accubuerunt; nihil aberat, vt videbatur lauticiarum, explerunt sese affatim; peracto conuiuio egerunt conuiuatori gratias, ac discesserunt suam quaeque domum. At mox coepit oblatrare stomachus; demirantur quid esset hoc monstri, statim a prandio tam splendido esurire ac sitire. Res tandem erupit, et in risum abijt.

SPVDEAVS. Et merito praestiterat domi lenticula placare stomachum, quam inanibus spectris deliciari.

HEDONIVS. At mihi videtur multo magis esse ridiculum, vulgus hominum pro veris bonis inanes bonorum vmbras amplecti, et his praestigijs delectari, quae non exeunt in risum, sed luctus sempiternos.

SPVDAEVS. Quo proprius intueor, hoc mihi videre minus absurda loqui.

HEDONIVS. Age, largiamur, vt interim in nomen voluptatis veniant quae reuera non sunt; appellaresne mulsum dulce, cui

---

10 moribus emendatum est in erratis
39 re vera

longe plus esset admixtum aloes, quam mellis.

SPVDAEVS. Non dicerem si vel triens aloes esset admixtus.

(327v) HEDONIVS. Aut optares tibi malam scabiem, quod scalpendi sit aliqua voluptas.

SPVDAEVS. Non si compos sim mentis.

HEDONIVS. Fac igitur tecum subducas rationem, quantum amaritudinis admixtum sit, istis falso nomine voluptatibus, quas gignit amor impudicus, libido illicita, comessatio ac temulentia. Omitto nunc quod est omnium caput, conscientiae cruciatus, inimicitiam cum Deo, expectationem aeterni supplicij. Quod, obsecro, in his voluptatibus genus est, quod non ingens externorum, etiam malorum agmen secum adducat?

SVPVDAEVS. Quaenam?

HEDONIVS. Rursus omittamus auariciam, ambitionem, iram, superbiam, inuidiam, quae per se tristia sunt mala; conferamus illa quae praecipue delectationis nomine commendantur. Quum largiori potatione succedit febris, capitis dolor, alui tormina, ingenij stupor, famae macula, memoriae detrimentum, vomitus, et ruina stomachi, tremor corporis, num vel Epicurus existimaret, eam voluptatem expetendam?

SPVDAEVS. Fugiendam diceret.

HEDONIVS. Quum adolescentes e scortatione nouam lepram, quam nunc ὑποκορίζοντες, quidam Napolitanam scabiem appellant, sibi, vt fere fit, contrahunt, perquam toties sit illis in vita moriendum, semperque viuum cadauer circunferendum, nonne belle videntur ἐπικουρίζειν ?

SPVDAEVS. Imo ἐπὶ κουρεῖα θεῖν.

328r HEDONIVS. Iam finge delectationis ac do/loris aequilibrium; optaresne tam diu cruciari dolore dentium, quam diu durauit potationis aut scortationis voluptas?

SPVDAEVS. Equidem mallem vtroque carere; nam voluptatem emere dolore, non est lucrum, sed pensatio; hic sane potior est ἀναλγησία, quam Cicero ausus est indolentiam appellare.

HEDONIVS. At nunc voluptatis illicitae titillatio praeter quam quod longe minor est cruciatu quem adducit, temporis etiam exigui est; lepra vero contracta per omnem vitam misere discruciat, totiesque mori cogit, priusquam mori liceat.

SPVDAEVS. Tales discipulos non agnosceret Epicurus.

---

10 deo
13 Quenam
31 malem
36 Lepra

HEDONIVS. Luxuriae comes plerunque est egestas, onus et miserum et graue; libidinis immodicae paralysis, tremor neruorum, lippitudo ac caecutientia, lepra, at non haec tantum. An non egregia negociatio, nec veram, nec synceram, ad haec breuem delectationem, tot tanto grauioribus ac diuturnioribus commutare malis?

SPVDAEVS. Vt non accedat cruciatus mihi stultissimus negociator esse videatur, qui gemmas vitro permutet.

HEDONIVS. Illud dicis, qui vera animi bona ob fucatas corporis voluptates amittat.

SPVDAEVS. Ita sentio.

HEDONIVS. Nunc redeamus ad exactiorem supputationem. Nec febris aut egestas semper commitatur luxum, nec noua lepra aut paralysis semper comitatur veneris immodicum vsum; sed / (328v) conscientiae cruciatus, quo nihil esse miserius iam inter nos conuenit, semper comes est illicitae voluntatis.

SPVDAEVS. Imo praecurrit interdum, et in ipsa voluptate fodicat animum. Sunt tamen quos dicas hoc sensu carere.

HEDONIVS. Iam hoc ipso infeliciores. Quis enim non malit sentire dolorem, quam corpus habere stupidum et sensus expers? Verum vt nonnullis vel cupiditatum intemperantia, velut ebrietas quaedam, vel vitiorum assuetudo ceu callus quidam, mali sensum adimat in iuuenta, quum ad senectutem peruentum fuerit ac praeter innumera incommoda, quorum thesaurum superioris vitae commissae reposuerunt, de propinquo terret mors nulli mortalium euitabilis, tanto grauius discruciat conscientia, quanto magis per omnem vitam stupuit. Tum enim velit nolit expergiscitur animus. Senectus autem quum per se tristis quippe multis naturae incommodis obnoxia, quanto miserior est, atque etiam turpior, si vrgeat animus sibi male conscius? Conuiuia, comessariones, amores, choreae, cantilenae, caeteraeque quae iuueni videbantur suauia, seni sunt amara; nec aliud habet aetas illa quo si fulciat, nisi si adsit vitae innocenter actae recordatio, ac spes vitae melioris. Hi sunt duo Scipiones, quibus nititur senecta. Quod si pro his subductis, imponas gemi- 329r nam sarcinam, vitae / perperam actae memoriam, et futurae felicitatis desperationem, obsecro quod animal fingi potest afflictus aut miserius?

---

4 cynceram
16 voluptatis (1533,p.660) IF mut. (ASD,p.727)
34 scipiones

SPVDAEVS. Equidem non video, etiamsi quis τὸ ἵππου γῆρας obijciat.

HEDONIVS. Tum denique "sero sapiunt Phryges" et illud verissime dictum "extrema gaudij luctus occupat" et "non est oblectamentum super cordis gaudium" et "animus gaudens floridam aetatem facit, spiritus tristis exsiccat ossa". Item illud "omnes dies pauperis mali, hoc est afflicti ac miseri, "secura mens quasi iuge conuiuium".

SPVDAEVS. Sapiunt igitur, qui mature rem faciunt, et colligunt viaticum venturae senectuti.

HEDONIVS. Scriptura mystica non tam humi repit, vt fortunae bonis metiatur hominis felicitatem; is demum eximie pauper est qui nudus est omni virtute et animam simul cum corpore debet Orco.

SPVDAEVS. Is quidem exactor est implacabilis.

HEDONIVS. Is vere diues est qui Deum habet propitium. Quid autem metuat, qui talem habeat protectorem? minus potest vniuersorum hominum potestas aduersus Deum, quam culex aduersus elephantem Indicum. Num mortem? ea pijs transitus est ad aeternam beatitudinem; num inferos? sed confidenter Deo loquitur vir pius: "etsi ambulauero in medio vmbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es". Quur metuat / daemones (329v) in pectore gerens eum quem tremunt daemones? Nam hominis pij mentem templum esse Dei vno in loco praedicat scriptura, vere ἀναντίρρητος .

SPVDAEVS. Equidem non video, quibus rationibus ista queant refelli, quanquam videntur plurimum abesse a sensu communi.

HEDONIVS. Quid sic?

SPVDAEVS. Nam ad tuam ratiocinationem quiuis Franciscanus vitam ageret magis voluptuariam, quam alius opibus, honoribus, breuiter omni genere deliciarum affluens.

HEDONIVS. Adde monarchae sceptrum si libet, adde pontificiam coronam, eamque e triplici fac centuplicem, modo detrahas animum sibi bene conscium, audacter dicam hunc Franciscanum nudipedem, nodoso fune cinctum, tenuiter ac viliter amictum, ieiunijs, vigilijs ac laboribus attenuatum, qui teruncium non habet in orbe, adsit bona mens, deliciosius viuere, quam si in

---

16 deum
18 deum
20 deo
24 dei

vnum hominem sexcentos confles Sardanapalos.

SPVDAEVS. Vnde igitur est, quod pauperes fere conspicimus tristiores diuitibus?

HEDONIVS. Quia bis pauperes sunt plerique. Alioqui morbus, inedia, vigilia, labores, nuditas extenuant quidem corporis habitum, sed tamen non in his tantum, sed etiam in ipsa morte sese exerit mentis alacritas. Animus enim quanquam illigatus
330r est mortali corpori, tamen quoniam naturae po/tentioris est, corpus ipsum quodammodo transformat in sese, praesertim si ad vehementem naturae impetum accedat ἐνέργεια spiritus. Hinc est quod saepenumero videmus homines vere pios maiore cum alacritate morientes, quam alios conuiuantes.

SPVDAEVS. Isthuc profecto non raro sum admiratus.

HEDONIVS. Atqui non est admirandum, illic esse inuinhibile gaudium, vbi adest omnis laetitiae fons Deus. Quid autem noui est, animum vere pij hominis gaudere iugiter immortali corpore, quum idem si ad intima tartari demergatur, nullum felicitatis detrimentum facturus sit? Vbicunque pura mens est, ibi Deus est; vbicunque Deus est, ibi paradisus est, ibi caelum est, ibi felicitas est; vbi felicitas est, ibi gaudium est verum, et alacritas syncera.

SPVDAEVS. Attamen suauius viuerent, si absint incommoda quaedam, et adessent oblectamenta, quae vel negligent, vel non assequuntur.

HEDONIVS. Quae vero mihi narras incommoda? Quae lege communi comitantur conditionem humanam? Famem, sitim, morbum, lassitudinem, senectutem, mortem, fulmina, terrae motus, inundationes, bella?

SPVDAEVS. Et ista quoque.

HEDONIVS. At nos de mortalibus interim agimus, non de immortalibus. Et tamen in his quoque malis, longe tolerabilior est piorum conditio, quam voluptatis corporis per fas nefas-/
(330v) que venantium.

SPVDAEVS. Qui sic?

HEDONIVS. In primis, quoniam animos habent ad temperantiam ac tolerantiam exercitatos, caeteris moderatius ferunt ea que vitari non possunt. Dein, quoniam intelligunt illa omnia a Deo

---

15 letitiae/deus
19 deus/deus
36 exercitos/deo

immitti vel ad purgationem criminum, vel ad exercitationem virtutis non modo patienter, verum etiam gaudenter, tam quam obedientes filij, illa de manu propitij patris accipiunt, atque etiam gratias agunt, vel pro clementi correctione, vel pro inaestimabili lucro.

SPVDAEVS. Sed multi sibi accersunt corporis molestias.

HEDONIVS. Sed plures adhibent medicorum remedia, quo corporis sanitatem vel tueantur, vel recuperent. Caeterum accersere molestias, hoc est inopiam, aduersam valetudinem, persequutionem, infamiam nisi quum huc impellit Christiana charitas, non est pietatis, sed stultiae. Caeterum quoties infliguntur ob Christum et ob iustitiam, quis ausit eos vocare miseros quum ipse Dominus appellet eos beatos, et horum gratia gaudere iubeat?

SPVDAEVS. Habent tamen interim et ipsa sensum cruciabilem.

HEDONIVS. Habent, sed quem facile absorbet hinc metus gehennae, illic spes aeternae beatitudinis. Age si tibi persuasum esset te nunquam aegrotaturum, aut vllam corporis molestiam sensurum in omni vita, si semel patiaris cuspide aci/culae 331r tibi summam pungit cutem, nonne lubens et gaudens acciperes tantillum dolorem?

SPVDAEVS. Maxime. Imo certo sciam mihi nunquam in vita dolituros dentes, aequo animo patiar vel altius infigi acum, atque etiam ambas **aures** subula perforari.

HEDONIVS. Atqui quicquid in hac vita accidit afflictionis, leuius ac breuius est ad aeternos cruciatus, quam momentaneum acus vulnusculum ad hominis vitam, quamuis longam; nulla enim analogia rei finitae ad infinitam.

SPVDAEVS. Verissima praedicas.

HEDONIVS. Iam si quis tibi persuadeat, te per omnem vitam omni molestia cariturum, si semel manu flammam diuidas, quod fieri vetuit Pythagoras, nonne lubens id faceres?

SPVDAEVS. Ego sane vel centies, modo ne me fallat promissor.

HEDONIVS. Deus ne potest quidem fallere, sed ille flammae sensus diuturnior est, ad totam hominis vitam collatus, quam tota vitia collata ad caelestem beatitudinem, etiamsi quis trium Nestorum excedat annos. Siquidem illa quantumlibet breuis manus iniectio nonnulla huius vitae portio est; sed tota hominis vita nulla portio est aeternitatis.

SPVDAEVS. Non habeo quod contradicam.

HEDONIVS. Ad hanc igitur qui toto pectore, certaque spe pro

perant, quum tam breuis sit transcursus, an credis eos huius vitae molestijs discruciari?

(331v) SPVDAEVS. Non arbitror, modo adsit cer/ta persuasio firma que spes assequendi.

HEDONIVS. Venio nunc ad oblectamenta quae obijciebas. Abstinent a choreis, a comessationibus, a spectaculis; haec mirum ita contemnunt, vt fruantur multo iucundioribus, nec minus oblectentur, sed aliter."Oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis" ascenderunt quae solatia Deus parauerit diligentibus ipsum. Beatus Paulus agnouit, quae sint cantica, quae choreae, quae tripudia, quae comessationes piarum mentium, etiam in hac vita.

SPVDAEVS. At sunt quaedam voluptates licitae, quas isti sibi ipsis interdicunt.

HEDONIVS. Etiam licitarum voluptatum immodicus vsus est illicitus; hunc si excipias, in caeteris omnibus superant qui videntur asperam vitam degere. Quod potest esse magnificentius spectaculum, quam huius mundi contemplatio? Ex eo longe plus capiunt voluptatis homines Deo chari, quam caeteri. Siquidem hi dum curiosis oculis contemplantur admirandum hoc opus, anguntur animo, quod multarum rerum causas non assequantur. In quibusdam etiam ceu Momi quidam obmurmurant opifisci, neque raro naturam pro matre nouercam appellant; quod conuitium, verbo tenus quidem naturam ferit, sed reuera in eum redundat qui naturam condidit, si qua est omnino natura. At homo pius
332r reli/giosis ac simplicibus oculis magna cum animi voluptate spectat opera Domini Patrisque sui, demirans singula, nihil reprehendens, sed pro conctis gratias agens, quum reputat haec omnia propter hominem esse condita; atque adeo in singulis rebus adorat, omnipotentiam, sapientiam ac bonitatem conditoris, quorum vestigia perspicit in rebus conditis. Iam finge mihi esse aliquod palatium reuera tale, quale Psychae fingit Apuleius, aut si quod potes magnificentius elegantiusque; huc adhibe duos spectatores, alterum peregrinum, qui tantum visendi causa venerit, alterum seruum aut filium eius qui construxit hoc aedificium; vter impensius delectabitur,hospes ille, ad quem ea domus nihil attinet, an filius, qui charissimi pa-

---

9 deus
19 deo
27 domini patrisque
32 re vera

tris ingenium, opes ac magnificentiam in aedificio magna cum voluptate speculatur, praesertim quum cogitat totum hoc opus ipsius gratia factum esse.

SPVDAEVS. Percontatio tua non eget responso, sed plerique non pijs moribus sciunt caelum et quae caelo claudi clau duntur hominis causa esse condita.

HEDONIVS. Sciunt plerique omnes, sed non omnibus hoc venit in mentem, et si venit in mentem, plus tamen capit voluptatis qui magis amat opificem; quemadmodum alacrius intuetur caelum, qui ad vitam caelestem aspirat.

(332v) SPVDAEVS. Veri si-/millima dicis.

HEDONIVS. Iam conuiuiorum suauitas non est sita in lauticijs palati aut coquorum condituris, sed in prospera corporis valetudine et stomachi appetentia. Caue igitur putes nullum Lucullum coenare iucundius appositis perdicibus, phasianis, turturibus, leporinis, scaris, siluris aut murenis, quam vir pius cibario pane, holeribus aut leguminibus, potu vel aquae vel ceruisiae tenuis, vel vini probe diluti, propterea quod haec accipit tanquam missus a benigno patre datos, omnia condit ratio, omnia sanctificat precatio praecedens, sacra lectio comes, magis animum reficiens quam esca corpus, et gratiarum actio succedens; postremo surgit a mensa non distentus, sed recreatus, non onustus, sed refectus et refectus mente pariter et corpore. An tu putas vllum istarum vulgarium cupediarum architectum conuiuari iucundius?

SPVDAEVS. Sed in venere summa est delectatio, si quid Aristoteli credimus.

HEDONIVS. Et hac in parte vincit homo pius, non minus quam in conuiuio. Rem sic accipe, quo vehementior est erga vxorem charitas, hoc congressus ille connubialis est iucundior. Nulli porro vehementius amant vxores suas, quam qui eas sic diligunt, sicut Christus dilexit Ecclesiam; nam qui eas volup

333r tatis gratia diligunt, ne diliguntur quidem. Adde / quod, quo rarior est cum vxore congressus, hoc est suauior, quae res nec impium poetam latuit qui scripsit:"Voluptates commendat rarior vsus". Quanquam minus voluptatis pars in coitu sita est. Longe est in perpetuo conuictu, qui inter nullos potest

---

11 similima
14 vllum (1533,p.666) IF mut. (ASD,p.731)
32 ecclesiam

esse iucundior, quam inter eos qui se Christiana charitate synceriter amant, et amant pariter mutuo. In alijs frequenter cum senescente voluptate senescit amor. Christiana charitas hoc magis virescit, quo magis delectatio carnis decrescit. An nondum tibi persuasi nullos viuere iucundius, quam qui cum pietate degunt?

SPVDAEVS. Vtinam itidem sit persuasum omnibus.

HEDONIVS. Quod si Epicurei sunt qui suauiter viuunt, nulli verius sunt Epicurei, quam qui sancte pieque viuunt. Et si nos tangit cura nominum, nemo magis promeretur cognomen Epicuri, quam adorandus ille Christianae philosophiae princeps. Graecis enim ἐπίκουρος auxiliatorem declarat. Quum naturae lex esset vitijs tantum non obliterata, quum Mosis lex magis irritaret cupiditates, quam sanaret, quum impune regnaret in mundo tyrannus Satanas, solus ille pereunti humano generi praesentaneam attulit opem. Proinde vehementer falluntur quidam qui blaterant Christum natura fuisse tristem quempiam ac me-
(333v) lancholicum, nos/que ad inamoenum vitae genus inuitasse. Imo is vnus ostendit vitam omnium suauissimam veraque voluptatis plenissimam, tantum absit lapis ille Tantaleus.

SPVDAEVS. Quid isthuc aenigmatis est?

HEDONIVS. Ridebis fabulam, sed hic iocus seria ducit.

SPVDAEVS. Expecto iocum serium.

HEDONIVS. Narrant ij quibus olim studio fuit philosophiae praecepta fabularum inuolucris tegere, Tantalum quendam adhibitum fuisse deorum mensae, quam volunt esse lautissimam. Quum hospes esset demittendus, Iupiter hoc suae dapsilitatis esse ratus, ne conuiua discederet absque xenio, permittit, vt quod vellet peteret, accepturus quicquid petisset. Tantalus autem stolidus, vt qui beatitudinem hominis ventris et gulae delectatione metiretur, optauit vt sibi per omnem vitam liceret tali mensae accumbere. Annuit Iupiter, et ratum erat votum. Tantalus assidet mensae, omni genere deliciarum instructae; appositum est nectar, nec desunt rosae, nec odores, qualibus deorum nares possint oblectari, adstat pocillator Ganymedes aut Ganymedi similis, circunstant Musae suauiter canentes, saltat ridiculus Silenus, nec absunt moriones, breuiter quicquid hominis sensum possit oblectare. Sed inter haec omnia ille se-
334r det tristis, suspirans et anxius, nec hilarescens risu, / nec

---

15 satanas
36 musae
37 Silennus

attingens apposita.

SPVDAEVS. Quid in causa?

HEDONIVS. Quoniam supra caput accumbentis de pilo pendet ingens saxum iamiam casuro simile.

SPVDAEVS. Ego me a tali mensa subducerem.

HEDONIVS. Sed illi votum transijt in necessitatem, neque enim Iupiter tam placabilis est, quam noster Deus, qui perniciosa vota mortalium rescindit, si modo poeniteant. Quanquam et alioqui ne se Tantalus subducat, vetat idem lapis, qui prohibet vesci. Metuit enim, ne si se commouerit, illico saxi ruina conteratur.

SPVDAEVS. Ridiculam fabulam.

HEDONIVS. At nunc audi quod non rideas. Vulgus a rebus externis petit vitam iucundam, quum eam non praestet nisi mens secura; nam sibi male conscijs saxum multo grauius impendet Tantalo. Imo non impendet, sed vrget premitque mentem; nec insani metu discruciatur animus, sed in singulas horas expectat, vt conijciatur in gehennam. Obsecro, quid est tam suaue in rebus humanis quod mentem tali saxo pressam possit vere exhilarare?

SPVDAEVS. Nulla profecto res, nisi vel dementia, vel incredulitas.

HEDONIVS. Haec si perpenderent adolescentes, qui voluptatibus ceu poculo Circeo dementati, pro vere iucundis amplectuntur mellita venena, quanto studio cauerent, ne quid per incogitantiam admitterent, quod in omnem vitam mordeat animum. (334v) Quid non fa-/cerent, vt hoc viaticum pararent senectuti venturae, mentem sibi bene consciam, et famam nulla labe contaminatam? Quid autem illa senectute miserius, quae quum respicit in tergum, magno cum horrore videt, quam speciosa sunt quae neglexit, quam foeda quae amplexa est? Rursus quum a fronte prospicit, cernit imminere diem supremum, et ab hoc protinus aeterna gehennae supplicia.

SPVDAEVS. Felicissimos arbitror qui primam aetatem seruunt incontaminatam et in pietatis studio semper proficientes peruenerunt vsque ad senectutis metam.

HEDONIVS. Proximus locus debetur ijs, qui a iuuenili temulentia mature resipuerint.

SPVDAEVS. Sed quid consilij das illi misero seni?

---

7 deus
8 poeniteat (1533,p.668) IF mut. (ASD,p.732), sed inepte

HEDONIVS. Nulli desperandum, quam diu spirat; iubebo ad Domini clementiam confugere.

SPVDAEVS. Sed quo fuit vita longior, hoc magis accreuit scelerum cumulus iam harenam exuperans, quae est in littore maris.

HEDONIVS. Sed eas harenas longe superant misericordiae Domini. Harena tametsi non est homini numerabilis, finito tamen est numero; at Domini clementia nec modum nec finem nouit.

SPVDAEVS. Sed non est spatium breui morituro.

HEDONIVS. Quo minus est spatij, hoc clamet ardentius. Apud Deum satis longum est quod a terris ad caelum valeat pertingere. Penetrat autem et breuis precatio caelum, mo-/do vehementius spiritus impetu eiaculetur. Euangelica peccatrix fertur per omnem vitam egisse poenitentiam. Sed latro in ipsa morte, quam paucis verbis impetrauit a Christo paradisum. Si toto pectore clamauerit: "Misere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam", Dominus tollet saxum Tantaleum; dabit "auditui illius gaudium et laetitiam, et exultabunt" de condonatis peccatis "ossa" per contritionem "humiliata". FINIS. /

335r

---

2 domini
7 domini
8 domini
11 deum/celum
16 deus
17 dominus

S C H O L I A

Animaduertendum:

Scholia quae sequuntur in posterioribus foliis huius editionis leguntur. In columna dextra quaerendae sunt paginae cum lineis praesentis voluminis.

ALIQVOT LOCA
in Colloquijs explicata breuissimis scholijs, in quibus lector non admodum peritus haerere poterat.

Pagina 8. Tota plaustra, ita Graeci ὅλας ἁμάξας. 22.30

Ibidem Teruncius, quem Plinius Trincem vocat, nummulus est, in vilitatis prouerbium versus, est quarta pars assis. 22.32

Ibid. In zona: Illic milites geatabantur pecuniam. 22.38

Ibid. Euangelium, iocus est ex ambiguo. Nam euangelium dicitur munus, quod datur rem lætam nuntianti. 23.15

Ibid. Mihi saxorum: Nam Aetites lapidis genus ab aquila nomen habens, vide Plinium lib. 37, cap. 11. 23.20

Ibid. Stipulabor. Stipulatur qui promissum accipit. Nam paciscitur et qui promittit, & cui promittitur. 23.27

9. Ringor, id est, discrutior animo. 24.25

Ibid. An capus eram. Iocus est ex ambigua voce gallus. 25.2

Ibid. Metamorphosis, transformatio. 25.4

336r Bona carmina: Allusit ad hoc quod vulgus Gal/lorum perperam pronunciat accentus. 25.15

10. Nuper ancillae tuae: Allusum est ad id, quod Cicero refert de Ennio et Nasica. 26.15

11. θεομαχεῖν , id est, cum deo pugnare. 28.25

12. Suo regi pulchra est regina, vide prouerbium, Suum cuique est pulchrum. 30.2

14. Rhamnusiae, fortunae cognomentum est a loco quemadmodum dicimus Paphiam et Cypridem. Litat autem non quisquis sacrificat, sed cuius sacrum deo placuit. 33.18

Ibid. Volasse noctuam, vide prouerbium, noctua volauit. 33.21

15. Diario. Diarium codicilli siue commentarioli rerum actarum in singulos dies. 34.3

Ibid. Non a profundis manibus: Allusit ad primum Euripidis tragoediae, versum cui titulus Hecuba. Vbi sic loquitur Polydorus: Adsum profectus e profundis manibus, id est, ab inferis. 34.35

---

32 Ibi.

17. Allusit ad Homerum, qui saepe Palladem facit huic aut illi suggerentem quid facto sit opus. 37.21

20. Corycaeis, id est, obseruatoribus, vide prouerbium. 40.1

Ibid. Taurum alium, id est adulterum. Horatius:

Querenti taurum monstrauit inertem.

Vlyssem sic appellat maritum qui nimium diu abfuit.

(336v) Nam Vlyssem reducem nullus agno/uit praeter canem. 40.25

Ibid. Lamiae, maleficae mulieres quae oculos habent quum foris sunt, quibus perspiciunt omnia, domi cae cutiunt. 40.32

Ibid. Harpagones, instrumenta quibus iniectis attrahunt nauem, commissuri bellum. 41.12

21. Delia, venandi dea. 41.31

Ibid. Lupus hians, vide Chiliades,et allusum est ad nomen Pamphagus, quod Grecis sonat omnia comedentem. 42.5

22. Ringi quam ridere. Ringitur iratus, non ridet. Rictus igitur diductio labiorum, sed prae dolore, cum risus sit ex gaudio. 43.13

Ibid. Stet in capite, prouerbium est in eos qui diuersum sentiunt ab ijs quae dicunt, id est, praepostere stet pileum. 43.20

Ibid. Trasymachus, id est, audax in pugna, nomen aptum militi. Vulcanus fingitur claudus, Mercurius alatus. 43.33

Ibid. Manubiae, pecunia e spolijs collecta. 44.2

Ibid. Zonam inanem, vide prouerbium: Zonam perdidit. 44.3

23. Solent encomio laudari qui fortiter se gessissent in bello. 45.3

Ibid. Nihil sacrum. Allusum est ad prouerbium Οὐδὲν ἱερόν, tametsi deflexit in alium sensum./ 45.13

337r 30. Appetit vesper, pro instat, quoties est verbum neutrale. 55.37

Ibid. Monomachia, singulare certamen. 56.13

31. Sum raucus. Allusit ad gallos gallinaceos, quibus natura adest vox rauca, qui proprie dicuntur coccyssare, vnde et Galli vulgo vocant gallum cocq. 57.24

Ibid. Colluto, ita Persius: Gutur mobile colluerit. Solet enim medicamentis vox fieri mollior, quod hic

---

19 quae
21-22 pileum. Trasymachus
36 cocc.

fit vino. 57.31

32. Sphaeristerium locus in quo sphaeris luditur. Habent autem quaeque peculiares suas leges. 58.17

Ibid. Doctior est nebulo, philosophus quidam apud Laertium videns quendam lasciua saltatione gestientem: quo melius, inquit, feceris, hoc deterius facies. In re mala, quo melior es artifex, hoc vir es peior. 59.4

Ibid. Ventris saburra. Saburra onus nauis, quo libratur aduersus fluctus, et Plautus Saburratas appellat saturas. 59.13

Ibid. Empusae. Spectrum est apud Aristophanem, quod apparet vnica tibia, vnde et Graeci nomen dedere. 59.28

Ibid. Stadium, alias certa magnitudo est, alias locus in quo curritur. 59.34

(337v) 33. Amphibion. Amphibia dicuntur quae si-/mul et in aqua viuunt et in terra, vt crocodilus, anates, et similia. 60.9

Ibid. Suberi, Graece φελλός , corticis genus semper fluitans, vnde qui discunt natare subijciunt pectori. Horatius:

Nabis sine cortice. 60.26

43. Orbilium literatorem Horatius plagosum appellat. 74.14

45. Identidem, id est subinde, allusit ad prouerbium τοῦ πρωκτοῦ περιγινομένου. 77.22

Ibid. Horatius:

Nec scombros metuentia carmina, nec thus.

49. Memoriam hic pro dea posuit memoriae. 83.34

53. Asoti, populus luxu perditus, ex re, nomen habens. Graecis enim asotus dicitur intemperans parumque sobrius. 89.31

54. Vtroque iuxta, iuxta aduerbium sonat aeque. 90.23

56. Catius inducitur apud Horatium Coenaticae philosophiae ad vnguem doctus. 93.7

57. Stoa porticus Athenis, vnde dicti Stoici. 93.33

58. Monogrammi dicuntur homines praetenues ac pusilli, a picturis in quibus vnica linea notantur homunculi, velut procul apparentes. 95.13

---

32 Crocodilus
24 περιγινομένου Horatius sed inepte
33-34 doctus. Ibid. Stoa sed inepte

61. ἢ πίθι ἢ ἄπιθι , id est, aut bibe aut abi. 102.32

70. Eusebius, pius. Timotheus, charus Deo, vel charum
338r habens Deum. Theophilus, / amans Dei. Chrysoglotus,
auream habens linguam. Vranius, coelestis. Eulali-
5 us, bene loquens. 113.20

71. Cors, cortis: spatium circum villam septum vnde cortis aues, et inde militum cohors, quod ex agris legi soleant. 114.25

Ibid. Vmbra, non ipse vocatus, sed quem adducit comi-
10 tem vocatus. 115.4

72. Non vident me, id est, non intelligo. Nolunt enim videre quem non agnoscunt. 115.37

Ibid. Lampadem tradere, est alteri tradere negocium; prouerbium. 115.38

15 73. Abstine sus. Suibus amaricinum vnguentum ex amaraco factum, venenum est. 117.13

74. Σωφρόνει , id est, prudens esto, non omnibus volo; vide prouerbium de noctua Atheniensium. 119.13

Ibid. Trochilus auicula natura aquilis infensa. 119.16

20 75. Εὗρε θεὸς ἁλιτρόν , id est, reperit Deus nocentem. 120.20

76. Αἱρῶν αἱροῦμαι , id est, captans captor. 121.8

77. Theodidactus, diuinitus doctus. Nephalius, sobrius. Sophronus, temperatus. 122.36

25 78. Betas. Allusit ad illud Martialis:

Vt sapiant fatuae fabrorum prandia betae,
O quam saepe petet vina piperque coquus. 124.6

80. Hac ouatione. Supplicatio et ouatio sunt infra triumphum; allusum est autem ad oua apposita. / 126.14

(338v) 81. Catastrophe. Prima pars comodiae dicitur. Protasis, secunda. Epitasis, in qua tumultus est vehementissimus, tertia Catastrophe quae componit tumultum. 127.9

Ibid. Muta persona in fabulis, quae ostenditur quidem
35 sed non loquitur; Horatius: Nec muta loqui persona laboret; vide prouerbium κωφὸν πρόσωπον. 127.12

Ibid. θεόπνευστος , id est diuinitus afflatus. 127.31

---

2 deo
3 deum/dei
20 deus
22 capior
37 82. θεόπνευστος

82. Ob religionem diei. Religio proprie est eorum quae reueremur, veluti sepulchrorum cui proxima est superstitio. Religio enim immodica superstitio est. Allusit ad locum Pauli Coloss. 2. 129.14

83. Sybariticum, lege in Chiliadibus prouerbium: Sybaritica mensa. 130.3

Ibid. ἐν οἴνῳ ἀλήθεια , id est: In vino veritas. 130.14

86. κύκνειον ᾆσμα , id est: Cycnea cantio; vide Chiliades. 134.5

Ibid. Ad carceres, id est, ad initium. Carcer enim dicitur, vnde equi dimittuntur ad cursum. 134.9

90. Coenatio: locus est vbi coenatur; Luculli Romani magnificentia multorum literis celebrata est. 138.25

93. Xenia, munuscula quae dantur hospitibus aut amicis; apophoreta, quae dantur in fine con/uiuiorum, 339r auferenda si cui videatur. 144.3

94. Πολυγράφῳ qui multa scribit, qualis fuit Chrysippus ac Dedymus. 145.6

Ibid. φιλέλληνι , amator Graecitatis. 145.16

95. Cleopatra; lege vitam illius apud Plutarchum, et Plinii cap. 15. libri noni. 146.6

98. Sibyllae folium. Sibylla Cumana scribebat oracula in folijs. Iuuenalis:

Credite me vobis folium recitare Sibyllae,

id est rem certissimam. Quod genus et illud: E tripode puta. 150.6

100. Oletum est stercus humanum. Sansucinum vnguentum idem cum amaricino. Foliatum vnguenti genus, de quo Iuuenalis: Moechis foliata parantur. 151.29

101. Lararium: locus vbi reponuntur dij penates, hoc est, domestici. Et apud veteres selecti dij dicebantur praecipui, ij fuerant numero pauci. 153.20

102. Valebo, sed non coquus. Quum candidatus quidam, qui coci filius habebatur, coram Cicerone ab alio quopiam suffragium peteret, Cicero cauillans: Ego quoque, inquit, tibi fauebo. Locus autem est in dictione ambigua quoque et coce, quod ad pronunciationem attinet. Vnde liquet olim alium fuisse sonum

---

1 Ibid. Ob religionem
3 supestitio
20 Pautarchum
21 plini
22 Sibylle
28 Amaricino
29 Iuuena.

(339v) harum lite/rarum q et c quam nunc est. Qui si fuis
set diuersus, non erat iocus ex voce plura signifi
cante. Nunc litera c aliud sonat praecedens a, o,
u quam e, i, y, quod idem fit in Graecis, quum eius
varietatis nulli vetusti grammatici meminerint,
quod equidem sciam. Et Fabius in primo libro putat
q et K redundare; non redundarent autem, si quid
aliud sonarent quam c, nisi quod c apponitur aspi
ratio quam reijciunt q et k. Caeterum v adiunctum
q euanescit, alioqui cotidie et quotidie non solum
differrent scriptura, verum etiam sono, quod secus
esse, licet ex Fabij verbis colligit cap. de or-
thographia. Porro iocus Ciceronis ad quem hic al-
luditur refertur apud Quintilianum libro sexto,
capite de Risu. 155.25

104. Athenis Areopagitae iudicabant de capitalibus,
vnde ridicule deflectit vocem apud grammaticos.
Amphictyon concilium erat quod apud Thermopylas
cogi solebat, ad quod duodecim populi conueniebant,
sub Amphictione Deucalionis filio, Iones, Dores,
Peraebi, Boeotii, Magnetes, Achei, Molienses, Do-
lopes, Aenianes, Delphi, Phocenses. Sic et dialec-
ticorum variae sunt sectae. / 158.28

340r 105. Panaces,herba quae medetur omnibus morbis, vnde
et nomen habet. 159.22

Ibid. Fulmen: est telum Iouis, tridens Neptuni, hasta
Palladis. 159.30

106. Nemesis: dea vindex insolentiae. 161.27

Ibid. Si calceum. Allusit ad dictum Pauli Aemilij, re
pudiata vxore. 162.3

Ibid. Iacere aleam: facere periculum. 162.4

107. Mali ominis, id est, si recuset. 162.27

Ibid.Epiphonema, quod in fine acclamatur. Facile est
dicere volo, volo, sed his duobus verbi contrahitur
indissolubile vinculum. 162.30

Ibid. Abstemij, qui non bibunt vinum, quasi dicas abs-
que temeto.

108. Qui sunt isti, iocatur in hoc quod ricicule dixe-

---

21 Boeoti/ Βοίοι IF om. (1533,p.174) (1636,p.168)
24 Panace
36-37 Locum ad quod spectabat hoc scholium omissum est ab Ioan-
ne Fernando

rat iuuenis, quum qui non sunt, nec futuri sunt, plus aut minus felices dici non possint. 165.16

110. Tua messis in herba est, ait Ouidius, a segete ductum, quae primum herbescit, deinde fert aristas, tandem flauescit ad messem. 166.35

Ibid. Nihilne tui. Ambigue dictum. Nam si sit genitiuus a tu, petit osculum, si a tuum, petit aliud. At illa secus interpretatur quam ille senserat. Ouidius:

Vlterius nil habet ille mei. / 166.37

(340v) Ibid. Pastillus, est sphaera ex odoribus confecta quam manibus circumferunt. Horatius: Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum. 166.38

Ibid. Tuto depones. Deponit magistratum, qui se abdicat magistratu; deponit pignus qui certat, et deponit qui rem suam seruandam tradit alienae fidei. Sic Horatius: Quicquid habes age, depone tutis auribus. 168.5

111. In sinum, id est, secreto committe tacituro. 169.22

Ibid. Pro thesauro, quum aliud inuenitur, quam expectabatur. 169.29

119. Fungo. Fungos appellamus homines stultos ac nihili. 181.9

120. St: interiectio est innuens silentium, sic enim docti legendum censent illud ex Phormione Terentij: Non es obsecro quem semper te esse dictitasti? Chr. St. Soph. Quid has metuis foris? Quo loco pro St, deprauatum est: est. 181.29

121. Quae si vsquam. Allusit ad versiculum prouerbialem:

Mores amici si noueris non oderis. 183.29

Ibid. Antequam alter alteri. Hoc Plutharcus in praeceptis connubialibus. 183.33

122. Voces. Ad vocem hominis equi redduntur mitiores. Popisma sonitus est propemodum imitans ventris crepitum, qui fit ore aut mani/bus apte complosis non sine humore. Authore Plinio: fulgetras adorare popismate, gentium olim consensus erat, vnde est illud Aristophanis , πρὸς τὰς βροντὰς ἀποπέρδειν.

341r

---

12 Hora.
17 Hora.

De palpo Horatius: Cui male sit palpere, recalcitrat. Palpari autem est vola leniter percutere tergum equi ferocientis. 184.27

Ibid. Isthuc ibam, id est, hoc eram dicturus. Terentij verba sunt. 185.7

Ibid. Refrigerata, id est, vbi refrixit, siue deferbuit. Ita Fabius: refrigerato inuentionis amore. Sic et recanduisse dicitur ira. 185.15

Ibid. Conniuere, id est, quasi clausis oculis dissimulare te videre quod vides. 185.25

123. Redderet. Reddit qui soluit, reddit et discipulus, quum recitat audita. Nam qui docet aut dictat, quasi credit mutuum. 186.25

124. Semel non refertur ad bis, sed declarat totum filiae ius traditum sponso. 187.1

Ibid. Citra personam. Nam personati histriones agebant fabulas; persona autem est facies appositititia. 187.16

125. Acciperetur, pro tractaretur, quemadmodum bene habiti dicuntur; ita Terentius: Accipit hominem nemo melius. 188.21

Ibid. Vergenti aetate, inclinata ad senium. Sic ea / (341v) voce absolute vsus est Suetonius. 188.36

Ibid. Inuolassem in capillos, sic pugnant mulieres; sic Terentius: Alioqui inuolare nonnunquam sonat furari. Catullus:

Huc redde pallium meum, quod inuolasti. 188.41

Ibid. Lotio. Id accidit Socrati. Et olim loti vnctique ibant ad conuiuium. 188.42

126. Mussanda, dissimulanda; vel tacite ferenda. 189.26

Ibid. Sacra prophanari dicuntur, lectulas autem locus est dicatus reconcinnandae beneuolentiae.Haec est sententia Plutarchi in Praeceptis coniugalibus. 189.40

127. Cestum id est cingulum. 190.12

Ibid. Et hac ansa. Epictetus scripsit vnicuique rei duas esse ansas, alteram qua teneri possit, alteram quo non possit, significans in vna quaque re esse aliquid commodi, rursum aliquid incommodi. Stultus arripiit ansam malam, sapiens alteram. Huic itaque nihil non tolerabile. 191.1

---

2 leuiter
3 122. Isthuc

Ibid. Trimestris foetus. Alludit ad prouerbialem versum, qui est apud Suetonium: τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. 191.18

128. Eulalia a bene loquendo nomen habet, pseudolalia, a mendaci loquacitate. / 192.10

342r Ibid. Nouercam germanam, non de gente, aut sorore sentit, sed germanam dixit veram. Nouercarum autem est odisse priuignos. 192.26

129. Miscere coelum terrae, de vehementi perturbatione dictum est prouerbium. Iuuenalis:

Licet et mare coelo confundas, homo sum. 193.24

Ibid. Samius literatus, in cicatricosus prouerbium; vide Chiliades. 194.12

130. Sepeliri ante tempus. Alludit huc, quod dicuntur mundo mortui. 194.20

131. Interrupta copia. Iuuenalis: Voluptates commendat rarior vsus. 195.31

132. Fungi fragiles sunt, et papauera solent decollari baculo. 197.5

Ibid. Pro aris et focis, verba sunt historicis peculiaria; per aram significant religionem deorum, per focum rem domesticam. Nam et focus sacer erat laribus. 197.13

133. Pseudocheus, fusor mendaciorum; Philetymus, amans veritatis. 199.22

135. Ex lotio. Alludit ad Vespasiani dictum: lucri bonus odor ex re qualibet. Nam is vectigal collegit ex lotio re male olente, at non male olebat pecunia. 201.25

Ibid. Specimen, id est, gustum siue exemplum. 201.36

(342v) Ibid. Extrema ancora, id est, supremum refu-/gium; vide prouerbium de sacra ancora. 202.20

Ibid. Eodem nomine. Nomen hic titulus est debiti, vnde et pro debitoribus accipiuntur nomina. 202.37

136. Nam fumos, vide prouerbium: Fumos vendere. 203.16

Ibid. Ficum ficum, scapham. Graeca vox ambigua est, sed opinor melius verti per ligonem a σκάπτω , quod est fodio. 203.23

Ibid. Vlysse ac Mercurio. Vlysses ab Homero fingitur

---

10 Iuuẽ
12 129 Samius
24 philetymus
32 136 Eodem
34 Ibid. Nam
38 Vllisse

vafer ac mendax. Mercurius adfert lucrum, vafer et ipse furax. 203.34

Ibid. Horrenda narras. Ex abrupto incipit colloquium more comoediarum. 204.3

Ibid. Nox erat sublustris, quae nonnihil habebat lucis. 204.13

Ibid. Castorem et Pollucem, vide Plinium libro 2. cap. 37. 204.18

137. Claudat latus, id est, astet lateri. Sic Horatius: Vt ne tegam spurco Damae latus. 204.23

Ibid. Fori sunt tabulata nauis ac veluti tectum Verrucae, id est, tubercula. Sic Cato, ni fallor, collem verrucam appellauit. 204.29

Ibid. Scythicam concionem, id est, duram; vide prouerbium Σκυθῶν ῥῆσις. 205.6

Ibid. Durum telum. Alludit ad illud Plinij: Maximum telum necessitas, rursum ad illud: τῇ ἀνάγκῃ οὐδ' οἱ θεοὶ μάχονται./ 205.8

343r Ibid. Iactura, damnum est, et iacturam facere dicitur quisquis damno afficitur, hic erat vera iactura a iaciendo dicta. 205.12

Ibid. Decidere, est pacisci portione rerum, vt reliqua maneant salua. 205.16

Ibid. Amicis opibus, pro adamatis. 205.17

Ibid. Vere nauticam. Semper nautae finguntur immanes. Quale est elementum, tales sunt et illi. 205.24

Ibid. Vocem Italicam. Nam Itali magno stomacho barbarum vocant, quicquid est peregrinum. 205.28

Ibid. Calamitatem quod est culmorum traxit ad instrumenta nauis. 205.31

138. Quicquid erat olei. Ea natura est olei, vt lucem adferat, ac tranquilliet omnia, etiam mare quo non aliud elementum implacabilius. 206.13

Ibid. Auctio venditionis genus, in quo a licitantibus intenditur precium. 207.7

139. Batauum, vulgari ioco Bataui dicuntur crassi. 207.13

144. Ex Africa: vide prouerbium, Africam semper aliquid adfert noui. 214.29

145. Barbatus Ganymedes. Ironice dixit Ganymedem, quod

---

24 imanes
36 ibi. Ex africa
38 ibid. Barbatus

hic puer delicatus Ioui sit a poculis. Ac mox toruus ille Ganymedes. 215.26

Ibid. Milesia, texta mollia. 215.28

146. Extremus actus sit optimus. Sententia Ciceronis
(343v) est. Alluditur ad actus fabulae quo-/rum vltimus est quintus; vide prouerbium: Supremum fabulae actum. 216.25

Ibid. Pinacium, id est, tabellam, a pinax Graeco tabula. 217.9

147. Platonicam, vbi aequalia sunt omnium omnia. 217.24

Ibid. Αυτόχθονας , id est, indigenas, aiunt enim. Anglos caeteros ex Gallis, et mox ex Saxonibus esse mixtos. 217.41

148. Hic fundus, id est, reditus. Nam fructus annuos reddit fundus. 219.3

Ibid. Viuamus pro gaudeamus, siue laete agamus. 219.7

149. Augiae stabulum; vide prouerbium de diu collectis sordibus. 221.13

150. Leuis apparatus. Iambici trimetri sunt, vsque ad Euge; Si rotatiles, trochaici sunt tetrametri vsque ad quanquam &c. 222.27

Ibid. Sessiles lactucas, quod non erigant sese, sed humi spargant sese. 222.37

151. Bliteam, alludit ad gemmam laudatissimam, et Graeci betam appellant βλίτον , vnde bliteos appellamus stultos ac nihili, eo quod beta vilis et insipida herba est. 223.18

Ibid. Galateam a colore lacteo, Euterpem a delectando Musae nomen est, Calliopea pulchritudine vocis, Calirrhoe nympha, quod pulchre fluat, Melissa apis,
344r opinor, fuisse an-/cillam Chrysippi, Baucis anus et paupercula apud Ouidium. 223.22

Ibid. Splendida bilis. Allusit ad illud Horatius: Siue aliud nomen, iussit quod splendida bilis, id est, insania. 223.25

Ibid. Φεύγετε &c. Hoc carmen Plinius indicat vsurpari solere in magicis remedijs, id est: fugite Can-

---

3 145 Milesia
10 Ibid. Platonicam
11 Αὐχθονας/indignas
20 Trochaici
25 appelant
33 Hor. siue
36 Pli.

tharides, lupus crudelis vos persequitur. Cantharis insecti genus, venenum habens letale. 223.34

Ibid. Mercurij caduceum. Hac virga dat et adimit somnos, hac animas euocat orco et rursum qua velit in Tartara mittit; lege Vergilium in 4i Aeneidos. 224.1

154. Micant digitis, rusticorum lusus est, vulgaris etiamnum Italiae. Vide prouerbium: Dignus qui eum in tenebris mices. Metiebantur versus, sublatis ac repressis digitis, id mulier putat esse micare digitis. 228.13

155. Vitis clauiculas. Natura addidit vitium palmitibus laqueos quosdam quibus repit, et alligat sese; has Plinius vocat clauiculas lib. 23, in prologo. 228.38

Ibid. E clauis peruerse respondet, quasi paruos clauos iusserit contundi. 228.42

Ibid. Ἀπαρέμφατον, id est, infinitum, vt pati. 229.31

156. Fame. Allusit dictum Socratis, qui dixit famem esse condimentum omnium et iucundissimum et minimo parabile. / 230.11

(344v) 157. Prospicimus quae a fronte sunt, sed procul respicimus a tergo relicta. 231.35

160. Elenchos in Elenchis, id est, redargutiones. ἐλέγχειν enim redarguere est. 235.2

Ibid. Et Apolline nullo. Alludit ad illud Martialis:

Musis et Apolline nullo,
Quod scribis versus, hoc Ciceronis habes. 236.1

Ibid. Adblanditur, id est, placet sicut arridere dicitur quod placet. 236.6

161. Coccyx, qui Latine dicitur Cuculus, penultima producta. Notus est apologus de certamine canendi inter lusciniam et cuculum, asino iudice. 236.11

Ibid. Arrodit vnguem, gestus est cogitandis. Persius:

Nec pluteum caedit, nec de morsos sapit vngues.

Idem, Chaerestratus vnguem Arrodens ait hoc. 236.23

162. Ego praesulem. Allusit ad salios sacerdotes Martis, ni fallor, qui saltabant in pompa; praesul autem qui saltat primus. Est in quibusdam choreis mos, vt vnus solus auspicetur saltationem, vnde quisquis

---

1 Cantaris
24 Mart.
29 Ibid. Coccyx
32 161 Arrodit

alijs cunctantibus rem coepit, dicitur incepisse choream. 237.36

Ibid. Puerorum, in libello, cui titulus Cato: Nam is pueris praelegitur. 238.20

345r Ibid. Veioues sunt Ioues sinistri et noxij. Sic / vocant poetae, numen laeuum: Veiouem. 238.26

Ibid. Bruta fulmina. Vide Plinium, libro 2, cap. 43. Bruta quia sine ratione veniunt, nec quicquam portendunt. Fatidica praedicunt aliquid. 238.26

Ibid. Montes et maria, &c. refert Plinij verba ex loco quem modo citaui. 238.36

Ibid. Lege fulgor ex vitro; vide prouerbium: Carbone atriorem, videtur innuere quempiam excommunicatum. 239.1

163. Palaestrites, id est, luctator, nimirum quum inuisit phreneticum. 239.30

Ibid. A coelo vsque ad terram Plautinum prouerbium, a capite vsque ad pedes. 240.10

Ibid. Militare verbum. Qui baptizantur dant nomen imperatori Christo, cuius sacramentis auctorantur. Et symbolum apud milites signum est, quod inter ipsos conuenit, siue id vocale est, siue mutum. 240.14

165. Ne quis somniet esse creaturam. Arius docuit filium Dei etiam iuxta perfectissimam naturam fuisse creaturam. Atqui natura filius est gignitur ex substantia patris; Dei substantia inuisibilis est, eandem igitur oportet esse patris et filij; de diuinis personis loquor. 242.20

Ibid. Apuleium. Nam is mentem hominis tegebat sub asi
(345v) nina specie, quum multi sint, qui / sub humana spe
cie tegunt asinum. 243.13

166. Viuo saxo. An saxa nascantur et augescant, incertum. Viua tamen saxa dicuntur quae nondum suo loco sunt amota. 244.18

168. Quur solus pater dicitur Deus? Est pars illius quaestionis quae praecessit. Quur in sacris Filius frequentius appellatur Dominus quam Deus; nunc postea quam est et Spiritus mentio facta, rogat quur in symbolo ex tribus personis solus Pater dictus sit Deus. De re nulla est dubitatio, tantum de

---

1 contantibus
17 a pedes
23 dei
34 deus
35 filius
36 dominus/deus

consuetudine scripturarum est quaestio. 247.17

171. Orthodoxus, id est, rectae opinionis,cui contrarium est haeretici vocabulum. 251.13

Ibid. Praestare dicitur qui suo periculo vitium aut corripit, aut defendit. 251.13

Ibid. Bonis auibus, id est, feliciter; alter arripuit iocum ex ambiguo. Praeter Symbolum. Rursum iocus est ex ambiguo. Nam in Symbolo apostolorum nulla mentio est de piscibus, et dicuntur Symbola conuiuiorum. 251.38

172. Eusebius, pius. Pampirus, omnia expertus. Polygamus, qui saepe duxit vxorem. Glycion, dulcis, siue dulcior. 252.24

Ibid. Nouas aues; alludit ad peregrinas aues. Rara auis./ 252.25

346r Ibid. Vitreis oculis, significat vitrea perspicilla, et fascinatio est in oculis. 252.29

173. In plaustro. Alludit ad prouerbium: e plaustro loqui. 253.31

Ibid. Τιθωνοῦ γῆρας , de longaeua sed florida senectute; vide prouerbium. 254.15

Ibid. Vtrinque, id est, superne et inferne; est enim gemina series. 254.18

Ibid. Ferebat, id est, postulabat. 254.30

Ibid. τὴν κατ' ἐμαυτόν , id est, pro mea sorte; vide prouerbium Pittaci: aequalem tibi ducito. 254.39

174. Ἀπραξία , id est, ocium siue abstinentia a negocijs. Hinc versus prouerbialis: Ἀνάπαυσίς ἐστι τῶν κακῶν ἀπραξία. 255.32

Ibid. Mitionem, ex Adelphis Terentij. 256.4

175. Optimum non nasci. Vide prouerbium. 256.32

Ibid. Εὐθυμία , id est, animi tranquillitas. 257.22

176. Catapotia Graece, trochisci siue pilulae quas deglutimus. 258.7

Ibid. Lassitudinis. Lassitudo nulla de causa oborta significat morbum instare, iuxta medicos. 258.8

Ibid. Liberaui fidem, id est, persolui quod debui. Ete

---

1 (Cf. 1533, p. 269-270)
23 gemiua
31 Vid.
37 debuit

nim qui promittit obstringit fidem suam. 258.22

177. Gallinas. Nam ponunt oua, et obstrepunt foeminae./ 258.40

(346v) Ibid. Verti solum, de exulibus proprie dicitur, qui de migrant in aliam regionem. 258.41

Ibid. Futuri temporis. Alludit ad sententiam iureconsultorum, quam sequuntur et theologi. Si quis dicat puellae: ducam te, et mox habeat rem cum illa, ratum est matrimonium, perinde quasi dixisset: duco te. Hoc reti multi adolescentes capiuntur, magno suo malo discentes hoc sophisma. 259.11

Ibid. Ab equis ad asinos, id est, a melioribus ad deteriora; vide prouerbium. 259.36

Ibid. Heptatechno, id est, septem artium perito. Tot enim numerantur artes liberales. 259.36

178. Dextro Hercule. Retulit verba Persij. Herculi vouebatur decima bonorum pars, ita illo fauente putabatur res domestica prosperari. 260.20

Ibid. Malea periculosiorem, de Malea promontorio naufragijs infami; vide prouerbium: Maleam legens. 260.28

Ibid. Protopiro, vide prouerbium συγγνώμη πρωτοπείρῳ, id est, primum experienti ignoscendum. 261.2

179. Δεῖ τὰς χελώνας , &c. Vide prouerbium: Testudines edendae aut non. 262.20

180. τὸ τέχνιον , id est, artificiolum quaeuis terra alit; vide Chiliades. 263.13

347r Ibid. Imo sancitus. Hoc tum iactabant qui Iu/lio aderant. 264.6

181. Spartam quae contigit, vide prouerbium: Spartam nactus es hanc orna. 265.2

Ibid. Scenam, fabula diuiditur in scenas, ad id allusit. Et scenam aperit, qui opera patefacit. 265.4

182. Hospitalitas. Nam a pascendo dicitur pastor et a praebendo Graecis parochus. 266.26

Ibid. Lupas, locus est ex ambiguo, lupa vxor lupi, et lupa scortum. 266.28

Ibid. Gallinam appellat concubinam, pullos liberos. 266.32

184. Lupus lupinam. Allusit ad prouerbium: Canis caninam non est. 269.17

---

2 Ibid. Gallinas
5 177 Futuri
6 Theologi
15 Dextro
37 Lupinam

Ibid. Viri boni, vulgus Gallorum virum bonum appellat, cuius vxor parum est pudica. 269.35

185. Apophoretis, quae dantur in fine conuiuij, sic vt cuique si velit domum auferre, vt ante dictum est. 271.6

186. In pompis. Pompae sunt spectacula, quae populo exhibentur, vulgo nunc vocantur processiones. 273.22

187. Fustuario, id est, fustigatione. 274.34

188. Suffulta pellibus. Hoc apud Germanos aliquot doc tores iuris. In Hispania theologi insigniuntur floc co albo in summo pileo. Louanij pileo violaceo et epomide, quae imponitur humeris, nulli vsui futura, (347v) nisi vt si-/gnificet Magistrum nostrum. 275.27

189. Oenopola, qui vendit vinum. 276.25

Ibid. Snaphanum. Sic Germani vocant praedonum genus subito ex arcibus adorientium viatorem, mitigato vocabulo. 276.31

Ibid. Multicium, vestis pellucida mulierum proprie. Iuuenalis:

Quum tu multicia sumas. 277.8

190. Coronide, quam nunc caudam vocant. 278.25

Ibid. Caudae equinae, id est, paulatim. Vide prouerbium: Caudae pilos equinae vellere. 279.1

191. A susceptoribus, quos nunc patrinos ac matrinos vocant, qui spondent pro pueris baptizatis. 280.19

192. Simili ioco Reuchlinus claudit opus de verbo mi rifico. 281.34

Ibid. Antronius. Allusit ad prouerbium:

Ἀντρώνιος ὄνος. 282.1

Ibid. Heroinas appellat potentes aulicas quasi semi- deas. 282.9

195. Clitellae. vide prouerbium: bos clitellas. 286.14

Ibid. Ordinis benedictini. Ridicule, quum Benedictus nondum esse natus. 286.22

196. Intemperiae, id est, furiae. 287.26

Ibid. Τὸ σκότος, id est, tenebrae. Allusum est ad Scoti nomen. 288.16

348r Ibid. Acteon, quum casu vidisset Dianam nu/dam, versus est in ceruum. 288.19

---

10 Pileo
23 patrimos/matrimos

Ibid. Histrix spinosum animal, quod spinas eiaculatur. 288.20

Ibid. Χαίρετε, id est, auete optatissimae deae; καὶ σύ, id est, et tu multum salue Musarum amator. 288.24

197. Oblactiunt. Blactire proprie camelorum est. 288.34

Ibid. Periodus, circuitus. 289.2

Ibid. Mystae, qui sacris initiati sunt, a verbo μυέω, quod ipsum a silentio dictum. 289.7

198. Acco, mulier ob stultitiam nobilis. 290.28

Ibid. Vomica, vlcus; sic appellamus nobis molestos. 290.28

Ibid. Illa terrestris. Allusit ad hoc quod Socrates aput Platonem facit duas Veneres et duos Cupidines. 290.36

Ibid. Myrothecion, vasculum vnguentarium. 291.5

199. Gracchum Tiberium lege. Plutarchum in Gracchis statim in principio. 291.26

Ibid. Alcestis. De hac extat tragoedia Euripidis. Meminit et Valerius Maximus, libro 4, cap. 6. Atque ibidem de Plancio et horestilla. Rursus ibidem de Portia Catonis filia Bruti vxore. 291.29

Ibid. Sulpitia Paterculi filia, vxor Fuluij Flacci quae ob pudicitiam e centum matronis lecta fuit ad dedicandum Romae Veneris simulachrum. Meminit Titus Liuius. / 292.6

(348v) Ibid. Res est non magni sumptus. Videtur hoc dictum in aurem, vt suspendant sese. 292.23

201. Nisi Graece. Ludit, alioqui canonici non dicuntur a regula, sed a praebenda quam nunc vocant. Nam canon aliquando est certus cibi potusue modus, qui dabatur militibus. 294.16

Ibid. Phasma, id est, apparitio. Nomen est fabulae in qua puella potiebatur amatore, ficta apparitione deae cui fiebant sacra. Vide Donatum in prologum Eunuchi. 294.34

203. Vadimonium, id est, rem quamlibet seriam; vide Chiliades. 296.36

Ibid. Paedagogo, qui seruabat animam, nec ab ea discedebat. Sic Terentius, Phaedriam vocat puellae paedagogum. 297.13

---

3 musarum
9 hulcus
11 cupidines
13 Tib.
16 Max./li.
21-22 Tit. Liui.

Ibid. Choragus, qui producit ac reducit personas in fabulis, quasi praefectus fabulae. 297.23

206. Lalus, loquax; Philecous, auidus audiendi. 300.22

208. Decoquit. Decoquere est neiquiter profundere. Inde doctores. 302.34

Ibid. Vertere rerum species. Nam id profitentur alcumistae. Qui profundit in id vertit quo fruitur. 302.35

212. Hippoplanus, qui imponit in vendendis equis. 308.11

Ibid. Σεμνοπροωπεῖν est seueritatem vultu praeferre. 308.13

Ibid. Meum sophistam, id est, fucatum equum. / 309.19

349r 214. Statuam poscerem. Honoris gratia statuae ponebantur bene meritis de republica. 311.7

Ibid. Irides, velut Iri filius, quem mendicum inducit Vlysses. 311.12

Ibid. Misoponos, osor laborum. 311.15

215. Lauerna, dea furum. 312.5

Ibid. Penia, paupertas, dea apud Aristophanem. 312.8

Ibid. Larus hians: vide prouerbium. Esca δέλεαρ qua capiuntur pisces et aues. 313.11

216. Lydius lapis, coticula qua explorant aurum. 313.27

217. Censemur, vnde et census dicitur quum numeratis singulis ac facultatibus aestimatis, indicitur exactio. 315.10

218. Polymithus, fabulosus. Gelasinus, ridiculus. Eutrapelus, facetus. Asteus, vrbanus. Philythlus, amans nugarum. Philogelos, amans risum. Euglotius, bene linguax. Lerochares, qui gaudet nugis. Adoleſches, nugator. 316.2

Ibid. Νομοθέτει, id est, statue leges: o rex. 316.15

Ibid. Quod felix, ab hac solenni precatione solebant olim auspicari, qui rem seriam agebant apud populum. 316.16

Ibid. τὸ πιθανόν, id est, verisimile, et τὸ πρέπον, id est, decorum. 316.20

Ibid, Tria verba, dixit pro pauc... Quod alter ludens
(349v) torquet ad dies nefastos, in quibus iusti/cium erat, nec licebat praetori dicere tria verba: do, dico, addico. Sic Ouidius:

---

6 Alcumistae
21 Ibid. Lydius
25-26 Eutrapellus
31 solent

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur. 316.31

219. Symposiarchus, princeps conuiuij. 317.15

Ibid. Architriclino, qui curat cibos apponendos ac potum. Olim conuiuium tres spondas habebat. 317.16

Ibid. Quod bibunt canes, canis natura abhorret a vino. 317.37

220. Legem Rhemiam, quae ad poenam talionis vocat calumniatorem. 319.29

221. Ab vmbra asini; vide Chiliades. 319.36

Ibid. Frigent lanij. Circumitione notauit quadragessimam. 320.4

Ibid. Fructuariae, quae vendit fructus arborum. 320.5

222. Catena est. Alludit ad catenam argenteam Homeri. Videtur subindicare quod ex talibus impostoribus aliquid lucri redeat ad praefectos, et hinc ad principes. 321.26

Ibid. Ordo, id est, vices; cogere in ordinem, est facere caeteris aequalem. 321.29

Ibid.Quod principi placuit, per principis genium, ad principis statuam, haec de Caesare intelligebantur. Imperatoris nomen militare. Regis nomen erat Romanis inuisum, principis nomen erat amabilius. / 321.34

350r 223. Cimelio, κειμήλιον Graecis est preciosum aliquid, quod seruandi causa seponitur; apud Homerum vulgo dicimus clenodia. 323.3

224 Canem. Nam hoc animal maxime infestatur a publicibus. 323.26

Ibid. Tolli sublimem in humeros, vt vapularet. 323.26

228. Scythicum, id est, triste. 328.1

Ibid. Αὐτὸ δείξει , id est, ipsa res indicabit. Vide prouerbium. 328.2

229. Cornicem. Circulum ferreum aut aliquid huius loco additum ostio, quo pulsetur. Graeci κορώνην , vocant, vel ob figuram, vel ob garrulitatem. 328.11

Ibid. Βουλιμία , summa fames, vt alias dictum. 329.23

230 Anarchiam, quum nullo principe tumultuatur populus. 329.25

231. Tui similes, id est, ignauiores, vt numerum augeant. Nam alae et cornua sustinent belli molem. 331.26

---

6 penam
8 Ibid. Ab
25 Ibid. Canem
31 ferream
35 Ibid. Anarchiam
36 numero

Ibid. Post principia. Alludit ad illud Terentianum in Eunucho. 331.27

233. Epiglottis, est caruncula volubilis, nunc gulam claudens, nunc arteriam asperam. 334.24

Ibid. Tres cartilagines; vide Galenum De locis affectis. / 334.24

(350v) 234. Vix 'o' sonuit. Hoc Apuleius, Lucianum sequutus. 334.34

238. Quur actum Graecis est ἐνδελέχεια vocabulum philosophis peculiare. Sed Fabulla detorquet ad iureconsultos, qui distinguit inter iter actum et viam. 339.36

239. Stupidum. Hoc sensit Pythagoras, nec omnino dissimile veri est. 341.8

243. Manumittam, quia se dixerat mancipium. 346.5

Ibid. Ἔχω possum. δῖα diuina. ἴσως fortasse. Ὄνοις asinis. ὅλως omnino. ἄχος perniciem pestem. δέος timor. 346.20s.

244. κέρδος lucrum. κόποι labores. ὁ νοῦς mens. Ate, dea damni. Λάρος auis marina et rapax. σίνος nocumentum. Λόγοι verba. εἰκῇ temere frustra. Λύκοι lupi. Ὄνε asine. Ἄνους amens. 347.39s.

245. ἔμμετρον metricum. 350.13

247. Τὴν ἄοινον μέθην ebrietas sine vino. 353.9

248. γελωτοποιούς risum mouentes. 353.37

249. Aureo hamo piscari: vide Chiliades. 356.6

251. Vbi pedem ponant: vide Chiliades. 359.7

252. Poligraphum Erasmum qui multa scripsit. 360.23

254. Laterem lauat: Vide Chiliades./ 363.18

351r 256. ἀθέους id [est] impios. ἄγαμον γάμον nuptias non nuptias 365.12

Ibid. Ψώρα scabies; [hic deam fingit scabiei.] 365.19

Ibid. Si minxisset in patrios cineres: vide Prouerbium. 366.25

260. ὅμοιον, simile ad simile. 371.1

262. Ἄγχι σχὼν κεφαλήν, prope tenens caput, Odyssea α' 373.23

263. γαλῇ κροκωτόν feli vestimentum. 375.19

---

7 Ibid. Vix
10 Iureconsultos
19 βίους
25 homo/pucari/vid.
26 vid./Chilia.
28 Vid.
29 i.impios/neptias
31 scabies minxisset (cf. 1533,p.514) (1636,p.513)
32 vid. Prou.
35 odysa

Ibid. Ἡρακλῆς, Hercules ad verborum iurantis. 375.36
270. ἀχείρους sine manibus; ἀχρείους inutiles. 387.17
272. ἄσπονδον πόλεμον inconsiderabile bellum. 390.4
Ibid. Πανωλεθρίας. Strages. 390.5
Ibid. κλύζει θάλασσα et proluit mare omnia hominum mala. 390.27
274. ἐκ δέ μοι et ceruix mihi fracta est ex nodis. 392.30
275. ἀστραγάλοισι et propter talos iratus. 393.16
277 Τὸ μὲν πρανές et pronum quidem foras, intro supinum et cola dicta esse latera quae intus vertuntur, quae vero foras ischia denique superiores partes a cornibus ceraeas appellari. 395.39
278. γεροντικῶς seniliter. 396.28
279. Μὴ πρὸ τῆς et ne ante victoriam encomium. 398.18
288. οὐ χρή et non decet per totam noctem dormire imperatorem. 409.1
289. Philypnus amicus somni. Philologus amicus sermonis. 410.3
Ibid. νηφάλιον συμπόσιον sobrium conuiuium. / 410.8
(351v) Ibid. ἄοινος sine vino. 410.25
292. Nemesis fortunae siue dea stultiae vindex. 413.31
293. Ἐὰν ᾖς et si fueris cupidus discendi, [eris] multa discens, siue disces multa. 415.25
Ibid. πτέροεντα alata. (...) 415.35
294. ἀοίδιμος perpetuo celebratus. 417.20
295. κάκιστον et pessimum est enim animal. 418.15
Ibid. λάθε βιώσας latenter viue. 418.17
296. ἀπαθής affectibus carens. 419.4
Ibid. ἄκαπνα id [est] sine fumo. 419.11
298. νεοπλούτων repente locupletati. 422.4
302. σῦφαρ pellis sicca vt serpentis exuuium; vide prouerbium: nudior Leberide. 426.6
Ibid. ουράνοθεν caelitus. 426.32

---

3 inconsyderabile
7 enordis (cfr. 1533,p.543; 1636,p.542)
11 que
17 Philypuus
21 fortuna
22-23 discendi multa scies (cf. 1533,p.571) (1636,p.571)
24 παροιμίαν ἀδελφικήν prouerbium non delphicum: Resecandum erat hoc scholium quia pertinebat ad illud colloquium Inscriptum "Concio siue Merdardus" ab Ioanne Fernando omissum (1533,p.576) (1636,p.575)
29 i.sine
31 exumium
33 υρανόθεν

311. φιλάνθρωπον hominis amatorem. 438.19

327. ὑποκορίζοντες blandi appellatores qui specioso nomine rem sceleratam appellant. 459.23

Ibid. ἐπικουρίζειν epicureum agere. 459.26

Ibid. ἐπὶ κουρεῖα θεῖν ad tronstinas currere. 459.27

FINIS. /

Sequitur pagina erratorum.

Colloquiorum index ordine alphabetica

Absurda	382-383
Abbatis et eruditae	282-287
Accusandi formulae	106-108
Adolescentis et scorti	218-222
Ἄγαμος γάμος siue coniugium impar	364-373
Alcumista	300-308
Amicitia	436-445
Ars notoria	414-416
Ἀστραγαλισμός siue talorum lusus	391-399
Bene precandi formulae	15-17
Capnionis apotheosis	148-155
de Captandis sacerdotiis	40-43
Charon	359-364
Colloquium senile	252-266
Confessio militis	43-47
Conuiuium fabulosum	316-328
Conuiuium poeticum	222-238
Conuiuium prophanum	87-103
Conuiuium religiosum	113-148
Copiae compendium	108-113
Cyclops siue Euangeliophorus	375-382
Diluculum	404-410
Diuersoria	212-218
Echo	348-349
Epicureus	453-468
Epithalamium Petri Aegidii	287-292
Euntes in ludum litterarium	74-75
Exorcismus siue spectrum	292-300
Formulae uariae	75-86
Herilia iussa	47-50
Hip[illegible]planus	308-311

Impostura	374-375
Inquisitio de fide	238-252
Ἱππεὺς ἀνίκητος siue ementita nobilitas	384-391
Lusus pueriles	52-60
Militis et cartusiani	193-199
Monitoria paedagogica	50-52
Naufragium	204-212
Νηφάλιον συμπόσιον	410-414
Opulentia sordida	426-435
Percontandi formulae	17-34
Philodoxus	416-426
Pietas puerilis	60-72
Πολυδαιτία. Dispar conuiuium	349-354
Problema	445-453
Proci et puellae	155-167
Pseudochei et Philetymi	199-203
Πτωχολογία	311-315
Πτωχοπλούσιοι. Franciscani	266-281
Puerpera	328-346
de Rebus ac uocabulis	354-359
Salutandi formulae	12-15
Senatulus siue γυναικοσυνέδριον	399-404
Variandi formulae	103-106
Venatio	72-74
Virgo constans	179-180
Virgo μισόγαμος	167-179
de Votis pie susceptis	34-40
Vxor μεμψίγαμος	180-193